This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



600007436Q

34.

507.

Q. HORATII FLACCI

CARMINA.

LEIDAE EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

2

Q. HORATII FLACCI

CARMINA

RECENSUIT

P. HOFMAN PEERLKAMP

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCTOR ET PROFESSOR
ORDIN. IN ACADEMIA LEIDENSI, INSTITUTI
REGII NEDERLANDICI SODALIS.

HARLEMI
APUD VINCENTIUM LOOSJES.

MDCCCXXXIV.

507.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

GULIELMO. REGI. NEDERLANDIAE
PRINCIPI. ARAUSIONENSI. NASSA
VICO. MAGNO. DUCI. LUXEMBUR
GI. VIRO. BONO. SAPIENTI. IUSTO
CONSTANTI. CIVIUM. SUORUM. AMO
RI. HANC. EDITIONEM. CARMINUM
QUINTI. HORATII. FLACCI
P. HOFMAN PEERLKAMP
D. D.

P. HOFMAN PEERLKAMP

S. P. D.

HENRICO BARONI COLLOTO DESCURIO, HEINENOORDI DOMINO,

J. U. D. REGI GULIELMO A CONSILIIS, EQUITI LEONIS NEDERLANDICI DECURIONI, POPULI IN CONSILIUM ORDINUM LEGATO, CURATORI ACADEMIAE LEIDENSIS, REGII ARTIUM DOCTRINARUMQUE INSTITUTI ET ALIARUM SOCIETATIUM ERUDITARUM SODALI.

Quem Horatium Regi Gulielmo dedicavi, eundem ut epistola auctum tibi mitterem, Descuri, pietas et officium postulaverunt. Iam ante triginta annos te cognovi, non praesens quidem praesentem, sed ex sermonibus Ruardii nostri, Professoris Groningani, cuius scholas quinquennio postquam tu reliqueras, ego intravi. Hic quoties adolescentes, Iurisprudentiae operam daturos, incitabat, ut Musas graviores Literarum elegantia et suavitate ornarent, tuum nobis ostendere solebat exemplum. Talis adhortatio, excellenter pronuntiata, atque illo ore et voce, quam meministi, commendata, multum apud omnes valebat: sed ego minime cogitabam fore, ut idem ille Descurius, cuius laudes tunc animum iuvenilem inflammabant, meus aliquando amicus, vitaeque felicis et honoratae in Academia Leidensi futurus esset auctor.

Mors Ruardii, quamquam non immatura, omnibus tamen, qui eum carum habuerunt, accidit acerba. Paucorum annorum accessio non illum facere potuisset beatiorem: nam patriam indigna tyrannide liberatam, et discordias civiles primum sopitas, mox reditu gentis Nassavicae exstinctas viderat: erant tamen, quae candidam animam laetitia extulissent. Vel istum vitae cursum, quem,

restituto nomine Hollando, semel petitum, continuo retinuisti, qua mente quibus verbis et oculis fuisset prosecutus! Nam animo votisque suis reipublicae te destinabat, non quod nobili genere et in spem honorum natus esses; neque enim ille *genus et proavos et quae non fecimus ipsi*, nostra vocabat; sed eam in te naturam illud studium inesse conspiciebat, ut utilissimum patriae civem, si per tempora liceret, augurarentur. Huius autem utilitatis partem in amore ac praesidio literarum disciplinarumque reponebat, in quibus colendis ipse consenuerat.

Itaque non miror te, quum a. MDCCCXIV. natalem Academiae Groninganae celebraturus Groningam venisses, a Ruardio tuo multis cum lacrymis, ut filium a patre, fuisse exceptum: dictuque difficile est, quam gauderet te videre, ordinandae rei Academicae Septemvirum. Ibi postremam nostri praeceptoris vocem audivimus, quum die festo praeclarum illud carmen dicebat, praesente Gulielmo Nassavico, eodem, quem natum Gulielmo V patri carmine olim erat gratulatus. Fuit ista senis vere cygnea cantio, eiusque mortem, quoties praeteriti temporis memoriam repetimus, dolemus tamquam recentem. Neque immerito.

Te quidem si dixero eum esse, quem tui cives amant et suspiciunt, scio hanc laudem, quam tibi quisque tribuit, esse recusaturum, nisi Ruardio pars referatur accepta. Vim enim tibi insitam prudenti doctrina promovit, animum recto cultu corroboratum sensu boni pulchrique imbuit, et honestissimo optimarum disciplinarum amore incendit. Itaque in republica turbata et mox in Francam servitutem abiecta, cogitationes a praesenti moerore ad literarum studia avocare, inque Musarum solatio aliquantum acquiescere potuisti. Cuius diligentiae, praeter alia, documento sunt carmina, a. MDCCCXVII. a te edita, pulcherrima illa et Latina, et schola, e qua profectus es, perdigna.

Vix autem ad rempublicam accessisti, quum populus

vidit, quam recte tibi, legato suo, sua commoda et iura commisisset. Diu enim multumque in historia omnium nationum versatus, deque iis vere iudicans, quae Franci rerum novarum semper auctores pepererunt et parturiunt, dum ut improbi artifices domi et foris opus quaerunt, non hospes in locum illustrem prodibas, sed iam rerum peritus, et iustae libertatis diligens; nec modo sententiam tuam facili et diserta oratione explicabas, sed bona etiam et salutaria expediebas consilia, tibique in amore patriae et regis constabas.

Talem te diu spectatum magnis subinde honoribus augeri laetabantur omnes, plerique sic iudicantes, si quid inde ad te venisset ornamenti, non minus eodem redisse. Atque ita illi imprimis iudicant, qui te virum antiqua et Hollanda probitate ac simplicitate cognoverint, librosque tuos de laudibus Hollandorum in quavis arte et doctrina conspicuis, praeclarum tam universae patriae, quam auctori monumentum, legerint.

Equidem mihi pulchrum duco, idque gloriór, a te, tali viro, in amicis haberi, et debere malim nemini, quam tibi. Licet enim tu obliviscaris, si cuiquam quidquam gratum et bene feceris, at ego memini, et omni opera hoc semper egi, ne erga te viderer ingratus. Hoc non melius a me ostendi potuisse arbitratus sum, quam magna in obeundo munere diligentia, curisque et cogitationibus ad tuendam pro mea parte Academiae nostrae gloriam referendis. Hoc etiam nomine Horatium meum accipies, alibi quidem inchoatum, Leidae tamen absolutum.

Horatium enim iam a pueritia amare coepi. Pulchrae et graves sententiae, quibus tamquam clarissimis gemmis carmina ornavit, animum mihi ita movebant, ut eas brevi tenerem memoriter omnes, et frequenti cogitatione repeterem. Crevit iste amor cum aetate, mihique esse videbar beatus, quum similes sententias apud Graecos poëtas legens, Horatium se ad Graecorum imitationem composuisse, in formando etiam orationis colore, deprehenderem. Primae adeo annotationes Graeca fere

spectabant, deinde aliae atque aliae accessere, interdum etiam Critici generis, pro illa scilicet aetate. Atque haec fere sine interpretibus, qui quidem in aliquo numero et honore habentur.

In istis annotationibus componendis si magnam perceperam, ut percepi, voluptatem, ita incredibili afficiebar dolore, postquam, paratis mihi identidem incognitis adhuc editionibus, pleraque esse occupata et melius explicata intelligebam. Et nondum videram Bentleium. Lectis autem Bentleii commentariis, omnis plane labor meus, quem iam aliquot annos Horatio impenderam, frustra fuit. Pauca enim, quae superiorum diligentiam effugerant, ego autem me primum invenisse arbitrabar, non effugerant acutissime cernentem Britannum, cuius ego sagacitatem et doctrinam repetita lectione ita admiratus sum, ut in magno pudore et desperatione Horatium et omnia Horatiana mea abiicerem. Hoc erat, mihi dicebam, post Homerum canere Iliadem, hoc Roscio spectante prodire in scenam. Unicum supererat solatium, quod ista lectione et commentatione Horatium et alios scriptores paullo melius cognoveram, et in his literis aliquantum profeceram.

Interea vitae meae ratio ita ferebat ut adolescentibus interdum selecta Horatii carmina interpretarer. Hic vero expertus sum, quid sit discere docendo, et quam probe te ipsum scire oporteat, quod aliis recte tradere velis. Versus et dicta poëtarum clara voce sonare, animo ad lacrymas usque commoveri, non est difficile. Sed eorundem versuum et dictorum sententiam simpliciter et perspicue enarrare, obiectas difficultates ita expedire, ut tibi ipse et te rogantibus satisfacias, hoc saepe non facile est. Me quidem multa loca, quae recitanti plana videbantur, explicantem retinebant. Consultis interpretibus, Bentleio etiam, quique post Bentleium exstitere, incertior plerumque eram, quam antea. In sententias enim plane contrarias discedentes, non minus de verborum vera lectione, quam significatione contendebant.

Itaque ipse meditando aliquid invenire coactus, locum modo distinctione, modo coniectura explanavisse, nonnulla denique, quae interpretes non animadverterant, animadvertisse mihi videbar.

Fortunam primo huic labori faventem pro omine habui, et posito initio, instandum ratus, caetera esse secutura sperabam. Ab eo inde tempore ad Horatium retuli, quae Graecos Romanosque scriptores perlegens, ad rem pertinere arbitrabar, idque studium Rector Gymnasii Doccumensis deinde Harlemensis continuavi, neque Leidae ita neglexi, ut Horatius non esset otium meum et ab aliis literarum exercitationibus tamquam secessus. Hinc mihi, etiam alia agenti, tanta annotationum nascebatur copia, per margines variorum exemplorum dispersa, ut ab ista materie ordinanda propemodum deterrerer. Et hoc mihi imprimis iniucundum et triste accidebat, quod, quamvis nonnulla ita me illustravisse putarem, ut fortasse ab harum rerum intelligentibus probarentur, plura tamen remanebant, quae me semper morarentur. Quidquid agerem et tentarem, omnia erant ingrata et irrita. Nihil non movi, promovi nihil. Vel primum statim carmen, centies fortasse lectum, in omnes partes versatum et excussum, non plane intelligebam.

Quam esse dicemus huius rei caussam? Obscuritatem scriptoris? Sed hoc vitio optimi poëtae Romani non laborabant, minime Horatius, quod in eo etiam laudat Suetonius. Ignorantiam lectoris? Si primus ego ad hoc carmen explicandum accessissem, facile fieri poterat, ut me multa latuissent. Sed quingenti et plures explicaverunt, in his multi novae sententiae auctores; plurimi hanc vel illam sententiam verbo vel addita ratione secuti. Ego accessi ultimus. Horatium ut digitos novi, Horatium in succum et sanguinem converti, cum scriptoribus Graecis et Romanis comparavi; nullam in tanta varietate sententiam veram iudico, neque ipse meliorem habeo. Quodsi igitur, dices, Horatius neque ipse sit obscurus, neque interpretes indocti, statuamus necesse est, hoc carmen

ab imperitis librariis, sermonem Latinum nescientibus, adeo esse corruptum, ut verba perverse scripta, a Criticis restitui non potuerint. Sed neque hoc verum est. Nam singula vocabula probe Latina sunt, neque magna eorum in MSS. apparet diversitas, eaque fere huiusmodi, ut, quomodocunque legantur, parum ad meliorem intelligentiam intersit: ut *mobilium* et *nobilium*, *certat* et *certet*, *detestata* et *detestanda*, *fidelibus* et *sagacibus*. In aliis manifestus error describentium cernitur, ut *vertitur* pro *verritur*, *neque Polymnia* pro *nec Polyhymnia*.

Quoniam igitur difficultates neque ab auctore, neque a legente, neque a corruptis per inscitiam librariorum vocabulis proficiscuntur, aliam esse suspicabar caussam, versus scilicet spurios; et, uno alteroque hinc illinc eiecto, vidi sententiam fieri perspicuam et meliorem, orationem magis Latinam, et augeri plerumque nativam illam venustatem, qua poëtae aetatis Augustae censentur. Laetus primo successu, incredibili eum voluptate omnes quinque carminum libros sordibus istis purgavi: editionem vero diu distuli. Nam primum verebar, ne amore inventi abreptus, calido nimis consilio, germanos pro spuriis eiecissem. Deinde meo unius iudicio esse diffidendum putabam, qui viderem immensam doctissimorum interpretum multitudinem de assutis Horatio centonibus non modo non cogitasse, sed etiam ita rem gessisse, ut Horatium et suo et aliorum iudicio probe intellexisse viderentur. Ubi ego saxa et salebras, hi planum iter et amoenum; ubi ego meras tenebras, hi solem meridianum; ubi ego colorem non Latinum, affectatas elegantias, repetitiones ineptas, orationem humilem, nullam sententiarum connexionem, alia vitia, hi omnia fere contra cernebant. Itaque meam tam audacem sententiam diu esse celandam putavi, animoque et cogitatione iterum atque iterum volvendam, prius quam proferrem, si forte tempus et aetas meliorem suaderent. Tempus et aetas confirmarunt, neque parvum ex Ieremiae Marklandi auctoritate accessit momentum, cuius verba, olim qui-

dem a me lecta, nunc demum optime intellecta, omni me timore ac religione liberaverunt.

Marklandus in Epistola, subiecta editioni Supplicum Euripidearum, haec scribit: *In Horatio, post omnia, quae in eum scripta vidi, innumera sunt, quae non intelligo. In toto opere vix una est Ode, Sermo vel Epistola, in quibus hoc non sentio, dum lego. Neque adeo miror; cum haec obscuritas a posteris invecta fuerit. Horatius enim, Virgilius, Ciceronis nonnulla, Caesar, Livii quaedam, Iuvenalis, in scholis praelegebantur pueris, et in singulis fere Monasteriis lectitabantur: inde tot spurii et inepti versus in Horatii et Iuvenalis Hexametris, tot explicationes et immutationes elegantiarum linguae Latinae in contextu Caesaris, Ciceronis et Livii, ut, si isti auctores reviviscerent, in multis sua scripta non agnoscerent.*

Haec Marklandus, cuius doctrinam, iudicium et felicitatem in restituenda veterum scriptorum manu, modestiam animi et veritatem admirantur fere omnes; qui, censente Wyttenbachio in Vita Ruhnkenii, insignem iudicandi subtilitatem ostendit, hoc nimirum agens, ut mutuas Bruti et Ciceronis Epistolas et huius aliquot Orationes esse spurias doceret; qui denique et Latine sciebat egregie, et poëtas accurate intelligebat, deque iis eleganter et recte iudicabat: in qua re vehementer a Burmanno, in Praefatione Virgiliana Marklandum reprehendente, dissentio.

Neque ita Marklandus iuvenili aetate scripsit, neque virili, sed iam senex, immortale nomen egregiis libris adeptus, et pristina literarum studia continuo agitans: adeo ut hoc iudicium tamquam fructus diuturnae operae sit postremus. Idque apud me etiam plus valuit, quum Valckenario multum placuisse ex Koppiersii Observatis Philologicis pag. 133. cognoveram. Et quidni Valckenario placuisset, qui ipse iam ante annos fere triginta in Epistola ad Roverum pag. XIV. scripserat: *Quis nostrum dixerit, quot versus spurii in quibuscunque poëtis rete-*

ribus nos ludificentur? Utinam hanc partem pertractandam sumsisset Bentleius, felicissimus ille fraudum istiusmodi in Manilio repertor!

Et profecto mirum esset, si sola Horatii carmina sortem evasissent, quae omnibus omnium veterum libris incubuit. Non historici, non poëtae, non oratores, non philosophi, neque Graeci neque Romani, ea labe manserunt immunes. Sed in poëtis manus fallaces praecipue grassatae, non singulos tantum versus huc illuc intruserunt, verum integra etiam carmina alienis nominibus inscripta finxerunt. Jam a. 180. ante Christum et deinde multae ferebantur fabulae, Plauti dictae, quas Plautus nunquam scripserat. Hinc indices Aelii, Sedigitii et aliorum de Plauti fabulis genuinis et ambiguis, et Varro viginti et unam a caeteris segregavit, quae ideo vocatae sunt Varronianae. Fabulis, quae nunc supersunt, totos actus et scenas videmus adiectas. Sic Pervigilium Veneris aliquando habitum est opus Catulli, Carmen Panegyricum de Messala Tibulli; Elegia de morte Maecenatis tributa Pedoni Albinovano; Ciris, Culex, Copa, Moretum Virgilio. Fuere qui sex Elegias, Cornelii Galli appellatas, illius, quem Ovidius *notum Hesperiis et Eois* dixit, eo auctore non indignas putarent. Praetereo Nucem, Halieutica, Philomelam et alia Ovidii, Phoenicem Claudiani, et plures eiusmodi libellos nobilium poëtarum titulis venditatos. Et si Muretus, ut aliquid de recentioribus addam, tacere et deceptum a se Iosephum Scaligerum in sinu ridere potuisset, hodie Mureti versus tamquam Q. Trabeae, nobilissimi Romanorum Comici, legeremus. Pricaeus et Boxhornius carmen Michaëlis Hospitalii, Franciae Cancellarii, pro vetusto acceperunt, Boxhornius quoque edidit cum Satyra Sulpitiae, et annotationibus et coniecturis illustravit. Sed poëtam in maiori carmine mentiri, difficile est. Quo enim plures sunt versus, eo frequentius peccandi nascitur periculum. Itaque nemo fraudatorum personam, quam agebat, tam bene usque ad finem tuitus est, quin partium saepe oblitus, intelligen-

tibus et rerum peritis sese ipse prodiderit. Hinc adeo accidit, ut isti artifices raro diu latuerint. Sed eosdem deprehendere in brevi carmine, genuinis intermixto, et in singulis versibus, quos mediae poëtarum orationi aptissime inserebant, res est longe maioris curae et diligentiae, et quae continuam multorum annorum lectionem meditationemque postulat.

De caussis, cur veterum libri adeo interpolati sint, multi multa dixerunt: ego nonnulla dicam, quae ad Horatium pertinent. Ac primum laudare mihi lubet fortunas nostras, qui artem cognoscamus chalcographam. Quum Ernestius in Opusculis Philologicis quaerebat, quibus literarum disciplinis et quatenus Chalcographia prodesset, hanc illius utilitatem universam omisit, quod ea nobis libros praebuit, erroribus describentium fere vacuos, neque fraudibus falsa addentium opportunos: adeo ut post multa saecula ipsa auctoris manus, praecipue in peregrina lingua, semper reddi ac referri possit. Quod longe secus est in libris manu scriptis.

Horatius mortuus est a. 9. ante Christum. Eo tempore exempla carminum erant, quale si unum habuisset qui a. 1470. post Christum primam editionem ex typographeo Mediolanensi curavit, interpretum opera hodie non egeremus. Ea editio, ut deinde aliae, ad MSS. factae sunt. Antiquissima Horatii carmina MSS. adhuc cognita saeculum decimum non antecedere videntur. Quamquam pro certo affirmare non possimus, quando et quibus modis tale MS. saeculi decimi corruptum, quamque mutatum sit ab exemplo, quod Horatius ipse et amici illius correxerunt, coniectura tamen assequemur, quod a vero non abhorreat.

Horatius libros Sermonum, Epodôn, Carminum, Epistolarum, separatim diversis temporibus edidit. Ipse, subito mortuus, neque extremam manum operi suo admovit, neque libellos in unum corpus collegit. Carmina, eo mortuo reperta, amici ediderunt, addita deinde suo quaeque generi, Hexametra Hexametris, Lyrica Lyricis.

Quum postea in unum volumen cogebant librarii, alii alium ordinem sequebantur, principio ordinem temporis, quo Horatius sua edidisset, tum suam quisque rationem et iudicium. Vestigia ordinis ad tempus exacti supersunt in iis MSS., ubi Ars poëtica, ut appellatur, Sermones, Epistolae, et Carmina, vel Carmina, Ars poëtica, Epodi, vel alio ordine posita sunt. Qui suum ipsi iudicium et rationem secuti sunt, hi carmina Lyrica cum Lyricis omnia, Hexametra cum Hexametris coniunxere. Unde factum est, ut Carminum liber quartus, Epodi, Epistola ad Pisones, locum plane alienum occupaverint. Alii deinde ulterius progressi, carmina argumenti dissimilioris ad similius transposuerunt, ex uno longiore duo, ex duobus brevioribus unum fecere; tum nomina hominum, ad quos Horatius carmina miserat, superposita, ubi neminem alloquitur, argumenta carminum addita, quod tandem in omnibus factum est. Jam ista recti ordinis perturbatio, praeterquam quod historica utilitas periit, multas difficultates legentibus peperit, neque eum ordinem sine melioribus MSS. unquam restitui posse arbitror.

Singula vocabula in omnibus Romanorum scriptis iam statim corrumpebantur. Nocuit primum dictandi consuetudo, servi enim plerumque ex ore dominorum excepta literis consignabant, deinde librariorum festinatio et imperitia. Iam Cicero III. Epist. 5. ad Quintum fratrem queritur: *De Latinis libris, quo me vertam, nescio: ita mendose et scribuntur et veneunt.* Atque ista calamitas in MSS. Horatianis latius patuit, quia novum erat Carminis Lyrici genus; quia orationem Latinam magis quam reliqui poëtae ad Graecam normam effinxit, et vocibus antea inusitatis ditavit; quia sententias ex intima Graecorum philosophia petitas adspersit; quia denique, ut dicit Quintilianus, variis figuris et verbis felicissime audax est. Hinc multa Horatii non intelligebantur ab aequalibus, nisi qui Graece scirent, Graecos legissent poëtas, et cum eleganti ingenio iudicii subtilitatem coniungerent. Tales vulgo non erant Romani, multo minus

librarii et antiquarii, qui deinde ita distinguebantur, ut antiquarii tantum vetera scriberent, librarii vetera et nova. Quae illi non intelligebant, ea saepe mutabant, cuius rei in Catone, Cicerone, Sallustio, Virgilio, aliis multa exempla ostendit A. Gellius. Alii versus tollebant. Servius ad Virgilii VI. Aen. 289. *Quidam dicunt alios hos a poëta hoc loco relictos, qui ab eius emendatoribus sublati sint.* Huic malo extremus accessit cumulus, Carminum et versuum adulterinorum seges.

Nemo poëta, ut supra dixi, talibus additamentis non contaminatus est. Si nesciremus, vel inde constaret, quod, quum officium Critici Graeci tribus partibus contineretur, trium partium nobilissima et gravissima semper habita fuit, quae ad tollendos versus παρεμβεβλημένους pertinebat. Quod idem apud Romanos obtinuisse, ex Suetonio de Illustribus Grammaticis et aliunde discimus. Caussae et opportunitates Horatii per adulterinos versus corrumpendi fuere plures, quam cuiusquam alterius poëtae. Princeps fidicen lyrae Romanae, amicus Augusti et potentium Romanorum, superata aequalium invidia, mortuus apud posteros laude crescebat. Quare carmina cupide emta, ab omnibus legebantur, qui docti et elegantes censeri volebant. Neque hoc Augusto, homini prudentissimo, displicebat. Nam et ipse in multis carminibus erat argumentum, et praesens aetas, adolescens praecipue, laudes ipsius et compositam rempublicam ita amare discebat. Nec dubito, quin Augusto etiam vivente, nam annos fere tres et viginti post Horatium vixit, Horatius quoque in scholis explicari solitus fuerit. Suetonius de Illustribus Grammat. 16. scribit: *Q. Caecilius Epirota dicitur primus Virgilium et alios poëtas novos praelegere coepisse.*

Novos dicit Suetonius: nam vulgo Livius Andronicus, Ennius aliique veteres legebantur. Iam in novis fuisse Horatium, nemo dubitabit, qui sciat illum a Quintiliano, Iuvenale et aliis diserte nominari. Iuvenal. Satyr. VII. 225. *Dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas,*

Quot stabant pueri, cum totus decolor esset Flaccus, et haereret nigro fuligo Maroni. Horatius in illa existimatione permansit: omnes poëtae, quantopere eum admirarentur, imitandi studio ostenderunt: et quanti vel domus, in qua habitaverat, fieret, apparet ex Scholiasta Iuvenalis I. 12. qui docet Frontonem, Iuvenalis aequalem, eam recitationibus poëtarum praebuisse. Unus e posteris huius Frontonis, M. Cornelius, cuius fragmenta edidit Maius, scripsit ad M. Aurelium Imperatorem, I. Epist. 1. *Plane multum mihi facetiarum contulit istic Oratius Flaccus memorabilis poëta, mihique propter Mecenatem et Mecenatianos hortos meos non alienus.*

Neque invalescens Religio Christiana Horatium de honoris gradu plane deiecit, neque de manibus hominum aut scholis excussit. Quamvis discrimen statui coeptum sit inter Literas, quae dicebantur, Saeculares et Christianas vel Spirituales, poëtae tamen Christiani et prosae scriptores ethnicum probe tenebant. Hieronymus adeo et Ambrosius, et alii, quamquam Horatium interdum nominare verentur, ne scilicet minus Christiani videantur, imprudentes tamen ostendunt, quam diligenter eum legerint. Nam in plurimis locis color Horatianus elucet. Multum tamen abest, ut ea superstitio fuerit communis. Sidonius Apollinaris II. Epist. 9. narrat in hilari coena *similis scientiae viros, hinc Augustinum, hinc Varronem, hinc Horatium, hinc Prudentium lectitari.* Et quum temporibus aevi medii omnis fere doctrina intra parietes monasteriorum contineretur, Christiani Codices scribebant; et pleraque Scholia inedita, ipse vidi Leidensia et Franekerana, habent auctores Christianos, iidemque *Florilegia* sua, *viridaria*, *specula*, *prata*, *hortos*, et similes libellos sententiis, ex Horatio petitis, ornabant, Grammatici regulas, figuras, et praecepta metrica inde ducebant, Rhetores suam artem illustrabant. Ita Horatius, inde ab Augusto usque ad inventam et vulgo usurpatam Chalcographiam, nunquam plane, ne tum quidem fuit neglectus, quum multa aliorum poëtarum nomina ignora-

rentur, neque ullum esse credo scriptorem, cuius opera tam insigni numero scripta hodie exstent.

Poëta tam frequenti lectione per tot saecula repetitus et in scholis explicatus, neque ad intelligentiam omnium statim apertus, manus interpolantium effugere non potuit. Iam ante Suetonium ferebantur Elegi et Epistola sub titulo Horatii, quasi Maecenati se commendantis. Sed utraque falsa putabat Suetonius, quia Elegi vulgares, Epistola, prosa oratione, etiam erat obscura. Quamquam veteres poëtae in uno plerumque carminum genere, Heroico, Elegiaco, Didactico, vel Lyrico, excellerent, neque simul facultate orationis ligatae ac solutae multum valerent, nam lingua poëtica et prosa sunt quasi linguae diversae, Suetonio tamen, qui Elegos et Epistolam viderit, facile credo. Talia fingebant homines, ut bibliopolis venderent. A bibliopolis iterum emebant, qui exemplum auctius habere cupiebant. Eodem lucri faciendi studio tota carmina fingebantur, quorum auctores simul taciti gaudebant, sua pro Horatianis haberi. Vossius ad Catullum pag. 284. vidisse se ait MS. in quo Seneca quidam dicebatur auctor esse quatuor versuum initio Virgilianae Aeneidi additorum *Ille ego qui quondam:* quem Senecam idem in aliis fecisse dicit Vossius, et magnum fuisse bonorum librorum insessorem et interpolatorem. Ita bibliopolae utebantur cupiditate et ambitione Romanorum, qui, quamvis publicae exstarent Bibliothecae, instruebant privatas, libris innumerabilibus refertas, quorum dominus, ut dicit Seneca, ne indices quidem in tota vita perlegere posset: et tam attenti erant ad rem, ut ne doctis quidem hominibus ex antiquiore aliquo MS. copiam unius versiculi inspiciendi sine pretio facerent, ut legimus apud Gellium N. A. XVIII. 5. *Librum summae atque reverendae vetustatis, quem fere constabat Lampadionis manu emendatum, studio pretioque multo, unius versus inspiciendi gratia, conduxi.*

Praeter Horatium fuere Lyrici, cum ipsi aequales, tum posteriores, Antonius Rufus, Titus Septimius, Passienus

Paulus, Caesius Bassus, alii. Sed eos Romani non probaverunt, et Quintilianus, Horatium e Lyricis solum esse dignum qui legatur, iudicat. Suspicor nonnulla horum Lyricorum carmina, quae in tabernis iacerent intacta, hic illic Horatianis accessisse, eaque additamenta in optimis habenda, qualis v. c. est oratio Europae III. Carm. 27. *Unde quo veni?* Sic Trebellius Pollio in Triginta tyrannis narrat de Postumo Iuniore: *Fuit ita in Declamationibus disertus, ut eius controversiae Quintiliano dicantur insertae.* Et novimus Lyricos Horatium aemulatos, in eadem saepe materie elaboravisse. Plinius IX. Epist. 22. *Passienus Paulus nuper ad lyrica deflexit: in quibus ita Horatium, ut in illis illum alterum, effingi putes.* Neque a vero abhorret quorundam libellorum duplicem fuisse editionem, posteriorem ab ipso Horatio emendatam. Emendationem vocabulorum, versuum, et stropharum suo quisque codici annotabat; versus et strophas alii in textum transferebant, versibus suos addebant, ut ita strophae complerentur. Integras ipsius Horatii strophas inserebant, antiquis non sublatis. Hac ratione, Graeci διττογραφίαν vocant, multi poëtae sunt corrupti, et ineptis repetitionibus inquinati. Fieri potest, ut v. c. hinc profecta sit prima strophe II. Carm. 12. et varia lectio II. Carm. 18. *Mea renidet in domo lacunar*, et *Meis in aedibus nitet lacunar.* Denique, ne loquar de lacunis, quas in MS. aliquo inventas, in suo supplebant studiosi elegantiae, non facile addebant suum illud *opus explicit*, nisi omnibus paginis probe impletis. Mansit ea consuetudo primis inventae Chalcographiae temporibus et diu post. Sed veteres illi similia potissimum cum similibus coniungebant, non Horatium cum Cicerone, ut factum est in MS. quodam, ubi Libri IV. Carmen 7 subiicitur Ciceronis Officiis, quomodo etiam Ciceronem edidit I. Fust Moguntiae 1465. Nec vero deërat materies chartis, quae vacuae essent, occupandis. Multi Romani suos libros tenebant: edere vel ipsi negligentes, vel amicis relinquentes. Interim multa inde, saepe recitatione, enotesce-

bant, *et versus, non in corpus retracti, ut errones aliquem, cuius dicerentur, inveniebant*, quod in Octavio suo metuebat Plinius II Epist. 10. Saepe tamen auctoris nomen peribat. Anthologiae varia eiusmodi carmina *ἀδέσποτα incerti auctoris*, continent: ex quibus si v. c. Libri II. Epigr. CCLVI. Anthologiae Burmannianae legeretur in aliquo MS. Horatiano, nemini unquam in mentem veniret illud non habere germanum. Nam neque infra elegantiam Horatii, neque acerbitatem Epodorum est. Et quis novit, sicuti multa accepimus spuria, an non multis etiam genuinis simus privati? Variae res Horatio vivente acciderunt, quas eum non tacere potuisse dixeris, de quibus tamen nihil legimus. Qui ad Virgilium, Athenas proficiscentem, pulcherrimum carmen I. 3. scripsit, nonne eundem, in reditu mortuum, deflevisset? Qui Varii laudes poëticas tantopere celebravit, nihilne dixisset de Virgilio poëta, *animae dimidio suae*, quem opus Iliadi par in manibus habere sciebat? Et iure miratur N. Heinsius ad Silium Italicum VIII. 378. nullam mentionem esse factam vini *Setini*, quod Augustus omnibus praeferebat. Fragmenta quidem, quae hanc opinionem aliquatenus confirment, non inveni. Nam de versibus, qui apud Grammaticos reperiuntur, hos illi saepe mutabant, ut extenderent, quomodo aliud ex alio metrum oriretur. Et quam Beda de Orthographia pag. 2345. scribit: *Nonnulli tamen veterum ipsa carmina* soles *nominavere: sicut Horatius exorsus est: Soles meos omni Ecclesiae vestrae commendo;* hic non est Horatius Venusinus, sed fortasse Grammaticus aliquis Christianus et poëta, qui se antiquis poëtarum nominibus saepe ornabant. Ita Cornelius Gallus, Propertius, alii a veteribus cognomina sumserunt. Et Carolus Magnus in Schola Palatina appellabatur Davides.

Sed Horatius legebatur in Scholis, eumque interpretabantur non modo Grammatici, verum etiam Rhetores, quantum quidem faceret ad formandum oratorem, cuius rei utilitatem saepe Quintilianus in Institutionibus osten-

dit, et Tacitus de Oratoribus cap. 20. *Exigitur iam ab oratore etiam poëticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus.* Ita Titianus et Calvus, ut scribit Servius ad Virgilii X. Aen. 18. *themata omnia de Virgilio elicuerunt, et conformaverunt ad dicendi usum, et in exemplo controversiarum posuerunt has allocutiones, dicentes, Venerem agere statu absolutivo, Iunonem niti statu relativo.* Ex eodem Servio ad X. Aen. 532. discimus rhetorem, qui in Virgilium declamationes scripsit, de loco isto sic dicere ex persona Aeneae: *Improbus es, qui aut regi dones, aut filios exhaeredes.*

Praecipue autem interpretandi munus sibi vindicabant Grammatici, explicantes significationem verborum, sententiam versuum, mythologiam, historiam, geographiam, metrum, de quibus rebus plerumque dictabant. Sed iidem Grammatici faciebant poëticam, et docebant. Ita Q. Caecilius Epirota, qui Virgilium et novos poëtas primus praelegit, a Domitio Marso appellatur *tenellorum nutricula vatum: et Valerius Cato visus est peridoneus praeceptor maxime ad poëticam tendentibus*, de quo ferebantur hi versiculi apud Suetonium de Illustr. Grammat. XI. *Cato Grammaticus Latina Siren, Qui solus legit, et facit poëtas.* Magistri discipulis exemplo praeibant, ut Horatii recte imitandi modum ostenderent. Ausonius in Profess. Burdig. 21. de Crispo: *Creditus olim fervere metro, Ut Virgilii Flaccique locis Aemula ferres.* Et Atilius Fortunatianus pag. 2685. *quid refert*, inquit, *hunc poëtam imitari, tenere, diligere, si non omnes virtutes eius penitus cognoveris?* Varietas metri Lyrici eos praecipue alliciebat, et sibi videbantur felices erantque in magna admiratione, si et ipsi, quae vellent, versibus Choriambicis et Alcaicis exprimere possent. Hinc glossae provenere metricae. Horatius v. c. dixerat: *Nil mortale loquar:* hoc versu interpretabantur *Nil parvum aut humili modo.* Diomedes II. p. 101. ita docet quid sit *enarratio: Obscurorum sensuum quaestionumque explanatio*

vel exquisitio, per quam uniuscuiusque rei qualitatem poëticis glossulis exsolvimus. Obiiciebatur dictum aut sententia propter acutam brevitatem obscurior, amplificabant. Idque in Geographia, Historia, et praecipue in Mythologia fiebat frequentissime. Has laudes ita expressit Ausonius in Prof. Burdigal. *Ambo loqui faciles, ambo omnia carmina docti, Callentes mythôn plasmata et historiam.*

In ipsa Horatii imitatione, iubebant eandem sententiam aliis verbis eodem metro dicere, locum communem ex philosophia elaborare, dicentes *de temperantia, contra avaritiam*, rei alicuius imaginem depingere, describere pugnam, fingere orationem, et similia argumenta ex ipsis, quae legebantur, carminibus petita, quae adeo iisdem carminibus apte inferciri poterant. Nota sunt in his exercitationibus vocabula *Themata, dictiones, loci, allocutiones*, et exempla inveniuntur in Anthol. Burm. T. I. pag. 145. ubi v. Burmanni annotationem, et Heins. ad Claudiani Epigr. XXXVI. *Orationes* etiam *verba* dicebantur, et sicuti Rhetores argumentum Declamationis hac v. c. formula proponebant *Τίνας ἂν λόγους εἶπον Ἀχιλλεύς*, et Hannibal pueris erat *declamatio*, ut dicit Iuvenalis, idem faciebant poëtae. In Anthologia leguntur *verba Achillis in Parthenona, dum tubam Diomedis audisset.* Hinc in Carminibus toties idem argumentum, easdem imagines, et sententias, verbis paullum mutatis, invenimus. Quod merito reprehendit Scaliger.

Interdum nova dabantur argumenta: v. c. *Horatius Maecenatem ad coenam invitat: Horatius se commendat Maecenati:* et cum argumento simul metri genus constitutum. Ad has exercitationes discipulos laude et praemiis incitabant: sed maius erat publicum incitamentum. Nam, qui in certamine Capitolino carmine vicerat, is quercu coronabatur; multis praeterea poëtis statuae erant positae. Magistri, exploratis discipulorum carminibus, sua recitabant. Haec a discipulis cupide excepta, exemplaribus Horatii addebantur, primum separata, vel in

margine, deinde sensim, ut fit, Horatianis interspersa, tandem pro Horatianis vendita et aestimata. Quodsi hic illic, Romae praecipue, exempla emendatiora exstiterint ex vetere aliqua recensione, ea Mavortius et Magister Felix non viderunt a. 530. quo Horatius iam additamentis istis inquinatus, manibus hominum versabatur. Ex tam corruptis exemplis et recensio Agorii, et omnia, quae adhuc innotuerunt MSS. originem ducunt. Exempla illa emendatiora iam brevi post mortem auctorum fiebant rara. Hyginus usus est libro qui fuit ex domo atque familia Virgilii. Hoc A. Gellius N. A. I. 21. quasi magnum aliquid narrat. Hyginus tamen fere aequalis Virgilio vivebat. Grammaticus multi nominis, Fidus Optatus, eidem Gellio ostendit librum Aeneidos secundum, mirandae vetustatis, emtum in Siggillariis, viginti aureis, *quem ipsius Virgilii fuisse credebatur.* v. Gellius Noct. Attic. II. 3. *Credebatur.* Itaque res non certa. Et quam miranda vetustas? Fidus ille Optatus Gellio aetate erat maior. Gellius iam florebat a. 120. Igitur MS. centum fere annorum erat mirandae vetustatis. Praeterea Romae diu ante Mavortium multa acciderunt libris et Bibliothecis perniciosa. Ne dicam de odio Caligulae et Hadriani adversus praestantissimos historicos, oratores et poëtas, qui ante Augustum et Augusto vivente fuerunt, ut taceam bella et populorum barbarorum incursiones in Italiam, quam multa incendia magnas urbis partes deleverunt? Imperatore Tiberio flamma bis saeviit; Nerone, per septem noctes et sex dies; Vitellio, arsit Capitolium; Tito, ignis triduum et totidem noctes grassatus est; Commodo, plurimos dies. Tot incendia tam diu continuata, quantam librorum multitudinem in domibus privatis, quantam in Bibliothecis publicis deleverunt? Novimus varia templa conflagrasse. In templis autem erant Bibliothecae. Ita combustae sunt Octavia, Palatina, Capitolina, aliae. Atque metus incendiorum tantus erat, ut nonnulli libros suos in thermas et balnea portarent, loca, propter parietes lapideos densiores et aquae copiam tuti-

ora. Quare numerus bonorum MSS. insigniter minutus est, et una aetas, semper altera peior, stirpem procreavit vitiosiorem, qualis universa iam erat ante Mavortium. Ipsa autem illa existimatio, qua Horatium omnes omnium temporum eruditi habebant, eos incitabat, ut pro exemplis flamma vel alio modo amissis, nova, unde possent, semper instruerent.

Triplex erat, ut vidimus Grammaticorum officium, scriptores explicare, pravas lectiones corrigere, versus adulterinos obelo configere. Multi autem singulas tantum partes triplicis officii sumebant. M. Valerius Probus apud Suetonium de Illustr. Gramm. Cap. 24. *multa exemplaria emendare ac distinguere et annotare curavit, soli huic, nec ulli praeterea Grammatices parti deditus.* Opera Mavortii et Felicis non ultra emendationem sui exemplaris progressa est. Antiqui Commentarii, credo, non amplius apparebant, contracti iam et corrupti in ieiunitatem Scholiorum, qualia fere nunc habemus, quae Acro et Porphyrio et deinde alii iterum in compendium redegere. Aetas enim auctorum ex Scholiis confici non potest, quia posteriores e prioribus ea excerpebant, quae ipsis placerent, non addito nomine cuius essent, sine iudicio et ratione: quae semper indoctiores ad literam describebant, Graeca Latinis literarum ductibus, quantum possent, adumbrantes.

Antiqui interpretes, quos nomine tantum cognovimus, fuere C. Acmilius, I. Modestus, et Terentius Scaurus. Qui de *personis scripserint*, quos memoravit Porphyrio, ignoramus. Neque de Acrone, Porphyrione, et Commentatore Cruquiano certi aliquid constat. Videamus de emendatoribus, Mavortio et Felice.

Mavortius, absoluta carminum Horatianorum recensione, usitatam formulam subiunxit: VETTIVS AGORIVS BASILIVS MAVORTIVS V. C. ET INL. EXCOM. DOM. EXCONS. ORD. LEGI ET VT POTVI EMENDAVI. CONFERENTE MIHI MAGISTRO FELICE ORATORE VRBIS ROMAE. - *Mavortius*, qui et *Maburtius* appellatur ex Graeco

Μαβόρτιος, consul fuit a. 527, Iustino et Iustiniano Imperatoribus, et quidem solus, *μόνος*. Praeterea nihil de Mavortio ex Fastis et Chronicis discimus. v. Relandi Fast. Consul. p. 694. Erat etiam, quod MSS. Horatiana ostendunt, *Ex Comite Domestico.* Neque ipse a faciendis carminibus abstinuisse videtur, siquidem illius sit *iudicium Paridis* in Anthol. Burm. T. I. p. 103. conflatum ex centonibus Virgilianis. Cuperus in Dissert. de Elephant. pag. 165. dicit se vidisse MS. in quo erant multa carmina inedita cum aliorum, tum *Maborti* et *Flavii Felicis.* Denique in veteri inscriptione apud Valesium ad Ammian. Marcellini XIV. 8. memoratur *Vettius Agorius, Praetextatus, legatus amplissimi ordinis, et ad impetrandum rebus arduis semper oppositus.*

Qui Mavortium adiuvit in Horatio emendando, fuit *Magister Felix, orator urbis Romae.* Bentleius se ignorare fatetur, quis sit ille Felix. Et ego frustra quaesivi. Nam si esset Flavius Felix, qui in antiqua Inscriptione appellatur *Com. ac. Mag. utrq. mil. patr. et Cos. ord.*, et a. 511. cum Secundino Consul fuit, Mavortius, puto, tam addidisset hos titulos, quam *oratorem urbis Romae*, et suos ipsius addidit. Si Felix alios postea demum acceperit, consul certe iam fuerat. Sunt in Anthologia Burmanni T. I. pag. 481. epigrammata quaedam *Felicis v. c.* Ibi Burmannus nostri Felicis meminit. Neque tempora obstant. Nam laudantur Thermae a Thrasamundo factae. Thrasamundus autem, rex Vandalorum in Africa, floruit ab a. 496—522. Et in Africa aliquando habitare potuit Felix, ubi tunc multi erant poëtae, quorum carmina partim in Anthologiis reperiuntur, partim inedita sunt. Neque Karthagine ignotum erat nomen *Oratoris:* nam memoratur *Favonius Eulogius, orator almae Karthaginis.* Sed iste Felix dicitur *vir clarissimus*, quod non adeo est oratoris, sed *consulis.* Fertur et aliud Epigramma *Fl. Felicis v. c.* in Anthol. Burm. T. II. pag. 680. Quod autem Burmannus dicit, Magistrum Felicem etiam emendasse Codicem Martiani Capellae, hoc ego non affirmaverim. Nam ver-

ba, quae Sirmondus ad Ennodium I. Epist. 19. in illo Codice legit, *Securus Memor Felix*, *V. sp. Com. Consist. Rhetor R.*, ea alii rectius constituerunt *Securus Melior Felix Asper*, de quo vide ipsum Burmannum ad Valesii Criticam pag. 181.

Haec de Mavortio et Felice. Mavortii quidem gesta munera quid significent, non obscurum est. Felix erat *orator urbis Romae;* orator significat idem quod olim *rhetor*. v. Ruhnk. Praefat. Rutilii Lupi pag. XXVI. Cur autem Felix appelletur *Magister*, non statim apparet. Nam in regno Byzantino multa erant munera, quibus praepositi appellabantur *magistri*. Forte fuit Magister *Officiorum*, vel *scriniorum:* ut etiam de Grammatico Graeco *Thoma Magistro* coniicit Normannus. Quamquam *magister*, non addito muneris nomine, vulgo intelligebatur *officiorum*, (vide Du Cangium) qui honos non erat exiguus, ut neque *patriciatus*, omnium fere maximus. v. Heins. Praefat. Virgil. p. XI. Sed emendare scriptores, viros in quavis civitate principes, nunquam puduit. Ita, ne dicam de antiquioribus, Flavianus Nicomachus *v. c.* Macrobium, Turcius Rufius Apronianus Asterius *v. c. et inl. excom. Domest. Protect. Excom. priv. largit. Expraef. Urbi*, *Patricius et Consul* Virgilium, Iulius Celsus *vir cl. et comes* Iul. Caesarem, Rusticius Helpidius Domnulus *v. c.* Valerium Maximum emendaverunt.

Mavortius non significavit, ubi Horatium emendaverit, quod alii saepe addebant, ut *Domnulus Ravennae*, *Nicomachus Flavianus apud Hennam*. Sed sine dubio vixit Constantinopoli, quo etiam Felix concessisse videtur, otio in Italia turbato propter bella Odoacris, Theodorichi, et deinde Iustiniani a. 489—552. Constantinopoli igitur *legit Horatium et, ut potuit, emendavit, conferente Magistro Felice*. Habebat uterque exemplum, in quo Carmina Horatii erant scripta. Mavortius suum legit, hoc est *recitavit*. Nam altera *legendi* significatio, quae est praelegendi et explicandi in Scholis, ut faciebant Grammatici, hic non convenit. Hanc significationem illustra-

verunt Casaub. ad Suetonii Grammat. 16. et Wouwer. in Polymathiae cap. 4. Recitante Mavortio, Felix suum exemplum inspiciebat, et lectionum diversitatem indicabat. Hoc enim est *conferre*, Graece ἀντιβάλλειν et παραναγιγνώσκειν, quod etiam *contra legere* appellabatur, ut in MSS. Martiani Capellae apud Sirmondum ad Sidon. Apollin. pag. 61. *Felix Rhetor emendabam, contra legente Deuterio Scholastico, discipulo meo.* Tum constituebant lectionem, quae vera ipsis videbatur, et Mavortius suum exemplum emendabat.

Si haberemus illud ipsum MS. a Mavortio emendatum, ut habemus Codicem Virgilii ipsa manu Asterii Consulis a. 494. correctum, in quo Codice, ut testatur N. Heinsius, passim emendationes conspiciuntur, appareret quantum Mavortio deberemus. Nunc praeter coniecturam nihil superest. Ubi consideramus tempora Mavortii, et videmus omnia, quae supersunt, MSS. Horatiana in paucis tantum a se invicem differre, operam Mavortii et Felicis haud ita magni fuisse momenti iudico. Optimi poëtae saeculo V. fuerunt Rufus Festus Avienus, Claudius Rutilius, et initio VI. Boëthius, non ille indignus Augusta aetate, ethnici omnes. Caeteri Christiani, Prudentius, Prosper Aquitanus, Sedulius, Dracontius, Sidonius Apollinaris, Paullinus, Ennodius, res Christianas et doctrinam novo dicendi genere ex libris sacris petito explicantes, novum poësios genus constituerunt, a Romano plane diversum. Christianos poëtas Christiani ethnicis longe praeferebant, quare iudicium de vera Latinitate ita corruptum est, ut discrimen inter Horatium et Paullinum solo argumento metirentur. Mavortius et Felix, etiam Christiani, non, ut veteres illi Critici, erant literatissimi, neque usu et legendo hoc consecuti, ut formam sui poëtae mente tenentes impressam, dicere possent, „hic versus est Horatii, hic non est." Sed carmina et versus spurios, ita ut in exemplo suo inveniebant, reliquerunt intactos. Addidissent potius, credo, nonnulla, quam delevissent. Itaque emendarunt tantum cor-

ruptelas in singulis vocabulis a festinatione et imperitia describentium ortas. Quae imperitia quanta saepe fuerit, ut supra verbis Ciceronis declaravi, eandem nunc libet mihi declarare verbis Senecae de Ira II. 26. *Ex prioribus quaedam sine sensu sunt: ut librum, quem minutioribus literis scriptum saepe projecimus, et mendosum laceravimus.* Incidit ergo Mavortius in Codicem spuriis iam inquinatum. Et spurii versus non sunt monachalis ingenii, ut interdum dicuntur, sed elegantiores plerique, quam pro isto captu. Tam inquinati et reliqui codices erant, ex quibus omnia MSS. quae hodie habemus, manarunt. Nam non credibile est, quod nonnulli statuunt, omnia MSS. fluxisse e sola illa Mavortii recensione. In paucissimis enim addita sunt illa: *Vettius Agorius emendavi*; et, quamvis alterum ab altero non ita differat, ut aliquam maioris momenti varietatem deprehendamus, nonnulla tamen ex alio fonte derivanda esse apparet; ubi v. c. duo carmina vel coniunguntur, vel unum in duo separatur, vel Carmina, Epodi, Ars poëtica, Sermones et Epistolae alio ordine leguntur, vel nonnullae meliores lectiones in hoc quam in altero reperiuntur. Praeterea librarii omnia, quae in MS. legebantur, describebant, ne illud quidem, *Mavortius emendavi*, omittentes. V. Rykius in Praefatione Taciti, et Heynius in Praef. Virgil. p. XXVII. Quae verba *Mavortius emendavi* quum in paucissimis tantum exemplis reperiantur, alia aliunde orta sunt. Viri docti, in his Relandus in Fast. Consul. pag. 496. verba Bentleii non recte intellexerunt. Bentleius in Praefatione scripserat: *ut Virgilium ex Asterii, ita Flaccum ex Mavortii recensione hodie habemus.* Voluit Bentleius, ut Asterium carmina Virgilii, ita Mavortium Horatii aliquando recensuisse, easque recensiones ad nos pervenisse.

Nam satis constat alia MSS. Virgiliana a Cod. Mediceo, in quo emendationes Asterii notatae sunt, in multis abire, et plures habere versus. Praeterea tenemus ipsam Asterii manum, et Codicem anno 494. antiquiorem, quum Horatiana MSS. vix ante saeculum x. sint confecta.

Atque ea MSS. similitudo et variarum lectionum inopia rationem Horatii emendandi fecere etiam difficiliorem, adeo ut longe maxima pars interpretum in explicatione substiterit, et alii alios sequentes, antiquam explicationem, interdum paullo mutatam, auctam, ornatam, ediderint, quam pueri et adolescentes audimus, ac deinde Horatium animi caussa subinde legentes, facile ac lubenter pro vera habemus. Quorum ego interpretum rationem, tantum abest ut probem, ut unam ingeniosam Bentleii coniecturam longis de sententia versus disputationibus saepe multum praeferam. Si Horatius tam obscure et negligenter scripsit, ut centeni homines eruditi sententiam carminis et singulorum versuum probabiliter explicare non potuerint, legi non dignus est.

Plurimi sine dubio mirabuntur, me tot versus spurios eiecisse, de qua re nemo ex tanta tam doctorum hominum multitudine, ne Bentleius quidem, cogitaverit. Sed hi, credo, mirari desinent, si audiverint, quae dicturus sum. Ruhnkenius in Epist. Critica I. pag. 5. universe disputans, quomodo factum sit, ut hanc Critices partem recentiores tam turpiter neglexerint, dicit: *Primum complures ex his, qui ad veteres auctores castigandos accedunt, hebetiore sunt ingenio, et ab ipsa natura ad eam inertiam abiecti, ut plane tam severi res iudicii ab iis tractari nequeat. Tum saepe etiam hi, quos ingenii sagacitas et interioris doctrinae cultus supra vulgus evexit, tamen hanc viam vel non ingrediuntur, vel ingressi pedem offendunt, propterea quod in veterum monumentis evolvendis desultoria levitate vagantur. Atqui nemo, modo hunc, modo illum auctorem arripiens, nec cum ullo intimam familiaritatem contrahens, falsa et supposititia distinguat a legitimis et germanis. Is demum se sciat ad hanc iudicandi facultatem perventurum, qui saepius repetita lectione in iustam scriptoris consuetudinem venerit, eiusque ingenium dicendique formam ita cognorit, ut, quid γνήσιον, quid ὑποβολιμαῖον sit, sentire et quasi gustare possit. Nam saepe haec sentiuntur facilius,*

quam verbis explanantur. Denique multo plurimos nescio quae puerilis incessit superstitio, ut non audeant ea supposita dicere, quae tot homines eruditi tot saeculis pro veris et germanis habuerunt. Quo hominum genere, nescio, an nullum sit impudentius, et literis nobisque magis molestum. Nam quod angustiae pectoris sui non capiunt, non solum gravi supercilio damnant, sed etiam invidiose clamant, hoc demum esse urere, secare, mutilare. Quoniam me tam libere de ista interpretum negligentia queri non decebat, quamvis longiora Ruhnkenii verba citavi. Et de aliis Horatii enarratoribus tacebo, quorum laudibus nihil omnino detractum velim, et si mihi dictum exciderit, quod non satis modestum videatur, quamquam studiose caverim, hoc indictum cupio; sed in uno Bentleio abunde omnia erant, quae Ruhnkenius postulabat, et ipse Ruhnkenius Bentleium cum Iosepho Scaligero et N. Heinsio honorificentissime excipit. Cur illi igitur non fecerunt, qui potuissent? De Scaligero et Heinsio facile est responsum, neque de Bentleio admodum difficile. Scaliger et Heinsius Horatium non eo consilio legerunt, ut in lucem ederent, neque adeo assidua lectione triverunt, ut intus, quod dicitur, et in cute pernoverint. Aliud est, difficultatem loci unius felicissima coniectura expedire, quod subito fit, ab iis etiam, qui Horatium nunquam antea legerint: aliud, diuturna meditatione formam et consuetudinem ita tenere perceptam, ut sentias falsum, et quid solidum crepet, quid non crepet, aure distinguas. Bentleius de se ipse loquatur: *Qualiacunque vero haec sunt, aestivis tantum mensibus (ita tamen ut uno alteroque biennio fuerint prorsus intermissa,) et primo impetu ac calore sine lima curisve secundis descripta, sic madida fere charta ad typographos deferebantur.* Commentarii igitur Bentleiani, quamquam divinum opus, subitum tamen opus sunt. Explicationem, quippe ab aliis satis tractatam, retractare noluit. Quodsi Horatium eo quoque consilio semel tantum legisset, versus adulterini hanc sagacitatem non latuissent. Bis tamen, ni fallor, hoc genus

Critices adhibuit, in IV. Carm. 8. 17. Ubi *se agnoscere*, ait, *versum Monachalis plane genii et coloris:* et in Epod. V. 87. *quem, ut spurium et interpolatum, sola spongia sanari posse, nulla alia medicina.* Atque in istis locis opus erat explicatione, quam cum in aliis minus curaret, de spuriis ei in mentem non veniebat. De qua re caeteroquin quid censeret, satis in Manilio ostendit. Quam verum autem sit, oportere aliquem de ista librariorum fraude cogitare, ni imprudens et aliud agens falsa pro veris accipiat, testimonio est Valckenarius. Ruhnkenius in Epistola Critica de Hymnis Homeridarum multos versus subdititios expulit. Consultus ab eo Valckenarius, qui et ipse Hymnos diligentissime lectos probe intelligebat, interdum respondit: *Spurios esse monitus non dubito: dubitanti consensum extorques.* Et quum Ruhnkenius paullo calidius scripsisset: *hi versus sunt adeo inficeti, ut, qui aliquem harum literarum gustum habeat, non possit non interpolatoris manum agnoscere;* Valckenarius placide: *Cogita, quaeso, quantum fuerit hominum eruditissimorum, qui hos versus legerunt ut genuinos. Ad spuria secernenda de genuinis, minus animum hactenus attenderunt.* Haec ex epistolis Valckenarii et Ruhnkenii a Mahnio nuper editis. Ad hanc igitur Critices partem recte exercendam, primum requiritur animus fraudi deprehendendae intentus; deinde consuetudine, forma, et habitu scriptoris adeo imbutus, ut, quidquid ab his diversum sit, eo statim afficiatur, idque sentiat. Hunc sensum explicare atque in alios transfundere interdum difficile est. Quare nonnulli iudicio sensus minorem tribuunt auctoritatem, quam par est. Non ignoro perversum eius adhibendi usum, et multos in eo fuisse nimios: sed hoc rem ipsam neque minuit neque tollit. Wyttenbachius Opusc. T. I. pag. 464. homines in hac caussa difficiliores, verissime ita monuit: *Si forte rationum mearum vim minus perceperint ac senserint, secum reputent, hunc sensum non nisi longo Auctoris usu comparari, nec rationibus explicandis in aliorum animos infer-*

ri, sed auctoritatis instar obtinere; igitur si usum mihi concedunt, necesse esse, ut etiam sensum mihi concedant, eiusque auctoritatem apud se valere patiantur.

Praeter duo loca a Bentleio, pauca alia ab aliis fuere notata. Versus qui leguntur IV. Carm. 4. 19—22. primum Lambino fuere suspecti. Tanaquillus Faber mirabatur eos ab Horatio esse scriptos, et factum nolebat. Guietus delevit, cum Guieto Sanadonus, deinde alii. Neque hodie, credo, quisquam aliter iudicabit. In III. Carm. 17. versus 2—5 Sanadonus expungit; hoc laudarunt Ionesius, Ianus, neque improbavit Gesnerus. Atque idem ille Franciscus Guietus multo plures Horatio suppositos iudicavit, ut cognovi ex Sanadono, non addita, ut videtur, iudicii caussa, vehementer a Sanadono reprehensus, non refutatus. Unde Sanadonus istas Guieti annotationes acceperit, in editione a. 1756. explicatum non video: fortasse Sanadonus explicavit in editione a. 1728. quam ipse curavit. Huius inspiciendae mihi nunc copia non est. Guietus, vir multi iudicii et doctrinae, de quo operae pretium est legere Baylium, quae ipsi antiquos scriptores legenti in mentem veniebant, ea in marginibus exemplorum scribere solebat: edidit nihil. Mortui Guieti omnes libros emit amicus Menagius. Menagii Bibliotheca, ut et Huetii, tota facta est, emtione an donatione, Iesuitarum. In ea erat exemplum Horatii, in quo Guietus spurios versus notaverat, quod Sanadonus vidit. Bibliotheca Iesuitarum mense Decembri a. 1763. Parisiis publice vendita est: et ex praefatione isti Catalogo praemissa, haec de libris Guieti et Menagii cognovi, quae ex Baylio, Saxio et aliis frustra cognoscere studui. Atque opinionem Guieti de singulis versibus et strophis tum demum vidi, postquam meas annotationes absolveram. Paucis exceptis, omnia eadem deleveram. Anno MDCCLXXVIII. Caspar Pallavicini Romae in Bibliotheca Palatina invenit duo Carmina, adiecta ad finem libri primi, adeoque Carmen XXXIX et XL. Haec Carmina secum a Franco communicata edidit Villoiso-

nus ad Longi Pastoralia pag. 311, deinde Ianus et alii, licet iam in editione quadam Pragensi a. 1760. exstare dicantur. Sunt valde inepta, et omnes Horatio abiudicant. Quare? Quia in nullo antiquiore MS. inveniuntur, et in recens inventis homines acutius vident, animumque et aures applicant. Iam finge ea apparere in omnibus MSS. etiam in iis quae ex recensione Mavortii profluxere; si pignore de tali re posset contendi, ego quovis contenderem, Carmen saltem XXXIX. adhuc habitum iri pro Horatiano. Nam in Horatianis nunc etiam nonnulla conspiciuntur, quae non meliora sunt, v. c. I. 20. I. 30. II. 11. III. 8. III. 14. IV. 17. Sed eiusmodi Carmina, Commentariis illustrata, quandam antiquitatis speciem ipsa nanciscuntur, quo fit, ut de detrahenda fucato capiti persona securi simus. Exempli caussa explicabo Carmen XXXIX tamquam opus ipsius Horatii.

LIBRI I. CARMEN XXXIX.

AD IULIUM FLORUM.

Discolor grandem gravat uva ramum:
Instat Autumnus; glacialis anno

Ad Iulium Florum. Horatius in brevi hoc et venusto carmine Iulium Florum, amicum, hortatur, ut, autumno instante, hilariter secum vivat, curas ventis tradat, et aequam mentem in rebus tristibus servet. Mortem, serius ocyus, certo pede advenire. Ad eundem Florum scripta est Libri I. Epistola 3, et Libri II. Epistola 2. Fuit autem iste Florus in Cohorte Tiberii Neronis, et scriptor Satyrarum, ut discimus ex Scholiastis.

Discolor. Eleganter uva appellatur *discolor*, quando maturescere incipit. Horat. II. Carm. 5. idem sic expressit: *lividos Distinguet Autumnus racemos Purpureo varians colore.*

Grandem gravat. Soni in utraque voce similitudo habet antiquam gravitatem. *Alliterationem* vocant Grammatici. Multa sunt exempla in fragmentis Tragicorum Romanorum, neque Plautus nec Terentius istam elegantiam nesciverunt. Accius: *Deum*

Mox Hiems volvente aderit, capillis
Horrida canis.
Iam licet Nymphas trepide fugaces
Insequi lento pede detinendas;
Et labris captae, simulantis iram,
Oscula figi.
Iam licet vino madidos vetusto
De die laetum recitare carmen;
Flore, si te des, hilarem licebit
Sumere noctem.
Iam vide curas aquilone sparsas!
Mens viri fortis sibi constat, utrum

regnator noctis caeca coelum e conspectu abstulit; et: *Scamandriam undam salso sanctam obtexi sanguine.*

Anno volvente. Quia annus in orbem redit. Virgil. I. Aen. 234. *volventibus annis.* Reddidere Romani Homerica ista περιτελλομένων et περιπλομένων ἐνιαυτῶν.

Iam licet Nymphas. Talia sunt Virgilii: *Et fugit ad salices et se cupit ante videri.* Et apud Horatium alibi *risus proditor* et *anulus ereptus digito male pertinaci.* Sic apud Ovidium pugnat puella, *tamquam quae vincere nolit.*

Si te des. Si te mihi tradas, et tristitiam mecum deponas. Σαυτὸν βυρσοπώλησιν δίδως est apud Aristophanem in Equitibus. Latinam formulam illustravere Heins. Adversar. p. 14. et Marklandus ad Statii Silvas, I. 4. 49.

Hilarem licebit sumere noctem. Exquisita Latinitas. Terent. Adelph. II. 4. 23. *Hilarem hunc sumamus diem.* Nonnulla, huc pertinentia, diximus ad I. Carm. 1.

Curas aquilone sparsas. Pulchre dictum. *Iam sparsae sunt.* Minus esset, *iam spargentur.* Sunt autem de Graeco fonte. Anacreon: Ἐμῶν φρενῶν μὲν αὔραις Φέρειν ἔδωκα λύπας. Horat. I. Carm. 26. *tristitiam et metus Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis.*

Mens viri fortis. Fortis est firmus et constans in re adversa. *Animosus et fortis* Horatius alibi coniunxit. *Sibi constat*, qui semper idem est. Ita Cicero et optimi scriptores loquuntur.

Utrum serius. Locus corruptus, facile tamen restituendus. Sententia postulatur haec: Vir fortis semper est aequa mente, sive mors veniat citius, sive se-

Serius leti citiusve tristis
Advolat aura.

rius. Horatium scripsisse puto: *Mens viri fortis sibi constat, atra Serius leti citiusve tristis Advolet hora. Serius citiusve*, ut Horatius alibi: *Serius ocyus sors exitura.* Ovid. X. Metam. 32. *Serius aut citius sedem properamus ad unam. Hora* etiam est coniectura Bothii. Tibullus, summus Horatii amicus, fecit ut *horam* excogitaverim. Tibull. III. 5. 5. *Seu mihi Persephone nigram denuntiat horam.*

Quodsi tali Commentario interpretes alii sua identidem addidissent, novaque huc illuc accessisset coniectura, hodie, credo, insipidum carmen in multitudine aliorum lateret: fere ut duo tres numi adulterini, in comitatu et praesidio aureorum, oculos Alphei alicuius mentito splendore praestringunt, neque is cogitat in Lydio probare lapide, aut sonum auribus experiri. Nunc carmen meum stat solum et nudum, et una turbae clamantis vox est, *prehende furem.* Si itaque ostenderem hoc carmen esse spurium, rem plane supervacuam agerem, quia nemo dubitat. Quod autem in aliis carminibus et versibus, Horatio aeque indignis, feci, hoc multi inique ferent, et me sine modo ac more in poëta Venusino esse grassatum, et rem periculosi fecisse exempli, dolebunt. Rumores nunquam extimui, quin, quod verum mihi esse videretur, id omne proferrem. Iustis argumentis refutatus, semper gavisus sum, et nunc gaudebo. Sic enim et ipse aliquid didicerim, et per me didicerint alii. Molestis censorum disputationibus non respondere certum est. Video enim quoddam hominum genus in retinendis MSS. lectionibus tam severum esse et tenax, ut in explicando ineptire malint, quam vel elegantissimam accipere coniecturam. Itaque eadem semper chorda oberrant, et cramben centies recoctam iterum recoquunt. Non invideo, dummodo meam me tenere viam patiantur. Neque Horatius tali interprete egebat, sed eo, qui nova et indicta proferret, si forte

difficultates, a nemine expeditas, tollere posset. Idque operam dedi, nec dicere queo, quoties ex annotationibus meis omne illud deleverim, quod postea ab aliis iam occupatum deprehendi. Et tamen vereor ne nunc etiam reliquerim, quae et alibi legentur. Qui cogitent immensam editionum copiam, hi intelligent, quam difficile sit, vel omnes interpretum sententias et allata veterum scriptorum loca memoria tenere, vel semper perquirere.

Eandem rationem secutus sum in libris MSS. et annotationibus Broukhusii, Oudendorpii, et aliorum nondum editis. Varias lectiones a Bentleio iam prolatas, tacui, nisi in aliis MSS. repertas. Edidi autem lectiones quoque maxime corruptas, quia ex illis interdum vera scriptoris manus restitui potest. Ex Broukhusio et Oudendorpio ea excerpsi tantum, quae nova videri poterant. Oudendorpius in Academia Leidensi a. 1753. ni fallor, auditoribus suis librum primum Horatii explicavit, tam docte, eleganter et accurate, ut, nisi optimas annotationes commentario Appuleiano inseruisset, consilium Horatii edendi habuisse videretur. Saepe dicit se de re aliqua plura esse allaturum ad libros II. III. et IV. Sed eas annotationes in Bibliotheca Leidensi non vidi. Non credo Oudendorpium absolvisse, vel adeo inchoasse. Saepe contra Harduinum disputavit, ut mos erat illis temporibus, quod argumentum nunc quidem exhaustum est: neque Harduinus cogitavit, pleraque Horatii MSS. esse antiquiora quam illud tempus, quo carmina a Monachis esse ficta credebat. Et plures in patria nostra fuerunt, qui de Horatio edendo cogitaverint. De Broukhusio narravit amicus Davides Hoogstratanus in Vita illius pag. 21. Burmannus de se ipse declaravit in Praefatione Phaedri a. 1727. pag. 5. ut etiam L. Santenius ad Terentiani Mauri vs. 2958. Neque dubito, quin plures fuerint, si iudicare liceat ex ingenti editionum numero, in quibus sua observata scripserunt. De Broukhusio dixi. Dictata Burmanni, et editionem Spilimbergii congesto undique apparatu plenam, vidi. Nihil omnino erat, quod Burmannus, nunc vivens,

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER PRIMUS.

CARMEN I.

Maecenas atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum!

CARMEN I.

O et praesidium et dulce decus meum. Video hunc versum ab interprete ad Sophoclis Trachin. vs. 743. ita scribi: *O desiderium et dulce decus meum.* Nescio utrum errore memoriae, an ex Turnebi Advers. XXVI. 7. In Horatio certe nihil mutandum est. Sallust. B. Iug. 19. *Coloniae Phoenicum, brevi multum auctae, pars originibus suis praesidio, alias decori fuere.* Auctor libelli II de Ordin. Republica: *Nos te genuimus, Caesar, decus praesidiumque nobis.* Cicero III. ad Diversos Epist. 10. *Obliviscerentur patroni omnium fortunarum ac rationum suarum, praesertim cum tu omnibus vel ornamentis vel praesidiis redundares.* Tacit. de Mor. Germ. 13. *Magno semper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello praesidium.* Seneca Herc. Oeteo vs. 749. *Decus illud orbis atque praesidium meum.* Plin. Paneg. 14. *Hic, non subsidium itineris, sed decus subsequebatur.* Neque aliter legerunt Servius ad Virgil. II. Georg. vs. 40. et Atilius Fortunatianus pag. 2675.

Sunt, quos curriculo pulverem Olympium
Collegisse iuvat; metaque fervidis

Sunt quos curriculo pulverem Olympium. Totum hoc initium multis difficultatibus impeditum est, quas nemo interpretum adhuc explicare potuit. Iam Guietus, et quid post Guietum non tentarunt? his, ut videtur, difficultatibus praecipue motus, putabat omne carmen non esse Horatii. Ego aliam viam ingressus, septem versibus deletis, dignum poëta Romano carmen effeci. Praeterea censeo unum versum sic esse transponendum: *Hunc si mobilium turba Quiritium Certat tergeminis tollere honoribus, Terrarum dominos evehit ad Deos.* »Hunc, si Quirites certatim honoribus ornant, Deum faciunt. Hic per Quirites fit Deus, felicissimus.'' Incerta et perturbata constructionis ratio interpretes unice torsit. Oudendorp. etiam in Annott. MSS. longa disputatione ostendit vulgata ferri non posse, et legit: *palmaque nobilis Terrarum dominos si evehit ad Deos. Hunc* (sc. juvat) *si mobilium sq.* ac postea Withovium in Specim. Gunther. p. 53. conjecisse vidit *si vitata rotis* sq. Sed quidquid egerint, quoquo se verterint omnes interpretes, nihil invenerunt, in quo Horatium agnoscas. Caeterum aliae causae sunt, cur ego hos versus spurios iudicem, de qua re singulatim exponam.

Sunt quos curriculo pulverem Olympium Collegisse juvat. Iam primum *curriculo* ambigue dictum. Nam intelligi potest et *currus*, et *stadium*. Deinde omnia exempla, quae Horatius commemorat, petita sunt ex consuetudine vitae Romanae. Nominasset, credo, potius triumphum Romanum, quam eos ludos, in quibus populo esse spectaculo Romani turpe ducebant. Denique Horatius loquitur de quotidianis hominum studiis. Ludi autem Olympici quinto quoque anno celebrabantur. Neque Horatius hic posuisset *iuvat*, qui mox scripserit: »*Multos castra iuvant.*'' Elegantes poëtae in tali re verba eadem non repetunt.

Metaque fervidis Evitata rotis, palmaque nobilis. Meta evitata rotis, non accurate rei veritatem ostendit. Nam et illi metam evitant, qui currum longo a meta intervallo circumagunt, et in certamine vincuntur. Res quippe in eo vertebatur, et hoc erat pars victoriae, si quis, quam proxime posset, metam circumveheretur, et tamen eam non tangeret. Hoc nemo Romanus ita simpliciter vocavit *evitare*, sed *metam stringere*, *radere*, *terere*,

Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus:
Illum, si proprio condidit horreo

premere, *urguere*. Quae quidem notiora sunt, quam ut exemplis confirmem. Neque mihi hic placet vox *palma*. Alia ratio est, quando *palma* pro *victoria* sumitur, neque amplius aliquid cogitatur. Nunc auctor nobis ante oculos posuit *Olympium pulverem*, *metam evitatam*, cur non et *coronam oleaginam*, proprium Graecis munus, addidit? Quare nonnulli interpretes hic de ludis Romanis agi putabant. Forte auctori exemplum praebuit Seneca in Thyeste vs. 409. *Celebrata juveni stadia*, *per quae nobilem Palmam paterno non semel curru tuli*. Nam sic ibi legendum e MSS. Delrionis pro *nobilis*.

Hunc si mobilium turba Quiritium. Broukhus. in Annott. MSS. *mobilium*, nam et *nobilium* fertur, his exemplis tuetur. »Ita antiquitus lectum fuisse patet ex fragmentis Scholiastae, quae producit Barth. Advers. lib. XLII. 4. adde Delr. ad Senec. Herc. Fur. vs. 169. Cicero pro Muraena 17. pro Plancio 6. Philipp. VII. 3. Valer. Flacc. I. 761."

Illum si proprio condidit horreo. Qui frumenta totius Africae congessit, iam sat dives est. Hic non desiderat conditiones Attalicas. Et quodnam hic studium significatur? Mercaturae? Sequitur. Divitiarum? Etiam sequitur. Magnum vero *horreum*, quod meses Africae contineat. Credebam plura requiri. Et sic Horat. III. Carm. 16. *Quam si*, *quidquid arat impiger Apulus*, *Occultare meis dicerer horreis*. Et Pentadius Anthol. Burm. Vol. I. p. 549. *Et quidquid Libyco secatur arvo*, *Non una positum tenere cella*. *Horrea* habebant, qui aliquid erant, non *horreum*. Iam poëta dicere debuerat *suo horreo*. Metrum aliud flagitabat. Itaque dedit *proprio*: quod sive exponas *non conductum*, sive, ut volebat Oudendorp. *privatum*, ut discernatur a *publico*, nullam vim sententiae addit. Poëtae in hac re constanter usurpant *horrea*. Vid. Heinsii Adversaria pag. 569. Et quod Oudendorp. dicit de horreis *publicis*, dubito an ea iam tempore Augusti exstiterint. De qua re longa institui posset dissertatio, sed ab hoc loco aliena.

in lucem mitti vellet. Eadem erat caussa aliarum editionum, unde ea sumsi, quae auctoribus non indigna arbitrabar, addito semper, in rebus quoque minimis, auctorum nomine.

Atque ego Horatium iam ante annos edere potuissem. Sed semper nonnulla erant, in quibus explicandis mihi non satisfacerem. Neque me huius morae poenituit. Dies enim et tempus interdum, quae non bene perspexeram, docuerunt, et, ut spero, sive me, sive alios, imposterum docebunt. Novum certe Horatii interpretandi exemplum proposui. Nam antiquum sequentes, nihil proficiemus. Qui naturam et ingenium Romanae poësios longo usu et exercitatione perdidicerint, et Horatium ita tractaverint, ut oportet qui de eo iudicare velint, hi aliquando perficient, quod a me inchoatum est. Aut fallor, aut si olim in aliquo terrarum angulo meliora MSS. vel Codices palimpsesti reperiantur, multae de coniecturis, quas facturi sint, confirmabuntur. Ego, ut veteri Criticorum dicto hanc epistolam finiam; Horatium legi, et, ut potui, emendavi. Vale Descuri, vir praestantissime, et me ama. Scripsi Leidae Kal. Novembr. MDCCCXXXIII.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER PRIMUS.

CARMEN I.

Maecenas atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum!

CARMEN I.

O et praesidium et dulce decus meum. Video hunc versum ab interprete ad Sophoclis Trachin. vs. 743. ita scribi: *O desiderium et dulce decus meum.* Nescio utrum errore memoriae, an ex Turnebi Advers. XXVI. 7. In Horatio certe nihil mutandum est. Sallust. B. Iug. 19. *Coloniae Phoenicum, brevi multum auctae, pars originibus suis praesidio, aliae decori fuere.* Auctor libelli II de Ordin. Republica: *Nos te genuimus, Caesar, decus praesidiumque nobis.* Cicero III. ad Diversos Epist. 10. *Obliviscere-tur patroni omnium fortunarum ac rationum suarum, praesertim cum tu omnibus vel ornamentis vel praesidiis redundares.* Tacit. de Mor. Germ. 13. *Magno semper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello praesidium.* Seneca Herc. Oeteo vs. 749. *Decus illud orbis atque praesidium meum.* Plin. Paneg. 14. *Hic, non subsidium itineris, sed decus subsequebatur.* Neque aliter legerunt Servius ad Virgil. II. Georg. vs. 40. et Atilius Fortunatianus pag. 2675.

Quidquid de Libycis verritur areis:
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Numquam demoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.

In libris de antiquitate Romana eam quaestionem non explicatam vidi.

Quidquid de Libycis verritur areis. Frumentum in areis *teritur*, de areis *legitur*, *tollitur*. Reliquiae frumenti, cum pulvere et sordibus mixtae, *verruntur*. Verbum vile, quo in hac re nemo poëta usus est.

Nunquam demoveas. Demoveas est Lambini. MSS. et editt. *dimoveas*, etiam Donatus ad Terent. Adelph. II. 2. 22. In tam levi vocalis discrimine MSS. parum curo. Et hae centies confusae sunt. Librarii non intelligebant aliquem *dimoveri* exiguo tempore inde, quo mox redit, *demoveri* in perpetuum. Plautus Pers. III. 1. 45. *Dicet quod quisque volt. Ego de hac sententia non demovebor.* Horat. I. Serm. 1. 38. *quum te neque fervidus aestus Demoveat lucro.*

Myrtoum pavidus nauta secet mare. Ex agricola nunquam facies nautam, ex nauta nunquam agricolam. Jam epitheton aliquid, ut a poëta, additur. Quis addat »*Ex agricola non facies nautam pavidum?* Aeque ineptum hoc, atque si in altero membro diceres: »*Ex nauta non facies pigrum agricolam.*" Reclamat natura ingenii humani. Nam si uterque de vitae suae curriculo posset demoveri, rusticus fieret pavidus nauta, nauta piger rusticus. Facit quidem Horatius nautam metuentem tunc, quum saeva tempestate in mari iactatur. Sed vide, quam exigui temporis sit ille metus. Mox reficit rates quassas. Legamus potius: *Myrtoum impavidus nauta secet mare.* Hoc est proprium nautae epitheton, cui primo Horatius *robur et aes triplex circum pectus* tribuit. Idem Satyr. I. 1. 29. *nautaeque per omne audaces mare qui currunt.* Non audiendus igitur comment. Crüq. annotans: »*pavidus*, proprium epitheton nautarum." Quasi vero essent lepores, de quibus idem ad Epod. II. 35. »*Pavidus*, naturale epitheton leporum." Tempora nimirum in hoc genere distinguenda sunt. In periculis et procellis nautae bene appellantur *timidi*, *pavidi*, et *miseri*. Horat. I. Carm. 14. *Nil*

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium et oppidi

pictis timidus navita puppibus fidit. Seneca Herc. Fur. 552. *Succurrunt timidis sidera nautis.* Val. Flacc. I. Argon. 573. *Lumenque innoxia fudit Purpureum miseris olim implorabile nautis.* Hoc est, in laboribus, periculo vitae versantibus, δειλοῖς, μογεροῖς. Ita et Virgil. III. Georg. 313. *miseris velamina nautis.* Fere ut *miseri mortales* III. Georg. 66. et Stat. III. Silv. 2. 61. *miseri animantes.* Burm. neque ibi, neque ad VI. Argon. 666. rectam significationem percepit, dicens proprium epitheton, propter naufragiorum metum et frequentiam. Melius Cort. et Laguna ad Lucan. VIII. 174. Interim hic *pavidus nauta* legitur in omnibus MSS. et Donat. ad Terent. Adelph. II. 2. 22. et Lutat. ad Statii Theb. VI. 283.

Otium et oppidi Laudat rura sui. Mercator sive navita, iactatus tempestate, eos felices existimat, qui in oppido tuti vivunt et agros circa oppidum iacentes colunt, in quo oppido ipse, si in terra sit, habitat. Ipse adeo fieri vellet rusticus. Vix salvus in illud oppidum pervenit, et lucrum, periculis quaesitum, partim consumsit, quum vitam antiquam repetit, indocilis tenuem sibi victum multo labore quaerere et parvo contentus degere. Navita optat otium et agros, sed in tempestate. Quum ei esse liceat rustico, non vult. Eadem plane imago est in Satyr. I. 1. 3. *Contra mercator, navim iactantibus austris: Militia est potior.* Doctissimi interpretes non viderunt hanc fuisse mentem Horatii. Alioquin non tantopere laudassent coniecturam Acidalii: *Oppidi laudat tuta sui.* Neque *tuta oppidi* plane idem significat quod *tutum oppidum*, sed loca in oppido, aliis locis, quae sunt in eodem oppido, tutiora, partem oppidi tutiorem. Virgil. XI. Aen. 882. *tuta domorum:* loca in domibus, quae fugientes tamquam tuta petebant. Lucan. X. 458. *Ceu puer imbellis, ceu captis femina muris, Quaerit tuta domus.* Tacit. III. Hist. 76. *Non vigilias agere, non intuta moenium firmare.* Quodsi quis omnia illa similis structurae exempla consideret, quae varii interpretes collegerunt ad Livii VI. 42. Vellei. Paterc. II. 63. Flori III. 5. Frontin. I. 3. 10. Vechnerus denique in Hellenolexia I. p. 123. sq. is videbit adiectiva vim partitivam ubique fere conservare, ut adeo non rectum sit, quod Ernest. scripsit ad Tacit. Mor. Germ. cap. 19. *secreta literarum* nihil

Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est, qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die

aliud per Latinitatem posse significare, quam *literas secretas*. Caeterum et metus, ne *rura oppidi* satis Latine diceretur, effecit ut multi Acidalium secuti sint, praecipue postquam Bentleius dixerat, sibi exemplum simile in memoriam non venisse. Sed Horatius non tantum *rura oppidi*, verum etiam *otium oppidi* memoravit. Sic apud Symmach. III. ep. 63. legimus: *Otium patriae laeta peregrinatione mutavi. Rura oppidi* sunt rura oppido vicina, ut apud Horat. I. Carm. 7. *Campus Larissae*. Virgil. VII. Aen. 711. *Rosea rura Velini*. et vs. 739. *arva Celennae*. Lucan. III. 191. *Penei qui rura colunt*. Silius Ital. VIII. 431. *Scopulosae rura Numanae*. et vs. 518. *pascua Aveiae*.

Nec partem solido demere de die. Haec verba respexit Comm. Cruq. ad Epod. XIII. 4. »Sic alibi: *Partem aliquam de die sumere*." Errore, credo, memoriae, licet verbum *sumere* in hac re satis usitatum sit. Erat autem privatae Romanorum disciplinae, coenandi horam non maturare. Hoc exemplum Ernestius addere potuisset elegantissimae dissertationi de hoc ipso argumento conscriptae, in Opusc. Philol. p. 32. Habebat nempe sua officia dies, habebat nox. Quem finem observantibus, salva erat ratio utriusque temporis. Qui non observabant, notabantur. Iuvenal. Satyr. XI. 204. *jam nunc in balnea salva Fronte licet vadas, quamquam solida hora supersit*. Ab hac disciplina sensim magis discessere. Vid. Casaub. ad Lamprid. Heliogab. 28. Sicuti apud Horatium Epicureus demit partem de die, ut genio maturius et diutius indulgeat, ita alii sumebant partem de nocte, ut literarum studia continuarent. Persius Sat. V. 41. *Tecum etenim longos memini me condere soles Et tecum primas epulis decerpere noctes*. Persius scilicet cum praeceptore suo Cornuto solidum diem Musis consecrabat, primam quoque noctis partem, quae epulis debebatur, epulis decerpebat. Sumebat aliquid de nocte. Plin. III. Epist. 1. *Sumit aliquid de nocte*. Idem IX. 40. *Multum de nocte, vel ante vel post diem, sumitur*. Seneca Ep. 122. *Circumscribatur nox, et aliquid ex illa in diem transferatur*.

Spernit; nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
Multos castra iuvant, et lituo tubae
Permixtus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub Iove frigido
Venator, tenerae coniugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Me doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis. Me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo: si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

Me doctarum hederae praemia frontium. Broukh. hic legendum putat: *Te*, et mox *Te gelidum nemus*. Laudari enim Maecenatis amorem erga studium poëticum. Nam si haec omnia ad ipsum Horatium referantur, inepte subiici „*quod si me lyricis vatibus inseris.*" *Te doctarum* quoque alii maluerunt, in quibus Wolfius. Fasc. I. Analect. Literar. Sed laus Maecenatis non adeo cernebatur ipsa poësios exercitatione, quam favore. Hederae autem erant praemia vatum, non patronorum. Praeterea longe aliud studium Maecenatem dis superis miscebat.

Dis miscent superis. Me gelidum nemus. Hederae me Dis miscent, faciunt me Deum. Ergo iam hederas erat consecutus. Et statim dubitat, an Euterpe et Polyhymnia sibi faveant. *Misceor dis superis* majorem felicitatem significat, quam *sublimi ferio sidera vertice.* Sententia, ut versus nunc leguntur, ita procedit: Hederae me faciunt Deum. Si Musae faveant, ero felicissimus. *Nemus* iam ipsum intelligitur e choris Satyrorum et Nympharum. Sumtum est ex Epist. II. 2. 77. *Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urbes.* Comparandus autem Ausonius Epist. 24. *Me iuga Burdigalae, trino me flumina coetu Secernunt turbis popularibus.*

Quod si me lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

Quod si me lyricis vatibus inseris. Cadebat in ingenium Grammaticorum vs. 32. ita explicare: *Si Musae favent, adeo ut nomen lyrici merear, te judice, Maecenas.* Hoc versu sublato, omnia concinno ordine profluunt. »Sua quemque voluptas trahit. Me amor poësios delectat. In qua re si Musae mihi adspirant, maximam mihi gloriam et felicitatem consecutus esse videbor." Interpretes ut aptam rerum seriem invenirent, coacti sunt *si* explicare *siquidem*, *quoniam.* Sed hoc statim, initio rei susceptae, de se praedicare, est hominis superbi. Postquam Horatius se diu in genere lyrico exercuerat, ne tum quidem has laudes sibi tribuebat, sine aliqua exceptionis modestia, neque illud *quaesitam meritis sume superbiam*, nisi tacente iam invidia confirmataque gloria, usurpavit. Ultima pars huius carminis, si verba et res spectes, non minus poëtica est, quam reliquae. *Quod si me lyricis vatibus inseris* suo se frigore et humili sono ipsum prodit. Ne dicam de ingrata repetitione. *Si Euterpe — Quod si me.* Et quibus, quaeso, lyricis eum insereret Maecenas? Romanis? Nondum exstabant, qui aliquam laudem erant adepti, et nemo praeter Horatium adeptus est. Igitur Graecis: ut scilicet diceretur: »*Nobiles Lyrici sunt Pindarus, Alcaeus, Horatius.*" Sed ita non loquimur sine addita gentis significatione, ut: »*Apud Graecos nobiles sunt Pindarus, Alcaeus, apud Romanos Horatius.*" Neque Horatius nomen et decus affectare audebat, quo Graeci poëtae florebant. Hos longe sequebatur, felix, si accepisset *spiritum Grajae tenuem Camoenae.* Hoc unice agebat, ut appellaretur *princeps fidicen lyrae Romanae*, qui Aeolium carmen ad Italos modos deduxisset. Talis homo non recte *lyricis vatibus inseritur.*

CARMEN II.

Iam satis terris nivis, atque dirae

CARMEN II.

Iam satis terris nivis atque dirae Grandinis misit. D. Heinsium offendebat sonus ultimarum syllabarum, itaque legebat *tetrae nivis.* Miror hoc fecisse Heinsium, qui poëtas Romanos non minus diligenter legerat, quam praeclare in egregiis carminibus ipse imitabatur. Neque probarunt Vossius ad Catull. p. 109. nec Graevius ad Iul. Caesar. B. Gall. I. 8. nec vir doctus in Observ. Miscellan. Vol. VIII. p. 182. et Gronov. in Syllog. Epist. ed. Burm. Tom. II. p. 558. malebat Heinsium, nam Heinsius petitur, *tetram nivem* Riphaeis montibus reliquisse. Bentleius ad h. l. nihil quidem dixit, tamen ad Carm. XIV. lib. II. tacite ostendit, ipsi Heinsianum inventum non placere, idque diserte testatus est in Epistola ad Hemsterhusium, quam in Ed. Elogii Hemsterh. p. 343. protulit Bergmannus. Nonnulla huc pertinentia diximus in Biblioth. Crit. Nova, Vol. I. p. 103. Romani nempe istiusmodi syllabas aliter pronuntiabant; neque finis emendandi esset, si omnia loca ad iudicium aurium nostrarum exigere vellemus. Vel ipse Horat. III. Carm. 3. *sine multis Insomnis lacrymis* III. Carm. 16. *munierant satis Nocturnis ab adulteris.* vid. Bentlei. ad IV. Carm. 4. Tacitus Annal. I. 24. *Nullis satis certis mandatis.* Sil. Ital. XI. 259. *Spectandis urbis templis tectisque.* Et iam Catull. Carm. LXVIII. vs. III. *Caesis montis fodisse medullis.* Val. Flacc. I. Argon. 389. *Et levis Elis equis.* Quod N. Heinsio tam durum videtur, ut locum etiam propterea corruptum putet. Cf. Cort. ad Lucan. I. 92. et Markland. ad Statii Silv. I. II. p. 181. Si sonus iste auribus Romanis fuisset ingratus, Horatius facili negotio scribere potuisset: *Iam sat in terras nivis.* Sed nihil contra MSS. mutandum. Et ita legerunt Diomedes pag. 508. aliique grammatici, et Mallius de Metris p. 24. Oudendorp. *misit terris* pro *in terras* defendit ad Caesar. B. Civil. II. 19. laudans quoque Gronov. ad Senec. Consol. Marciae 5. Praeterea attulit German. Fragm. Prognost. pag. 126 ed. Grot. »*E coelo diri dejecti grandinis ictus.*" Ubi emendat *dirae.*

Grandinis misit Pater, et rubenti
Dextera sacras iaculatus arces,
Terruit Urbem:
Terruit gentes, grave ne rediret

Rubenti dextera. Virgil. I. Georg. 328. *corusca Fulmina molitur dextra.* v. Burm. *Rubenti* etiam habent duo Codd. Leid. et praefert Oudend. alii *rubente.*

Terruit urbem. Brod. *orbem.* Etiam apud Mar. Victorin. p. 160. Mutatum, credo, ab iis, qui hoc, propter commune diluvium, requiri putabant.

Terruit gentes, grave ne rediret Saeculum Pyrrhae. Sacer ille et e coelo veniens spiritus, qui in quatuor antecedentibus versibus apparet, tanto hic frigore excipitur, ut vel ea mutatio ingenium poëtae valde mediocris prodat. Mentio diluvii Deucalionei a re proposita abhorret. *Ira Iovis*, dicit Horatius, *conspecta est in dira tempestate. Tactum de coelo Capitolium. Tiberis, super ripas effusus, regum monumenta deiecit. Ergo iterum imminent bella civilia. Quis populum servabit, nisi Augustus?* Memorat duo prodigia, tempestatem nive, grandine, fulmine, mixtam, et Tiberis inundationem. Refer saeculum Pyrrhae utro velis; nix grando et fulmina saepius in terras mittebantur: nemo inde diluvium timuit. Neque ea signa, quod quidem e Mythologia constat, antiquum diluvium praecesserant. Quid? quod ipsi veteres credebant mundum aliquando esse interiturum non aquis, ut tempore Pyrrhae, sed igne. v. Ciofan. ad Ovid. I. Metam. 256. Refers *saeculum Pyrrhae* ad Tiberim, qui partem Romae occupaverat? vide, ne fluctus in simpulo moveas, qui ab uno flumine, alveum egresso, interitum toti mundo intentes. Quamquam et hoc saepius accidebat, ut Tiberis plana urbis stagnaret. Sed quinam timebant *grave saeculum Pyrrhae?* Si Romani, forte aliquid dicis. Imo *gentes* timebant. Iupiter enim *terruit urbem, terruit gentes.* Iam *gentes* ita cum *urbe* conjunctae, sunt populi remotissimi et barbari. Liv. in Praefat. *Ea belli gloria est populo Romano, ut tam hoc gentes humanae patiantur, quam imperium patiuntur.* Martial. XII. Ep. 8. *Terrarum Dea gentiumque Roma.* Florus II. 7. *Iam gentium reges praesidia sibi ab hac urbe petebant. Terrae* autem, quas dicit Horatius vs. 1. sunt agri in vicinia Romae: ut I. Carm. 3. *flore terrae quam ferunt solutae.* Quo-

Saeculum Pyrrhae, nova monstra questae;

modo iam gentes, populi etiam remotissimi, timere poterant horrendam diluviem, quia Romae et in vicinia urbis tempestas saevierat, et Tiberis exundaverat? Ira Iovis, in prodigiis manifesta, Romanos petebat, non caeteras gentes. Iam igitur vel sic partes Deucalionis sunt nullae. Neque illa descriptio diluvii respondet caeteris Horatii laudibus. Quanto ille melius III. Carm. 29. depingit impetum Tiberis, *nunc lapides adesos Stirpesque raptas et pecus et domos Volventis una; non sine montium Clamore vicinaeque silvae, Cum fera diluvies quietos Irritat amnes.* Tales versus qui fecit de impetu unius fluminis, quales eum de communi diluvio facturum fuisse putemus! Et Horatii esse dicamus querentem e fabulis muliercula, pastorem Proteum cum phocis, pisces in ulmo, natantes in aequore damas? Tam ridiculam miserrimae rei imaginem ne Scholiastae quidem ferre potuerunt. Porphyrio Horatium ita excusat, ut dicat, *hos excessus Lyricis fuisse concessos.* Excusatio digna istis hominibus. Caeterum locus de diluvio aptum erat Grammatico ingenio argumentum. Auctor nonnulla imitatus est ex Ovidio, qualia sunt in I. Metam. 296 sq. *Summa piscem deprendit in ulmo.* Per gramina *deformes ponunt sua corpora phocae.* Nereides sub aquis *mirantur lucos urbesque domosque.* Hoc *mirari* per *visere* expressit. Proteum e Virgilio IV. Georg. 394. sumsit, qui *Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas.* Non intelligebat Grammaticus, quantopere ita a sano iudicio deflecteret. Ovidius enim, ut nesciebat manum de tabula tollere, si semel sibi in aliqua re placuisset, imaginem diluvii Deucalionei depinxit versibus fere centum. Plena est illa imago variarum rerum, adeo ut minutiae istae minus animadvertantur, neque in oculos incurrant. Sed Grammaticus imaginem eiusdem diluvii depicturus septem versibus, iisque Sapphicis, qui sunt breviores hexametris, ipsas illas minutias, quod pessimum erat in tabula Ovidiana, elegit. Seneca in Natur. Quaest. III. 27. iudicavit, *Ovidium ingenii impetum et materiae ad pueriles ineptias reduxisse, praecipue in versu isto.* Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones. *Non rem esse satis sobriam, lascivire, devorato orbe terrarum. Natari autem in diluvio et in illa rapina potest?* Haec Seneca, ipse luxuriae minime immunis, in Ovidio reprehendit. Quamquam *lupi* nautes inter oves magis ferri

Omne quum Proteus pecus egit altos
Visere montes;
Piscium et summa genus haesit ulmo,
Nota quae sedes fuerat palumbis;

possint, quam *damae* natantes. Ostenditur enim tanta miseria, ut animalia quoque odium naturale deposuerint. Praeterea Seneca Horatii carmina saepe legerat. Cur igitur hic Ovidium potius culpat quam Horatium, cujus etiam gravior esset auctoritas? Nimirum hos versus in Horatio non legit, postea adiectos, sed iam ante Servium pro Horatianis habitos. v. Serv. ad Virgil. Eclog. VIII. 28. qui, ut et aliis locis, partem laudavit. Claudian. Bell. Gildon. vs. 41. scripsit: *Aut fluvium per tecta vagum, summisque minantem Collibus, ingentes vexi submersa carinas. Remorumque sonos, et Pyrrhae saecula sensi.* Ibi Gesnerus censet Horatium ante oculos fuisse Claudiano, praesertim in *saecula Pyrrhae.* Sed, si *saecula Pyrrhae* demseris, nulla est similitudo. Si *saeculum* recondita quadam significatione apud antiquum poëtam inveniretur, et Claudianus eadem posuisset, de imitatione concederem. Nunc quid cum *saeculo* iungas, Homeri, Alexandri an Pyrrhae, nihil refert. Et nomine *Pyrrhae* libentius utuntur poëtae, quam *Deucalionis*, quia versui aptius est. Sic et Valer. Flacc. VI. Argon. 390. homines appellat *Pyrrhae genus.* Si versus, Horatio assuti, jam Claudiani tempore exstiterint, Claudianus melioris erat iudicii, quam ut eam fraudem non sentiret. Atque haec iam disputaveram, quum laetus cognovi, etiam Guietum eosdem versus eiecisse. Philippus Buttmannus in Mythologo Vol. II. p. 364. vs. 9. et tres sequentes delet.

Terruit gentes. Sunt qui legant *mentes.* Si ita dederit auctor, esset aliqua similitudo huius loci et Senecae in Octav. vs. 230. *Mentesque nostras ignibus terret sacris Novisque monstris.* Et est solennis dicendi formula: »*Dei mortale genus fulmine, ignibus, grandine, tonitru, prodigiis terrent*, non *fulmine terrent, ne hoc vel illud accidat.* Annotavimus nonnulla ad Epod. V. 1.

Omne cum Proteus pecus egit. Scaliger in VI. Poëtic. pag. 812. et hoc, et alia quaedam vituperat. Ea defendere conatur L. Fruterius in Epistolis a Gabbema editis pag. 619. Sed vereor, ut amico suo Cantero probaverit.

Et superiecto pavidae natarunt
Aequore damae.
Vidimus flavum Tiberim, retortis
Litore Etrusco violenter undis,
Ire deiectum monumenta Regis,
Templaque Vestae;

Et superiecto pavidae natarunt Aequore damae. Hoc est, damae sub aqua natarunt. Aliud Latine significari non potest. Interpretes sensere quam alienum hoc esset. Itaque explicare coguntur aequore *superiecto terram*, *montes et rupes.* Crederem, si talis vox praecessisset. Nunc intelligendum, »damae natarunt, aequore damas, ipsas, superiecto."

Ire deiectum monumenta regis. Templaque Vestae. In MSS. nonnullis lectum fuisse videtur *regum.* Schol. Franek. annotavit »*Regis*, vel *regum*?" Et monumenta *regum*, quamquam de solo Numa, gravius dictum. Sic Horat. IV. Carm. 12. *Male barbaras Regum est ulta libidines.* Ubi Tereus respicitur. Hanc mutandi numeri rationem attigit Longin. § XXIII. Eurip. Phoeniss. vs. 978. *Ἀχόλαοι' ἰάσας πάντων θεσπίσματα.* v. Valcken. Caeterum regia Numae ita iuncta erat templo Vestae, ut fere efficeret illius templi atrium. Iacebat in ima parte fori, Tiberim versus. Errant adeo interpretes, qui putant, regiam Numae et templum Vestae fuisse eadem. In quo errore confirmati sunt a Rutgero Ouwensio in Noctib. Haganis pag. 353. Loca Ovidii, quibus utitur Ouwens. contrarium ostendunt, et verba Servii ad Virgil. VII. Aen. vs. 153. levi transpositione corrigenda sunt. Nam Servius, harum rerum peritissimus et in ipsis locis habitans, adeo falli non potuit. Legimus hodie: *Nisi in augusto loco, consilium senatus habere non poterat: unde templum Vestae non fuit augurio consecratum, ne illuc conveniret senatus, ubi erant Virgines. Nam haec fuerat regia Numae Pompilii, ad atrium autem Vestae conveniebant, quod fuerat a templo remotum.* Apparet enim, vel ex male cohaerenti verborum ordine, haec ita esse transponenda: »*Ubi erant Virgines. Ad atrium autem Vestae conveniebant, quod fuerat a templo remotum. Nam haec fuerat regia Numae.*" Hoc melius est, quam Servium erroris accusare, ut fecerunt Cruq. Burman. alii. In his Oudend. ad Sueton. August. 76, qui de regia Nu-

Iliae dum se nimium querenti
Iactat ultorem, vagus et sinistra
Labitur ripa, Iove non probante,
Uxorius amnis.
Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persae melius perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara, iuventus.

mae accurate exposuit, dicit, minus bene Serv. ad Aen. IX. 4. scripsisse, *Vestae aedem fuisse Numae regiam*. Ego ad illum Virgilii locum nihil tale inveni. Voluit fortasse vir diligens VII. Aen. 153.

Iliae dum se nimium querenti. Satis erat *Vidimus flavum Tiberim*. Quidquid addideris, gravitatem carminis minuit. *Labitur ripa sinistra* decet historicum vel geographum. Animus lyrici, dolore oppressi, non cogitat fluvius dextra an sinistra, ab Oriente an Occidente vagetur. Atque hoc iam antiquos interpretes offendisse videtur, quorum v. c. Comm. Cruq. *sinistra* etiam per *infausta* reddidit. Quid autem Iupiter non probabat Tiberim ripas supergredi, qui ipse urbem prodigiis terreret? Et quam longe petita causa, Iliam queri de nece Iulii Caesaris? Itaque frustra sudarunt interpretes, ut haec expedirent. Digna erat haec quaestio magistro illorum temporum. »Cur Tiberis deiiciebat regiam?'' Dignum discipulo responsum. »*Iliae dum se* sq.'' Qui finxit Tiberim, sive Anienem, nam neque constat uter amnis h. l. sit intelligendus, hoc fecisse in gratiam Iliae, ei opportune in mentem veniebat *uxorius* Aeneas Virgilii. Cf. et Scalig. in Hypercrit. p. 881.

Audiet cives acuisse ferrum. Glossa talis esse potuit: *Haec prodigia ruinam imperii Romani portendunt. Imminent iterum bella civilia*. Haec verba in metrum redacta sunt. Cives quoque acuunt ferrum contra Persas. Dicendum erat *cives contra cives*. *Iuventus* non sunt posteri, sed ipsa iuvenum praesens aetas, quae bella non audiet, sed videt. Sic. I. Carm. 35. *unde manum iuventus metu Deorum continuit*. Horatius eandem sententiam et Epod. VII. et XVI. elegantius expressit. Tenebant illa et imitabantur poëtae glossatores, non minus quam alios poëtas, praecipue Virgilium, Lucanum, Iuvenalem, Senecam. Ita hoc *melius* e Lucan. I. 251. habuit: *melius Fortuna dedisset Orbe sub*

Quem vocet Divûm Populus ruentis
Imperî rebus? *prece qua fatigent*
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi
Iupiter? Tandem venias, precamur,
Nube candentes humeros amictus,
Augur Apollo.

Eão sedem. Guietus quoque hos versus non Horatii esse arbitratur.

Prece qua fatigent. Operae pretium est cum toto Horatii carmine comparare Virg. I. Georg. vs. 465. sq. qui in eodem plane argumento versatur. Ex ea comparatione apparebit, Grammaticam, qui Horatium tot versibus auxit, *Vestales Virgines* quoque e Virgilio assumsisse. Quamquam Virgilius matrem *Vestam* imploret. Neque constat ex Romana historia, Virgines in summo reipublicae periculo Vestam publico et solemni ritu esse deprecatas. Tamen hoc dicit poëta meus, et simul dicit, has preces fuisse carmina, id est versibus conceptas. Quod si ita fuisset, ex aliquo certe scriptore sciremus. Sed *carmina* hic est vox plane otiosa, quam versui explendo excogitavit. Romanus, vim sui sermonis tenens, dixisset *fatigant Vestam*, *non audientem*, *precibus*. Vesta *non audit* sc. preces vel precantes. Hoc Latinum est. At docent interpretes *carmina* significare *certas formulas*. Enimvero tum dicendum erat *carmen*. *Carmina* sunt multae diversaeque formulae. De uno eodemque actu usurpatur *carmen*. Vestales recitant carmen precum, non *carmina*. Itaque nemo *carmen*, de formula, numero plurali adhibuit, neque inventum adhuc est hoc numero, nisi apud Ciceron. pro Rabir. Perd. 4. cuius loci tamen diversa est ratio, ut inspicientibus patebit. Hic autem versus, ut Horatii, citatur a Schol. Statii Theb. IV. 633. *preceque fatigent.*

Cui dabit partes scelus expiandi Iupiter? Ambigue, quodnam scelus, bellum civile, an mors Caesaris. Quum Dei humanum scelus *expiant*, illud *puniunt*. Atque Iupiter erat rogandus, non ut Romanos propter scelera puniret, sed ea condonaret, et nova averteret.

Tandem venias precamur. Cur *tandem*, quem nunc primum orant? Neque hic *tandem* est val-

Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Iocus circumvolat, et Cupido:
Sive neglectum genus, et nepotes
Respicis auctor,
Heu! nimis longo satiate ludo;
Quem iuvat clamor, galeaeque leves,

de urguentis, quia sequitur *sive tu malis Erycina, sive Mars, sive Mercuri.* Choriambicum Callimachium, quod legitur apud Servium in Centimetro 5. *Armipotens Mars, genitor Romulidarum, venias precamur.* fictum est ex hoc loco. Oudendorp. malebat legere *Romulidum, te venias precamur.*

Quam Iocus circumvolat et Cupido. Longe concinnior et gravior oratio, omissis his Mythologiae ornamentis. Verba hoc ordine ponenda sunt: *Sive neglectum genus et nepotes, Heu nimis longo satiate ludo, Respicis auctor.*

Heu nimis longo satiate ludo. Mars, auctor gentis Romanae, cito satiari debet sanguine civili. Nimis longus erat illi vel brevissimus istiusmodi ludus. Quare mihi non placet coniectura Cuiacii, prolata a Claverio ad Claudian. de VI. Consul. Honorii vs. 275. *Heu nimis longo satiare ludo.* vel *Heu minus longo satiate ludo.* Imploratur auxilium Martis, tamquam amici numinis. Numina minus vel nondum satiata poenis, sunt infestissima, quae tamen vel ipsa tandem satiantur. Silius Ital. X. 202. *veluti nondum satiasset Enyo Iras saeva truces.* v. interpr. ad Claudian. II. Rufin. 206. *Numina Romanis nondum satiata ruinis. Satiare* autem et *satiate* dicebant in summo dolore, quando etiam numina magis irritare non timebant. Ovid. IX. Metam. 178. *Cladibus pascere nostris. Corque ferum satie.* Petron. Satyr. cap. 121. *Tuque ingenti satiare ruina Pallida Tisiphone.* v. Ciofan. ad Ovid. III. Trist. XI. 35. Guietus hunc et tres sequentes versus expungit.

Quem iuvat clamor galeaeque leves. Haec aliena sunt, et animum a re proposita nimis abducunt. Dixerat Horatius Martem iam esse satiatum bellis. Nunc idem laudaret amorem Martis erga bella? Qui hunc versum composuit, is noverat Sil. Ital. IX. 555. *Martem lituique tubaeque Vulneraque et sanguis et clamor et arma iuvarent.* Recte Silius *clamor*, quia iunxit *tubas vulnera* et *arma.* Minus recte *clamor* et *galeae.* Nimis hoc tenue ad indicandum terrorem bellicum.

Acer et Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.
Sive mutata iuvenem figura
Ales in terris imitaris, almae
Filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor:
Serus in coelum redeas, diuque
Laetus intersis Populo Quirini;
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat. Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater, atque Princeps:
Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Caesar.

Acer et Mauri peditis cruentum Vultus in hostem. Vox *peditis* nullam hic habet gratiam neque vim. Nam Mauri pedites non eximie prae caeteris aliarum gentium peditibus nobilitati sunt: imo Mauri ne pedites quidem erant, sed *equites*. Quare Bentleius et alii cum Fabro legendum putaverunt *Marsi*, quod etiam hadabat Broukhusius. Sed neque sic multum profecimus. Marsos fuisse genus fortissimum, novimus. Sed caussa idonea non est, cur potissimum Marsi *peditis* mentio fiat. Nam si gens universa tam fortis fuerit, fuerunt et equites Marsi. Sufficiebat vultus *Marsi*, sed ita metrum non stabat. Huic igitur debemus illud *peditis:* nam *militis* dicere non potuit auctor. Praeterea infelix est nomen Marsi, in cogitatione belli civilis, propter bellum Marsicum. Sponte enim eo ferimur, ut intelligamus *hostem Romanum*. Interpretes h. l. variis modis exposuerunt. Quod ipsum iam indicium est scriptoris non accurati. Oudendorp. haec annotavit. »Vultus *Mauri*, non est victoris, sed victi ab hoste, qui vulnere Mauri est cruentatus. Maurus in vultu retinet ferociam, quond spirat. v. Sallust. Catil. 61. Lucan. VIII. 663. Silius Ital. V. 673. Florus I. 18."

CARMEN III.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis praeter Iapyga,

CARMEN III.

Lucida sidera. Temere a Cuningh. mutatum *fulgida.* Veteres Grammatici Mar. Victorinus, Diomedes, Fortunatianus, alii h. l. citarunt. Ubique legitur *lucida.* Virg. I. Georg. 205. *Lucidus anguis.* Ovid. I. Metam. 669. *lucida Pleias.* Ipse Horat. in Carm. saeculari: *Lucidum coeli decus.* Vid. Oudendorp. ad Appulei. Metam. IX. pag. 647. qui vulgatum tuetur. Non temere Horatius appellavit *fratres Helenae*, bona apprecans sidera. Nam stella ipsius Helenae, quae et Urania dicebatur, erat perniciosa: v. Schol. ad Statii Theb. VII. 792. *Scit peritura ratis, cum jam damnata sororis Igne, Theramnei fugerunt carbasa fratres.* Adde Olympiodor. apud Photium pag. 112. vs. 14.

Obstrictis aliis, praeter Japyga. Imitatio Graeca. Princeps auctor Homerus Odyss. E. 383. *Ἦ τοι τῶν ἄλλων ἀνέμων κατέδησε κελεύθους. Ὦρσε δ' ἐπὶ κραιπνὸν Βορέην.* Apollonius Rhodius IV. Argon. 765. *ἐς Αἴολον ἐλθεῖν· Αἴολον, ὅστ' ἀνέμοις αἰθρηγενέεσσιν ἀνάσσει. Καὶ δὲ τῷ εἰπέμεναι τὸν ἐμὸν νόον, ὥς κεν ἀήτας Πάντας ἀπολήξειεν ὑπ' ἠέρι, μηδέ τις αὔρη Τρηχύνοι πέλαγος, Ζεφύροιο γε μὲν οὖρος ἀήτω, Ὄφρ' οἵ γ' Ἀλκινόοιο Φαιήκιδα νῆσον ἵκωνται.* Neque haec incognita erant Statio III. Silv. 2. 41. *Et pater Aeolio frangit qui carcere ventos Arctius objecto, Boreas Eurumque Notumque Monte premat. Soli Zephyro sit copia coeli.* In quibusdam MSS. reperitur *obstructis.* In Servio ad Virgil. VIII. Aen. 710. Burman. notavit eandem varietatem, et praeterea *obstrusis.* Unde aliquis conjicere possit *abstrusis* h. e. e coelo remotis et carcere abditis. Ut Seneca Agam. 988. *Abstrusa coeco carcere et saxo exigat Aevum. Obstructis* placebat Hemsterhusio. Latine, puto, dicimus *obstruere limen, portam ventis,*

Navis, quae tibi creditum
  Debes Virgilium finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
  Et serves animae dimidium meae.
Illi robur et aes triplex
  Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
  Primus, nec timuit praecipitem Africum

ventos obstruere, non dicimus. Servemus *obstrictis*, etiam propter Graecum *κατέδησε κελεύθους ἀνέμων*, Homeri, et Callimachi Hymno Dian. 240. *οἱ κατέδησας ἀήτας*.

Debes Virgilium finibus Atticis Reddas incolumem. Interpretum alii jungunt *debes finibus Atticis.* Sed Horatius Virgilium navi tamquam depositum crediderat. Ergo navis debebat Virgilium Horatio, non Atticae. Alii jungunt *reddas finibus Atticis.* Sed reddendus erat ei, qui crediderat, non Atticae. Quamquam illud *reddas finibus Atticis* exponant *in Atticos fines perferas.* Quod ego per Latinitatem non licere arbitror, nisi Attica fuerit patria Virgilii, cui post longam absentiam redderetur. Verbum *reddi* nunquam aliter accipitur. Virg. VI. Aen. 18. *Redditur hic primum terris.* Daedalus nempe, qui terris relictis, diu in coelo voluverat. Minus recte Serv., qui et h. l. Horatii affert, explicat »*de alieno elemento in suum.*" Val. Flacc. V. Argon. 294. *liceat Grajis ut reddere terris Aesonium caput.* Alia vide apud Cort. ad Lucan. II. 218. Duker. ad Flor. III. 6. et Bentlei. ad Horat. III. 4. 38. Legendum esse censeo: *Navis, quae tibi creditum Debes Virgilium, in finibus Atticis Reddas incolumem precor.* Depositum pignus, navi creditum, in terra aliqua erat reddendum. Virgilius petebat Atticam. Rogat ergo, ut hunc in Attica reddat.

Et serves animae dimidium meae. Nonnulli *ut serves.* Hoc mihi non tantum amoris indicium significare videtur. Redde, dicit, mihi Virgilium, et partem animae meae servaveris. Schol. Persii Sat. V. 22. etiam legit *et serves.* Hunc autem locum cogitabat Augustin. IV. Confess. 6. *Bene quidam dixit de amico suo* »*Dimidium animae meae.*"

Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti;
Quo non arbiter Hadriae
Maior, tollere seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,

Quo non arbiter Hadriae. Guictus etiam sensit, sex versus Horatio esse suppositos. Grammaticus, qui meminisset Horat. III. Carm. 3. dixisse *auster Dux inquieti turbidus Hadriae*, videtur ex eo suum finxisse, ut ostenderet, quam periculosus esset hic ventus per mare Hadriaticum navigantibus. Horatius invehitur in primum navitam, quicunque fuerit, ubicunque primum suam artem tentaverit. Hominem certum, et locum, non cogitavit. Enumerat in universum terribiles ventos. Jam nihil frigidius illa parenthesi excogitari potest, ex qua non aliam, nisi hanc elicies sententiam: »rabiem Noti. Notus autem pro arbitrio fluctus Hadriaticos vel tollit, vel componit, neque est alter ventus, qui ibi plus valeat, et frequentius flet." Haec sapiunt glossam, et orationem pedestrem. *Ponere* autem terrorem rei minuit. Nec scio an *ponere* recte dicatur de tali vento. Notus enim semper suas partes agit in tempestate. Aeolus, Neptunus, Castores, Zephyri, si velis, ponebant ventos et fluctus, et ipsi venti *ponuntur*. Memorandus hic est Homeri versus in Odyss. K. 21. in quo eandem vim dedit Aeolo in ventos, quam Grammaticus noster dedit vento in fluctus. Jupiter fecit Aeolum *ταμίην ἀνέμων. Ἤμὲν παυέμεναι, ἠδ' ὀρνύμεν, ὅν κε θέλῃσι.*

Quem mortis timuit gradum. Interpretes hic in varias partes discedunt, sed plurimi cogitant *mortis genus*. Latinum est *mortis genus*, ut *mortis modi*, *mortes*, non item *mortis gradus* hac significatione. Legitur apud Ausonium in Praefat. Parental. de muneribus: *Quae Numa cognatis solemnia dedicat umbris, Ut gradus aut mortis postulat aut generis.* Sed ibi gradus in cognatione cernitur. Latine, credo, nullum *Mortis gradum timet*, sive is gradus sit consuetus, sive celer, sive cursus. Qui tres gradus erant in re militari, de qua re Vegetius. Auctor ipse statim in eadem Metaphora scripsit: *tarda necessitas Leti corripuit gradum.* Ac vide, quam exiguum fuerit Grammatici judicium. Non

Qui siccis oculis monstra natantia,

dubito, quin imitatus sit Lucan. II. 99. *Quis fuit ille dies, Marius quo moenia victor Corripuit? quantoque gradu Mors saeva cucurrit?* Pulchre et graviter Lucanus. Mors magno gradu currit, grassatur, quacunque venit, obstantes prosternit, ut victor Homericus, μακρὰ βιβάς, et Virgil. X. Aen. 572. *longe gradiens.* Sic pugnaturi veniunt et stant *ingenti gradu.* Liv. II. 10. *Quum Cocles obstinatus ingenti pontem obtineret gradu.* Plin. Panegyr. 10. *Quum tuas aquilas magno gradu antēires.* Ovid. III. Art. 303. tangens incessum mulieris virilem et militarem: *Illa, velut conjux Umbri rubicunda mariti, Ambulat, ingentes varica fertque pedes.* Quod igitur Lucanus de superbo Mortis victricis incessu intellexit, hoc Grammaticus ad celeritatem transtulit: in qua re meliores poëtae utuntur v. c. *mors properata venit,* ᾅδης ταχὺς ἔρχεται, προσβαίνει. Dicat aliquis eum voluisse *Mors in gradu stat composita*, instar militis vel gladiatoris. Non permittunt, credo, sequentia, ubi eadem Mors *corripit gradum.* Et status boni militis non eam habet diversitatem, ut majores vel minores timendi causas afferat. In morte autem non refert, quomodo stet, quia semper vincit.

Qui siccis oculis monstra natantia. In MSS. nulla est varietas, nisi quod in uno Leid. legatur *scicis*, manifesto errore pro *siccis.* Depromptum videtur ex Lucan. IX. 1044. *qui sicco lumine campos Viderat Aemathios.* Et sic Hieron. Epist. 26. *Uxoris interitum siccis oculis videt.* Ennodius Carm. pag. 566. *Nec siccis oculis respexit marmoris iras. Marmoris* est *maris.* Et lacrymae saepe oriuntur in summo metu et desperatione: in quam rem Oudendorp. descripserat Propert. III. V. 8. Ovid. XI. Metam. 519. Phaedri IV. 15. Val. Flacc. I. 633. quibus adde Curtium V. 5. *Desperatio igitur ingens, adeo ut vis lacrymis abstinerent, incesserat.* Seneca Epist. 22. *Trepidamus, cum periculum accessit. Lacrymae nihil profuturae cadunt.* Non necessaria igitur est coniectura Bentleii *rectis oculis*, repudianda etiam H. Paldami ad Propertium cap. III. pag. 258. *qui invictis oculis.* Bentleii ingenium in invenienda conjectura fuit tantum, quanta doctrina in confirmanda, eamque Ruhnken. ad Sueton. p. 133. habet verissimam. Aliquid in ea disputatione, propter illius viri auctoritatem, no

Qui vidit mare turbidum, et
Infames scopulos Acroceraunia!

tandum est. In exemplis Graecis Bentleius etiam utitur hoc Oppiani I. Cyneg. 208. *Ἦ πῶς ἄντα δέδορκεν ἀσκαρδαμύκτοισιν ὀπωπαῖς.* Ubi non legendum est *ἀταρμύκτοισιν.* Nam υ ante ντ corripitur. Hoc iam animadverterat ad h. l. Hemsterh. et ante Hemsterhusium Dresemius ad Iosephi Iscani Bell. Troian. IV. 826.

Qui vidit mare turbidum. Inanis repetitio ejusdem rei, quam Horatius supra melius declaravit *commisit pelago ratem* sq. Oudendorp. praefert *turbidum* alteri *turgidum*, quia *turgidum* mare est initium tempestatis, laudatque Behotii Apophor. II. 8. et Burm. ad Ovid. II. Fast. 206.

Infames scopulos Acroceraunia. Qui primus navigavit, cur potissimum vidit Acroceraunia? Horatius in communi sententia *quam audax fuit primus nauta* loca propria destinare non potuit. Si exemplo Argonautarum usus fuisset, destinare potuerat. Et quam non poëticum est *Acroceraunia*, *scopuli infames!* Praecipue si cogites *scopulos* significare priorem Graecae vocis partem. Eodem hoc fere redit, atque si legeremus »Acroceraunia, quae sunt scopuli infames.'' Ut Dionys. Perieg. vs. 389. *Οὐρέων τ' ἠλιβάτων, τὰ Κεραύνια κικλήσκουσι.* Ego in gravi Lyrico carmine non ferrem v. c. *Jonium*, *mare saevum: Alpes*, *summi montes.* Multo minus *infames scopulos Acroceraunia.* At quibus rebus *infames*? Periculis scilicet et naufragiis. Atqui tale aliquod substantivum vel addi solet, vel ex antecedentibus facile intelligi. Ego hic primum exhibebo annotationem Oudendorpii: »*Acroceraunia.* Nihil mutandum. Duo vetustissimi Leidenses *Acroceraunias*, uti in MSS. Martiani Capellae VI. p. 199. Pro *infames* correctum in MSS. D' Orvill. *infandos.* Sed accipe infames *periculis et naufragiis.* Ovid. XVIII. Heroid. 141. *amissa locus hic infamis ab Helle est.* Val. Flacc. II. 622. *Pariumque infame fragosis Exsuperant vadis.* Florus II. 2. *Fretum fabulosis infame monstris.* Barth. ad Statii Theb. T. II. p. 103.'' Haec Oudendorpius. Atque ista exempla multis augeri possunt. Ita et Stat. I. Theb. 133. *Infames Scirone petras.* Liv. XXI. 31. *Infames frigoribus Alpes.* Ut Livius non scripsisset: *Alpes*, *montes infames*, ita neque Horatius, quod ei obtrusit Grammaticus. Neque vero hoc tacendum est. Omnes Romani abstinuerunt a voce *Acroceraunia*, et usurparunt *Ce-*

Nequidquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili

raunia, praeter Ovidium et Plinium. Nam Grammaticos et L. Ampelium, sive eum, cujus nomine hodie fertur *Liber memorialis*, non moramur. Unicus Ovidii locus exstat in Remed. Amoris 739. *haec Acroceraunia vita*. Quum tamen in MSS. Sarravii, indicante Burmanno, inveniatur *haec atra Ceraunia*, et Ovidius alibi semper *Ceraunia* scribat, crediderim et hic legendum vel *atra* vel *alta*. Quod epitheton saepe his montibus additur. Virg. 1. Georg. 332. *alta Ceraunia*. Lucan. V. 652. *Scopulosa Ceraunia nautae Summa timent*. Val. Flacc. III. 465. *Summa Ceraunia*. De Plinio, qua auctoritate *Acroceraunia* posuerit, an corruptus sit, quid dicam, nescio. Mirum certe mihi accidit IV. 23. *Montes Acroceraunia*. Sed Plinius nihil ad nos, qui scripserit post Horatium. Plinium nemo imitatus est. Suetonius et Pomponius Mela *Ceraunios montes* appellarunt, sicuti J. Caesar appellaverat *Saxa Ceraunorum*. Etiam Graecos scriptores perquisivi. In Strabone, Pausania, Appiano, Dione Cassio, Scylace, Etymologo M. in voce Ἄμαντες reperi τὰ Κεραύνια ὄρη et τὰ ἄκρα τῶν ὀρῶν ἃ Κεραύνια ὀνομάζουσι, et similia. Nusquam Ἀκροκεραύνια, nisi semel in Geographia Agathemeri II. 9. Idem tamen I. 3. habet Κεραύνια ὄρη. Agathemerus autem est scriptor saeculi tertii post Christum. Et quid significat Ἀκροκεραύνιον, si consulamus ingenium et consuetudinem sermonis Graeci? *Arcem in summo monte Ceraunio positam*. Talia sunt Ἀκρόπολις, Ἀκροκόρινθος, et *Akroathon*, oppidum, ut dicit Mela II. 2, *in summo Atho*. De Cerauniis nonnulla dixerunt P. Victorius in Var. Lect. XIII. 1. et Barth. Adv. LVII. 14. In allatis exemplis nullum est *Acroceraunorum*, nisi Isidori. Scholiast. Statii II. Theb. 333. haec citavit, non addito Horatii nomine. Quod tamen saepe faciunt Grammatici. Et idem aliis locis Horatium nominavit, ut Theb. VI. 155. ubi *infamem* interpretatur *periculosum*.

Oceano dissociabili. Bentlei. correxit *dissociabiles*. Et sic Heins. iam h. l. scripsit in annot. ad Val. Flacc. I. 827. Quia tamen nihil dicit de ea mutatione, suspicor potius, tribuendam esse Burmanno, imprudenti. *Dissociabiles* etiam posuit Markl. ad Statii Silv. III. 2. 61. Alii voluerunt *dissociabile*, pro *dissociabiliter*, quod Oudendorp. in Annot. MS. ad h. l. valde commendat, quam

Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

annotationem deinde magis exornatam dedit ad Appulei. V. Metam. p. 359. Ego Horatium ita esse interpretandum judico: »Deus aquam et terram separavit, adeo ut homo, animal terrestre, nullam societatem cum Oceano habere posset. Oceanus cum terra sociari non poterat, erat cum terra non sociabilis, dissociabilis. Sed Deus frustra separavit. Nam homo invenit navem, et tam in Oceano, quam in terra vivit." Eadem sententia est in Columellae Rei Rust. I. Praefat. §. 8. *Ut, rupto naturae foedere, terrestre animal homo, ventorum et maris objectus irae, se fluctibus audeat credere.* Statius II. Silv. 3. 61. *Quis rude, et abscissum miseris animantibus aequor Fecit iter? solidaeque pios telluris alumnos Expulit in fluctus, pelagoque immisit hiantes?* Ubi legendum potius *hianti*. Seneca in Medea 335. *Bene dissepti foedera mundi Traxit in unum Thessala pinus.* Atque Statium et Senecam iam alii cum Horatio comparaverunt, etiam Bentleius, Senecam minus recte accipiens. *Dissociabilis* hodie tantum invenitur in Taciti Agric. III. *Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuit, principatum et libertatem.* Et saepe animadverti Tacitum habere vocabula et formulas dicendi poëticas, ex Horatio quoque petita. Atque hic Taciti locus et in Lexicis notatus, et a Bentleio laudatus est. Ut igitur principatus et libertas sunt *dissociabiles*, ita et Oceanus et terrae. Horatius dixit *abscidit terras Oceano dissociabili*, ubi facile intelligitur dissociabili *cum terris*. Ad hoc exemplum Latine dicere possemus v. c. *Tiberius libertatem a principatu dissociabili abscidit.* Qui scilicet cum libertate sociari non possit.

Audax omnia perpeti. Eadem fere sententia, quae *Nil mortalibus arduum est.* Statius et Seneca Grammaticum movere potuerunt, ut sua exempla ab hac voce disponere inciperet. Statius II. Silv. 64. *Audax ingenii* sq. Seneca Med. 301. *Audax nimium qui freta primus* sq. quae Diomedes pag. 511. pro Horatianis citat.

Gens humana ruit per vetitum nefas. Vide ingratas repetitiones: *gens humana*, *genus*, *gentibus*, *terris*, *homini*, *mortalibus*, tam brevi intervallo.

Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit:
Post ignem aetheria domo

Quamquam mutatis vocabulis, tamen eadem res ad fastidium recurrit. Oudendorp. volebat hic *mens humana*, quod in MSS. reperit Torrentius. Et saepe *mens* et *gens* in MSS. permutantur: v. Burm. ad Petron. III. Sed quae mens *perpetitur*, ea vulgo non sunt in facinoribus a Prometheo, Daedalo et Hercule patratis. Incommoda hinc orta corpore perpessi sunt. *Perpeti* autem, ut neque Graecum πάσχειν, non adhibetur pro simplici *facere*, sed semper plurimum notionis proprise servat. Neque Romanus unquam scripsit *vetitum nefas*. Ruere *per fas et nefas* Latinum est. Lucan. V. 312. *per omne Fasque nefasque ruis.* Quintil. Declam. III. 7. *Per vulnera ipsa ruerat ad prendendos amplexus.* Prudent. Peristeph. X. 515. *Carnis voluptas omne per nefas ruit.* Neque rectum esse negem *ruere per vetitum*, quamquam Claudian. II. in Eutrop. 52. *Et ruit in vetitum*, quum potuisset *Per vetitumque ruit.* Ovid. III. Amor. 4. *Nitimur in vetitum. Nefas* autem et *vetitum* sunt diversa. Quod Oudendorp. etiam offendit, qui indicat Serv. ad I. Georg. 269. Miscellan. Observ. V. 8. pag. 191. Burm. ad Petron. cap. 108. et interpr. ad Lucan. I. 360: et repudinta aliorum conjectura ipse legit *per vetitum in nefas.* Ingeniose! Possis et suspicari *ruit per vetitum* (*nefas!*) Sed *vetitum* in tanta hominum audacia semper levius est. Itaque crediderim *vetitum nefas* tribuendum esse Grammatico ipsi, cui opus esset aliquo epitheto ad fulciendum metrum. Mire Ausonius Technopaegnii 9. *Gens infrena virum, quibus in scelus omne ruit fas.*

Audax Iapeti genus. Subito iterata vox *audax* omni vi caret. Quum haec etiam pro Horatianis habebam, mutavi verborum distinctionem: *audax omnia perpeti Gens humana ruit per vetitum nefas Audax. Iapeti* sq. Nunc indigna puto, quae corrigantur. Bothius legebat *Atrox Iapeti genus.*

Ignem fraude mala gentibus intulit. Burman. ad Propert. III. 3. 31. conjicit: *mentibus induit.* Quod Grammaticus non pro suo agnosceret. Nam *ignem* proprio sensu esse intelligendum, apparet e novis morbis, qui, igne invento, humanum genus invasere.

Post ignem aetheria domo Subductum. Non hic erat locus explicandae Promethei fabulae.

Subductum, macies, et nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Daedalus aëra
Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Quam humilis sententia in Lyrico carmine »*Igne invento, coctisque cibis, homines facti sunt molliores, pluribusque morbis obnoxii.*" *Subductum* Oudendorp. ad Lucan. II. 475. defendit contra eos, qui volebant *subvectum* vel *sublectum*.

Macies et nova febrium Terris incubuit cohors. Incumbere vehementius verbum est, quam ut cum *macie* iungi possit. Lucret. VI. 1141. de *peste* usurpavit. Val. Flacc. I. 683. *Cum stabulis et messibus ingens Ira Deum et Calabri populator Sirius arvi Incubuit.* Vid. Burm. Lactant. II. 1. *Si morborum pestifera vis incubuerit.*

Tarda necessitas Leti corripuit gradum. Letum, Mors, Necessitas bene corripiunt gradum: non *leti necessitas*, quia haec apud Horatium et Romanos non est persona.

Perrupit Acheronta Herculeus labor. Hercules non erat homo, ut Prometheus et Daedalus, sed heros, filius Iovis. Itaque referri non potuit ad exempla audaciae humanae. Neo, quae Hercules fecit, sua sponte fecit, sed ab Eurystheo coactus, invitus adeo. Quare sua Herculi audacia ne vitio vertatur, ut Daedalo et Prometheo. Caeterum interpretes acumen Grammatici non ceperunt, accipientes *Herculeum laborem* de vi et robore Herculis, ut Graece βίη Ἡρακλείη. Nam duodecim illa certamina sive periculosa facta, quae Graece ἆθλοι, ἀγῶνες, ἔργα et πόνοι appellabantur (v. Fischer. ad Anacr. Od. I. 7.) Latine proprie dicuntur *labores*. Seneca Herc. Oet. 1455. *Summus legatur femina Herculeus labor.* Nemesian. Cyneg. 32. *Herculeosque velint semper numerare labores.* Vide Arntzen. ad Plinii Panegyr. 14. et Heins. ad Ovid. XV. Metam. 39. In periphrasi poëtae usurpant *robur Herculeum*, ut Val. Flacc. I. 561. ubi vide Weizium. Hoc igitur voluit Grammaticus, et hoc verba Latine significant: *Inceptum Herculis periculosum, ut Cerberum ex Orco*

Nil mortalibus arduum est.
Coelum ipsum petimus stultitia: neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina.

traheret, *illi ab Eurystheo iniunctum*, *Acheronta perrupit*. Cerberus, ut canit Ausonius Eidyll. 19. erat *extremi meta suprema laboris*.

Nil mortalibus arduum est. Bentlei. e MSS. *ardui*. Equidem puto in sententia tam finita melius Latine scribi *arduum*. Sic Petron. cap. 87. *Nihil est tam arduum*, *quod non improbitas extorqueat*. Tacit. Agric. 18. *Nihil arduum aut invictum sic ad bellum venientibus*. Ennod. Epist. 6. *Nihil est arduum magna curantibus*. Wouwer. ad Minut. Felicis Octav. p. 36. locum Horatii ita protulit. *Nil mortalibus arduum*. Forte imprudens. Si MSS. consentirent, lubens acciperem, quia verbum in sententiis saepe elegantius omittitur.

Coelum ipsum petimus stultitia. Dictum aliorum imitatione celebratum. Curt. IV. 10. *Coelum vanis cogitationibus peti*. Minut. Felix Octav. p. 36. *Coelum ipsum et ipsa sidera audaci cupiditate transscendimus*. Lactant. V. 9. *Qui coelum quoque ipsum veneficiis expetant*, *tamquam illorum malitiam terra non capiat*. Priscian. Praef. de Laud. Anastasii vs. 3. *coelum cum petunt et sidera Adversa naturae sequentes impie*.

Iracunda Iovem ponere fulmina. Ovid. II. Metamorph. 391. Iupiter *Orbatura patres aliquando fulmina ponat*. Statius VII. Theb. 201. *quoties iam torta reponam Fulmina*. Auctor Epigrammatis in Anthologia Burm. T. II. p. 474. *Saeva Iupiter ipse*, *te volente*, *Ponit fulmina*.

CARMEN IV.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favonî,
Trahuntque siccas machinae carinas.
Ac neque iam stabulis gaudet pecus, aut arator igni.
Nec prata canis albicant pruinis.

CAMEN IV.

Grata vice. Lucan. IX. 998. *grata vice moenia reddent.* Mamertin. Panegyr. III. *Longe illa maiora sunt, quae tu, impartito tibi imperio, vice grata retulissi.* Ubi illud *grata vice* ob eandem caussam probo, ob quam Schwarzius improbat, quia nempe poëticum est. Auson. Epist. 24. *Te sine sed nullus grata vice provenit annus.*

Trahuntque siccas machinae carinas. Omnes alii versus a spondaeo incipiunt, hic a iambo. Hinc natae coniecturae *ducunt*, *torquent*, et Oudendorpii *trudunt*, quia phalangae non trahunt naves, sed hae illis impositae per alias machinas trahuntur. Me vel sola mentio *machinarum* in suavissima veris imagine offendit. Quanto elegantius Horat. IV. Carm. 12. *Iam veris comites, quae mare temperant, Impellunt animae lintea Thraciae.* Neque haec placuerunt Sanadono: »Naves, inquit, per machinas in mare tractae, rusticum aliquid et pingue est, si comparetur cum Zephyris, vere, Venere, Nymphis et Gratiis.“ Et quo trahuntur naves per machinas istas? Poterant trahi ex uno in alterum litoris locum. Additum oportebat *in aquam.* Sed *machinae* in hoc carmine nunquam exspectaveram. Sufficiebat *naves*, *vere adventante*, *in mare deducuntur.* Quomodo deducantur, et notum est, et memorare putidum. Iam *siccae* epitheton est languidum. Ianus invenit apud Marium Victorinum verba, ut dicit, veteris poëtae: *Trahuntque magnis navitae clamoribus carinas.* Si sint veteris poëtae, omissas vides *machinas.* Sed fictum puto versum ab ipso Victorino ad hunc nostri Grammatici.

Ac neque iam stabulis gaudet pecus, aut arator igni. Iniucundum hic *ac neque iam.* *Ac* supervacuum est. Et statim sequitur *iam Cytherea.* Praeterea dicendum erat *neque* pecus stabulis, *neque* arator igni. Quae cuncta metri necessitas expressit.

Nec prata canis albicant pruinis. Schol. Statii Theb. I. 512. *canis albicat ora pruinis.*

Iam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna.
Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede; dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.

Iam Cytherea choros ducit Venus. Vidi in antiqua editione Bibliothecae Leidensis, manu, ni fallor, Casauboni, scriptum *choros iuvenum*. Unde suspicor eum voluisse: *Iam Cytherea choros ducit iuvenum. Iuvenes* pro *puellas* idonea auctoritate non caret: v. Burm. ad Phaedri II. fab. 2. Hoc certe melius quam quod emendavit Cuningh. *ducit levis.* Oudendorp. legebat: *Iam Cytherea choros ducit, nemori imminente Luna.* Hoc est *supra nemus splendente.* Eleganter! Sed non opus est emendatione. Dicunt interpretes *Veneris Cythereae* nullum inveniri exemplum, ut neque eam a Graecis usquam nominari *Ἀφροδίτην Κυθέρειαν.* Et sic Beatleius disputat. Sed, si hodie non inveniatur exemplum, non hinc conficitur, nullum exstitisse. Exstiterunt sine dubio. Ecce Grammaticum, cuius libellum de Epithetis Deorum edidit Creuzerus in Heletem. Part. I. p. 26. *Ἐπίθετα Ἀφροδίτης. Χρυσῆ. κωλιάς. φιλομειδής. κυθέρεια.* Arnob. IV. adv. Gentes pag. 143. *Numquid ex pelagi spuma, ut ex Coeli genitalibus amputatis, Cytheriae Veneris concretum coaluisse candorem.* Papias in Glossario: »*Cytherea Venus*, a loco, quia ibi orta est.'' Si auctor Hymni in Vener. vs. 1. *ἔργα πολυχρύσου Ἀφροδίτης Κύπριδος*, si alius *Κυπρογενῆ Κυθέρειαν ἀείσομαι*, usurpavit, quidni credibile sit fuisse, qui usurpaverint *Ἀφροδίτην Κυθέρειαν?* Vid. Ruhnken. Epist. Crit. I. p. 51. Sic Auson. Epigr. 57. *Vera Venus Gnidiam quum vidit Cyprida.*

Dum graves Cyclopum Vulcanus ardens urit officinas. Leporem, qui est in absentia boni mariti, imitatus est Valerius Cato in Diris vs. 169. *Et Dea clam tenera gavisa est ludere in herba. Tum, credo, fuerat Mavors distentus in armis. Nam certe Vulcanus opus faciebat, et illi Tristi turpabat malas fuligine barba.* Plotius de Metris p. 2663. dedit *gravis officinam.* Pro *urit* multi legunt *visit*, ab Oudendorpio etiam valde laudatum, qui addebat Homer. Iliad. *Σ.* 468. ubi Vulcanus *βῆ δ' ἐπὶ φύσας*, et Heins. ad Vellei. Paterc. II. 101. et interpr. ad Liv. XL. 2. ubi nempe exempla collecta sunt verbi *visere*, positi de dominis et magistratibus

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terrae quem ferunt solutae.
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agna, sive malit hoedo.
Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate Sexti,
Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
Iam te premet nox, fabulaeque Manes,

ad res inspiciendas et ordinandas missis. Qui legunt *urguet*, his favet Homeri Iliad. Σ. vs. 372. Vulcanum ἑῷ' ἱδρώοντα ἑλισσόμενον περὶ φύσας, Σπεύδοντα.

Seu poscat agna, sive malit hoedo. Sic et MSS. Leidens. Franek. et D'Orvill. quae vidit Oudendorp. Nic alteram lectionem *agnam* et *hoedum* reiiciebat. Et *poscere* per ellipsin cum ablativo construitur. Cicero II. Verr. 26. *Fit sermo inter eos: et invitatio, ut Graeco more biberetur. Hortatur hospes. Poscunt maioribus poculis.* Imitatus est Ambros. in libro de Elia et ieiunio. *Ubi res calere coepit, poscunt maioribus poculis.* Quod iam indicavit Heins. ad Petron. cap 41. et Oudendorp. ad Appul. II. Metam. pag. 167. Poscunt maioribus poculis *vinum sibi dari*, ut poscit hoedo *sibi immolari*. Quamquam veteres Grammatici in Cicerone *poscunt* interpretentur *provocant*. Vide Ruhnken. ad Rutil. Lupum pag. 107. Magis Graecum videtur *poscere* ipsa pocula. Sophilus apud Athen. X. 37. Συνεχῆς ἄκρατος ἐδίδοτο ἴσον ἴσῳ, πάλιν Τὴν μείζον' ἤτουν. Et Alexis: κυάθους προπίνων εἴποσιν Ἴσον ἴσῳ πάλιν τὴν μείζον' ἤτουν.

Spem nos vetat inchoare longam. Hildebertus in Philosophia Morali pag. 990. haec ita laudavit: *spem nos vetat addere longam.*

Iam te premet nox, fabulaeque Manes. In nonnullas editiones antiquas irrepsit *fabulaeque inanes:* et sic scripsit G. Fabrnus in libro de Versibus Comicis, post Fabulas ipsius edito, pag. 94. ed. Patav. Ex qua lectione tamen non clarior sententia oritur, quam ex vulgata. *Manes fabulae te prement:* res fabulosa, ficta, quae non exstat, nugae te prement. Quo sensu Terentium Hecyr. IV. 3. 14. *iam nos fabulae sumus*, dixisse putat Ruhnken. laudans hunc ipsum Horatii locum. Hoc

Et domus exilis Plutonia: quo simul mearis,
Nec regna vini sortiere talis,

quum esset ineptum, Faber ad Iustin. Histor. II. 6. cogitationem falsi ita leniit, ut statueret fabulosum non plane esse falsum, sed quod fabulas haberet admixtas. Ad eundem fere modum Oudendorp. se hinc expedivit. De *fabuloso* verum est, de *fabula* dubito. Sed concedamus hoc Fabro. An ergo hoc feremus: »Iam te nox et Plutonia domus prement, et fabulae manes, de quibus poëtae et nostri homines vulgo multa ridicula narrant et fingunt?" Leniter interpretatus sum, et tamen omnis *fabulosi* cogitatio tam abhorret a loci indole, quam semper mortis timorem et tristitiam tollit. Et Horatius hic saltem putare debuit, sive serio sive ioco, manes et orcum esse aliquid, qui dicat: *Simul mearis ad domum Plutoniam, ibi non regna vini sortiere.* Si veteres appellarent *manes fabulas*, loquebantur tamquam philosophi, et omne illud inferorum regnum in ineptiis ponebant, quas nec pueri esse veras crederent. Afferam unum Senecae locum ex Troad. vs. 402. alia exempla inveniuntur collecta a Barthio ad Stat. XI. Theb. 571. et Cortio in Excurs. VII. ad Catilin. Sallustii. Seneca igitur: *Tempus nos avidum devorat et chaos. Mors individua est noxia corpori, Nec parcens animae. Taenara et aspero Regnum sub domino, limen et obsidens Custos non facili Cerberus ostio, Rumores vacui, verbaque inania, Et par sollicito fabula somnio.* Aliud praeterea est in vulgata lectione, quo offendor. Nox recte aliquem *premit*, Manes, umbrae tenues, non recte *premunt*. In Scholiastis Horatii nullum hic est auxilium. Fuere qui *fabulae manes* per appositionem, fuere qui *fabulas* in casu genitivo acciperent. In MS. Franek. annotatum est: »*Genitivus esse potest singularis pro plurali* Manes fabularum, *quos fabulae referunt.*" Simile Scholion e Cod. Graeviano dedit Bentleius, nihil referre putans, utrum libet elegeris. Quod ego non adeo certum esse arbitror, et versus Prudentii a Bentleio allatus non pertinet ad Mythologiam proprie ita dictam. Romani in hac re *fabulas* usurpant, *fabulam* non memini. Ambros. Oper. T. II. p. 115. *Fabularum illum equum aeneum.* Cicero III. Offic. 9. *Ille Gyges, ut ferunt fabulae.* Et sic alii, *ut est in fabulis.* Duplici autem ratione homo vel res appellatur *fabula.* Aliquis est *fabula*, de quo omnes ubique in conventibus et circulis loquuntur, et

Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus

veris falsa affingunt: v. Heins. ad Ovid. I. Amor. XIII. 36. et Oudendorp. ad Appulei. Metam. II. p. 119. Altera ratione, a priori deducta, aliquis est *fabula*, qui in rerum natura non exstat, nullus est, nihil est. Homo mortuus, vana imago sine corpore, λόγος et μύθος, *fabula* est, quasi nunquam exstiterit. Pers. Sat. V. 152. *Indulge genio. Carpamus dulcia. Nostrum est, Quod vivis: cinis et manes et fabula fies.* Imitatio Horatii aperta est, quam et alii viderunt. Sed non viderunt Persium certam Horatii emendandi viam monstrasse. Legendum enim est: *Iam te premet nox fabulam atque manes.* In Codd. scribebatur *fabulā atque manes.* Et varia lectio apud Acronem et in MSS. etiam in duobus D'Orvill. teste Oudendorpio, *fabulaeque et manes*, indicat *fabulas manes* in libris antiquioribus non fuisse appositionem. Caeterum Horatii versum, iam corruptum, ante oculos habuit auctor Epigram. Anthol. Burm. T. II. pag. 473. *Angar haud misere pavore mortis, Quae ad domos trahit invidas Averni, Fabulas manes ubi rex coërcet.*

Et domus exilis Plutonia. Broukhus. annotavit: »Si *exilis* verum est, non erit recedendum ab interpretatione Fabri: v. Gruteri Inscript. p. DCLV. Pricaeus in N. Test. p. 153. Barth. Adv. LIX. 13. Virg. VI. Aen. 269.'' Oudendorpius non probat *domus exilii*, ut nonnulli coniecerant; loca enim inferna bene dicuntur *exilium* respectu hominum, non domus exilii *Plutonia*. Hoc notaret Plutonem ibi esse exsulem. Alii, ut Voss. Epist. 169. Graev. ad Hesiod. p. 27. Heins. ad Petron. 71. parvum sepulcrum intelligunt, in quo cineres sunt reconditi. Et sepulcrum passim appellatur *domus*, sed non *Plutonia*.' Praeterea loquitur Horat. de anima et umbra, non de corpore. Verum est *exilis* domus, pauper, vacua, sine conviviis et luxu: v. Pricaeum ad Appulei. Metam. V. p. 122. et Serv. ad Aen. VI. 269. Haec fere Oudendorpius. Pro *tumulo* accepit Gronov. ad Senec. Troad. 430. Ambiguam esse oportet vocem *exilis*, quae tam variis modis explicari possit. Hoc etiam quaero an *domus*, in qua quis habitet, recte dicatur eum *premere*? Neque domus tantum, sed domus Plutonia, in qua umbrae circumvagentur, quibus nec domus repletur, quae, ut umbrae, premi non possunt. Ego aliquid, Horatio dignum, excogitavi: *Iam te premet nox fabulam atque*

Nunc omnis, et mox virgines tepebunt.

manes. Et domus exilium Plutonia. Domus Plutonia erit tibi exilium, ibi perpetuo habitabis. Hor. II. Carm. 3. loca infera appellat *aeternum exilium.* Eleganter *exilium* dicitur locus in quo quis exulat. Ovid. VI. Fast. 666. *Exilium quodam tempore Tibur erat.* I. Fast. 550. *Felix, exilium cui locus ille fuit.*

Lycidan mirabere. Alii *Lycidam.* Illud habent meliora MSS. Vid. Cort. ad Lucan. III. 636. V. 705.

CARMEN V.

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urguet odoribus
Grato, Pyrrha, sub antro?
Cui flavam religas comam,
Simplex munditiis? Heu! quoties fidem,
Mutatosque Deos flebit, et aspera

CARMEN V.

Quis multa gracilis. In MSS. Franck. a Scholiasta, qui de metris Horatianis libellum composuit, h. l. ita refertur. *Qui multa gracilis.* Et sic iam alios maluisse, dicit Chabotius. Neque hoc mihi displicet. Tollenda iam sunt interrogandi signa. Qui puer te urguet, cui comam religas, heu quoties ille fidem et Deos mutatos flebit! Puer *in rosa*, ut Alexis apud Athen. IX. 25. *Οἰνογευστεῖ, περιπατεῖ ἐν τοῖς στεφάνοις.* Qualis dicendi formula etiam illustrata est in Bibliotheca Critica Nova Vol. III. pag. 237.

Grato, Pyrrha, sub antro. Gratum mihi videtur epitheton nimis tenue et commune. Non credo esse Horatii.

Nigris aequora ventis
Emirabitur insolens,
Qui nunc te fruitur credulus aurea;
Qui semper vacuam, semper amabilem
Sperat, nescius aurae
Fallacis. Miseri, quibus

Emirabitur insolens. Qui toties, saepissime videt aequor placidum mutari in asperum, non insolens videt, neque amplius mirari potest. Propterea quoque Bentlei. pro *emirabitur* legit *ut mirabitur!* et Horatium liberat voce, quae nusquam alibi reperiatur. Ego potius credam eum scripsisse *Mutatosque Deos flebit! ut aspera Nigris aequora ventis Emirabitur insolens!* Postea vidi idem placuisse Cuninghamo. *Emirari* quidem hodie non apparet in editionibus veterum scriptorum, nisi quod Muncker. in Lactant. Placid. p. 251. e MSS. et ed. Veneta dedit. Sed idem illud *emirari* conspicitur in tot bonis MSS. ut sine dubio saepe restituendum sit, ubi nunc *mirari* vel *demirari* videmus: v. Burman. ad Virgil. V. Aen. 555. et Oudendorp. ad Appulei. V. Metam. pag. 274. Praepositio *ex* ut Graeca ἐκ significationem verborum suorum intendit, quod saepe viri docti demonstrarunt. Oudend. l. l. interpretatur. *Crebro, voce et gestu admirationem prodere.* Et Abresch. in Observ. Miscellan. Vol. VI. p. 285. *externis signis admirationem summam ostendere.* Alio plane modo egit Hertelius ad Taciti Agricol. pag. 55. Interdum, ait, praepositio *ex* initium eius rei significat, quae in verbo inest. Sic Horat. *Emirabitur insolens*, i. e. *quoties mirari incipiet*, cum stupore mirabitur.. Sed, ut supra diximus, eandem rem cum stupore semel miramur, minus si saepe redit.

Qui nunc te fruitur credulus aurea. Cornel. Vonckius in Lect. Latin. I. p. 54. coniecit: *Credulus auream.* Non puto hoc a multis probatum iri.

Qui semper vacuam. Plaut. Mostell. I. 3. 37. *Stulta es plane quae Illum tibi aeternum putes amicum et benevolentem.* Vocem *vacuus* illustravit Ernest. ad Tacit. XI. Annal. 12. *In C. Silium, iuventutis Romanae pulcherrimum, ita exarserat, ut Iuniam Silanam, nobilem feminam, matrimonio eius exturbaret, vacuoque adultero potiretur.* Adde Burm. ad Quintil. Declam. XV. 2.

Intentata nites! Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Uvida. Optimi et plurimi libri MSS. non *humida.* De utraque voce multa disputat Cort. ad Lucanum II. 71. in eo reprehendendus, quod putavit Lucanum scripsisse *Stagna uvidi texere soli.* Nemo bonus poëta quantitatem syllabae, ut vulgo cognita erat, mutavit.

CARMEN VI.

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor, Maeonii carminis alite,
Quam rem cumque ferox navibus aut equis
Miles, te duce, gesserit.

CARMEN VI.

Victor, Maeonii carminis alite. Alite omnes MSS. et Pappius, mutatum in *aliti* ab iis, qui putabant *Vario* non accipi posse in casu ablativo, sine praepositione. Contrarium ostendit inprimis Oudend. ad Sueton. Caesar. 19. et Ruhnkenius pag. 33. Uterque in hanc rem usus est loco Horatii. Versus poëtarum in istiusmodi dubitationibus magnum pondus habent. Nam in his saepe propter quantitatem syllabarum varietas lectionis exstare non potest. v. c. Ovid. XXI. Heroid. vs. 179. *Praeteriine tuas de tot coelestibus aras, Atque tua est nostra spreta parente parens?* Scio alios ibi legere *aque tua.* Sed ea constructio tam dura Ovidii esse non potest. Nam oratio ordinari debet *Tua parens spreta est a nostra.* Si velis emendare, possis facilius: *Atque tua a nostra est spreta parente parens.* Sed nil variant MSS.

Miles, te duce, gesserit. Vix Latine, credo, dicitur: *Tu scri-*

Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii,

beris, quae miles gesserit. Fieri potest, ut, quod in eo duri sit, aliquâ minuatur addito *te duce:* quasi esset: Tu scriberis, quae dux cum militibus tuis gesseris. Sed semper aliquid haeret, quod a terso poëta huius aetatis non exspectes. Quod nonnulli observant ex antecedenti *scriberis*, hic esse repetendum *et scribetur* quod milites gesserint, hoc et valde arbitrarium est, et exemplo caret. Deinde laus ducis, quam praecipue in exordio ornare debebat, haud parum minuitur, tam diserta et honorifica rerum a militibus gestarum mentione. Scimus omnes, magnam laudis partem saepe ducibus esse detrahendam cumque militibus communicandam; sed hoc tamen usu receptum est, de quo Euripides in Androm. 685. querentem facit Peleum: *Ὅταν τροπαῖα πολεμίων στήσῃ στρατὸς, οὐ τῶν πονούντων τοὔργον ἡγοῦνται τόδε, ἀλλ' ὁ στρατηγὸς τὴν δόκησιν ἄρνυται.* Sed poëta, bellicam Imperatoris gloriam praedicans, omnia prudens evitat, quae ad tales sententias pertineant. Iam mihi unam in Horatio literulam muta, quae propter magnam similitudinem centies a librariis cum altera confusa est, non solum fragosa verborum constructio tollitur, sed etiam poëtae elegans dictum redditur, et duci maxima gloria, quae tribui possit, tribuitur. Legamus: *Quam rem cumque ferox navibus aut equis Miles, te duce, gesseris.* Laus Agrippae universa cernitur in allocutione *O fortis Agrippa et hostium victor.* Sed hoc Agrippae cum multis aliis ducibus erat commune, et partem iure suo repetebant milites. Igitur addit propriam Agrippae laudem, eamque raram, quod scilicet non modo egregius dux, sed etiam fortissimus miles fuerat. Postquam Homerus Iliad. III. 179. de Agamemnone dixerat: *Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής*, multi scriptores nervosam dicti brevitatem imitati sunt, historici inprimis. Sallust. Catil. 60. *Catilina omnia providere. Multum ipse pugnare, saepe hostem ferire. Strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur.* Vid. Cort. Plin. Panegyr. 10. *Imperator tu titulis et imaginibus et signis; caeterum modestia, labore et vigilantia, dux, et legatus et miles.* Curtius VII. 2. *Septuaginta natus annos, iuvenis ducis et saepe etiam gregarii militis munia explevit.* Ammianus Marcellin. XXIV. p. 301.

Nec cursus duplicis per mare Ulyssei,
Nec saevam Pelopis domum
Conamur, tenues grandia: dum pudor,
Imbellisque lyrae Musa potens vetat
Laudes egregii Caesaris et tuas
Culpa deterere ingenî.

Miles ad Imperatoris tentoria congregatus, laudes ei perhibebat et gratias, quod ubique ignoratus dux esset an miles magis. Idem XXVIII. p. 395. *Cum strenui militis munia et praeclari ducis curas expleret.* Et sic Varius recte scribere poterat quamcumque rem Agrippa miles gessisset. Quidquid enim dux in proelio, officia militis exsequens, gerit, laudandum est in carminibus poëtarum. Quidquid autem dux in bello gerit, hoc non omne dignum est argumento epico. Gerere potest etiam res levioris momenti. Qua re motus Bentlei. vulgatam lectionem non ferebat, legens: *Qua rem cunque.* Quod per meam emendationem nunc non est necessarium. Quam elegans porro et captum librariorum superans dictum sit *quae miles te duce gesseris*, exemplis quam explicatione melius apparebit. An Pompeius fuerit primus, qui usurpavit, nescio. Antiquius quidem non inveni. Pompeius igitur, *cuius adolescentia*, ut dicit Cicero pro Lege Manil. 10. *ad scientiam rei militaris non alienis praeceptis, sed suis imperiis est erudita*, a Censore interrogatus, *ἐι πάσας ἐστράτευται τὰς κατὰ νόμον στρατείας*, clara voce respondit, *πάσας ἐστράτευμαι, καὶ πάσας ὑπ' ἐμαυτῷ αὐτοκράτορι.* Ita rem narrat Plutarch. in Vita 22. Cicero pro Marcello cap. 4. *Haec enim res unius propria Caesaris. Caeterae, duce te gestae, magnae illae quidem, sed tamen multo magnoque comitatu. Huius autem rei tu idem es et dux et comes.* Ovid. II. Amor. XII. *Me duce ad hanc voti finem, me milite veni.* Horat. Carm. I. 2. *Neu sinas Medos equitare inultos, Te duce, Caesar.* Mamertinus Panegyr. Maximiani 8. *Hoc tu sive cognitum secutus es, seu te auctore fecisti.* Auson. Protrept. 100. *Speresque tuos, te consule fasces.*

Nec cursus duplicis per mare Ulyssei. Hoc est *callidi*, ut *διπλόος*. Nihil adhuc melius vidi. Et sic intellexisse videtur Hieronymus III. adv. Rufin. *In Scyllaeo litore paullum steti, ubi*

Quis Martem tunica tectum adamantina.

veteres didici fabulas, et praecipitem pellacis Ulyssis cursum. Non quod *cursum* idem eo loco significat, quod apud Horatium *cursus*, sed ipsa vocabula *cursus Ulyssis* Hieronymo *cursus duplicis Ulyssei* in memoriam vocabant. Auctor Epigr. Anthol. Burm. T. II. p. 548. *Nobilis hinc mota nempe incipit Ilias ira: Altera materia est error fallentis Ulixei.*

Quis Martem tunica tectum adamantina. Ad hunc versum usque sententia carminis facili ordine procedit. »Varius tua facta canet, o Agrippa. Nam Varius est poëta Homero similis. Ego tale argumentum aeque minus tractabo, atque Iliadem et Odysseam post Homerum scribam, aut cothurnum induam post Tragicos Graecos. Nam meae me tenuitatis conscientia vetat tuas laudes et laudes Caesaris indigno carmine corrumpere.'' Cognosce quid nunc sequatur. Quis digne scripserit Martem, Merionem et Diomedem, quos scripsit Homerus? Quis Homero par esse posset? Nemo. Igitur nec Varius tantum sibi sumet. Et Horatius eum supra appellavit *alitem carminis Maeonii.* Si quisquam, hic digne poterat scribere Merionem. Illud etiam mirum. Supra nominavit principes personas Iliadis et Odysseae, et praecipuum Tragoediarum argumentum, ex domo Pelopis in Graecia petitum, et fatetur tam gravem materiem suo ingenio esse maiorem. Nunc plane idem repetiit, et tribus exemplis, ex Iliadé tantum desumtis, confirmavit.

Quis Martem tunica tectum adamantina. Horatius Deum vel heroëm Homericum memorans, uti solet epithetis Homericis. Quod inprimis facere debuit hoc loco, ubi memorat Deum, ita ut iste Deus ab Homero digne scriptus est, idque in Iliade V. Sic stomachus Pelidae refert *μῆνιν Ἀχιλῆος*, et cursus duplicis Ulyssei *ἄνδρα πολύτροπον, ὃς μάλα πλάγχθη.* Sed frustra in Homero quaeras Martem in *tunica adamantina.* Non me latet apud antiquos scriptores *adamantem* non de *gemma* accipiendum, sed durissima quaeque dici *adamantina*, Graece et Latine, et *adamante ligari*, quae solvi non possunt. Vid. Graev. ad Hesiod. pag. 95. interpret. ad Aeschyl. Prometh. Vinct. 6. Delr. ad Claudian. II. Rufin. 470. et Muncker. ad Hygin. p. 59. Exstitisse tamen videtur metallum aliquod, caeteris durius et rarius, quod *adamantem* appellabant. Si Homerus thoracem e tali materie factum Marti non dedit, Horatius non finxisset. Et quomodo dare potuit Homerus,

Digne scripserit? aut pulvere Troio
Nigrum Merionen? aut ope Palladis
Tydiden Superis parem?

qui adamantem ignoraverit? Nusquam hoc substantivum neque adiectivum in carminibus illius occurrit. Adamas, in Iliad. N. 560. est nomen proprium Ἀδάμας Ἀσιάδης. Et Eustath. et hic, et alibi annotavit: Huic nomini proprio παρὰ τοῖς ὕστερον ὁμώνυμος λίθος. Itaque erravit vir diligentissimus Goguetus in libro Franco de *Origine Legum Artium* caet. T. II. lib. II. p. 109. affirmans ἀδάμας et ἀδαμάντινος aliquoties in Homero et Hesiodo inveniri. Hesiodus, Aeschylus, Pindarus et alii usi sunt, Homerus non usus est. Qui si cognovisset nostras gemmas, adamantes, rubinos, sapphiros, sua carmina sine dubio iis ornasset. Conf. Millinus in *Mineralogia Homeri*, quem libellum ex Franco in Germanum sermonem convertit et annotationibus auxit Rinkius, Lips. a 1793. Graviter adeo peccavit Grammaticus, dum exprimere volebat Homericum χαλκοχίτων vel χαλκεοθώρηξ, dicens tunica *adamantina*, quia lex metri non permittebat *ahenea*. Male etiam χιτῶνα in voce Graeca reddidit *tunicam*. Debuisset *loricam* vel *thoracem*. *Tunica* hac significatione Romanis ignota est. Video interpretes ad h. l. admovisse Claudian. de Consul. Probi et Olybrii vs. 99. *Mavors adamante coruscat.* Gesnerus pariter admovit versum Horatii, ut putabat, ad Claudianum. Nulla inter utrumque est similitudo. Nam Claudianus ita intelligendus: *Imago Martis in clypeo, quem ibi describit, coruscabat adamante, facta erat e corusco adamante*, sicuti Tiberis electro, Romulus et Remus auro, lupa aere.

Digne scripserit? Oratio pedestris pro hoc carmine. Cicero I. de Senect. *Numquam satis digne laudari poterit philosophia.*

Ope Palladis Tydiden superis parem? Homerus in Iliade V. narrat Martem cum Diomede, a Pallade adiuto, congressum, discessisse vulneratum. Diceres hoc certamen ab Homero ita esse narratum, ut in eo ornando se ipse superaverit. Nam poëta noster hoc tamquam exemplo utitur Homericae praestantiae, a nemine aequandae. Horatius alia potius exempla laudasset, Diomedeo certamine longe pulchrius ac melius exposita: v. c. Hectoris et Achillis. Certamen Martis cum Diomede efficit unam et eandem hi-

Nos convivia, nos proelia virginum,

storiam. Quare Merionen minus recte medium interposuit. Homerus in eadem pugna Merionen memoravit. Sed quomodo? *Μηριόνης δὲ Φέρεκλον ἐνήρατο.* Nihil amplius.

Nos convivia. Acidal. reponit *convicia.* Et tam parum haec differunt, ut etiam sine MSS. mutare audeamus, si loci sententia postulet: v. Burman. ad Lotichii Carm. pag. 453 et 699. *Convivia* legerunt veteres Interpretes, et Comment. ad IV. Carm. 15. ubi scripsit: »Quandoquidem huiusmodi rei gravitas non lyrico carmini, sed magno operi convenit. Ad lyram autem decantantur convivia, amores, et proelia virginum." Interea dignum esset Grammatico acumen: Homerus canit stomachum Pelidae, unde orta inter eum et Agamemnonem *convicia.* Nos canimus alia *convicia*, et alia proelia quam heroum et Deorum.

Nos proelia virginum Sectis in iuvenes unguibus acrium. Stultum *ὀξύμωρον.* Antequam ad convivia ibant, ungues resecaverant, ne vere possent resistere. Ideo Hemsterh. ad Propert. p. 943. Bentleii emendationem *strictis*, quam pulcherrimam vocat, amplectitur. Idem facit Burm. ad Ovid. I. Amor. 6. Contra Burman. minor ad Anthol. Lat. T. I. p. 501. commendat Gronovii *sectos in iuvenes*, quod etiam coniecerat Gogav. Praeterm. pag. 39. Oudend. reiicit. Scholiastae explicant *ungues sectos*, *praeparatos.* In re simili Iul. Firmicus de Error. profan. Relig. p. 17. *reservatos* appellat; loquens de raptu Proserpinae: *Nec reservati ungues contra rusticum amatorem aliquid profuerunt.* Emendatio Bentleii *ὀξύμωρον* sustulit. Grammaticus, credo, sibi non eripi pateretur. Scholiasta ad Iuvenal. Sat. VI. 365. *Sunt, quas Eunuchi imbelles, ac mollia semper Oscula delectent:* eandem interpretationem sequitur. Apponam doctum Scholion, ut corrigam verba corrupta, et sententiam explicem. »Inutiles ad concubitum, *et, si quando ad proelia ventum est, Ut quondam stipulis magnis nam viribus ignis Incassum furit.* Horatius: *non proelia virginum Sectis in iuvenes unguibus acrium.*" Schrevel. emendat: *Ut quidam in stipulas magnus sine viribus ignis.* Cramerus scribit »Versus sunt ignoti poëtae, in quibus vitium facilius quam medicinam agnoscas." Latebat virum egregie doctum, esse Virg. III. Georg. 98. *et, si quando ad proelia ventum est, Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis, In-*

Sectis in iuvenes unguibus acrium,
Cantamus, vacui, sive quid urimur,
Non praeter solitum leves.

cassum *furit*. In exemplo Horatii etiam legendum *nos proelia*. Veteres Grammatici suos poëtas saepe interpretabantur appositis tantum aliorum poëtarum locis: quod Schol. Iuvenal. h. l. pulchre fecit. Eunuchi, dicit, sunt imbelles, ad concubitum inutiles, tentant tamen, sed, si ad rem venerint, incassum furunt, ut ventus in stipulis apud Virgilium, ut puellae apud Horatium acres sunt, sed sine unguibus. Acres sine unguibus, ut ignis sine viribus, eunuchi sine testibus. De Eunucho idem Auson. Epigr. 108. qui: *Foemineos coetus et non sua bella lacessit.*

Cantamus, vacui, sive quid urimur, Non praeter solitum leves. Animadverte, quid ista Latine velint. »Cantamus, sive amore simus vacui, sive et ipsi amemus, tamen in isto amore non constantes, sed, ut solemus, leves et mutabiles.'' Utrum Horatius, huiusmodi carmina faciens, amet nec ne, utrum constans in amore sit, an levis, an levitas ei sit consuetudo, haec omnia plane non video, quid ad rem propositam faciant.

CARMEN VII.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisve Corinthi
Moenia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe.
Sunt, quibus unum opus est, intactae Palladis arces

CARMEN VII.

Moenia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos. In uno MSS. nostrorum vidi: *ut Apolline Delphos.*

Sunt, quibus unum opus est, intactae Palladis arces. MSS. varietas haec est: *urbem*, (etiam in MSS. Vinar. v. Cort. ad Lucan. III. 340.) *arcem*, *arces*. Oudendorp. annotavit apud Vitruv. IV. 7. ex duobus MSS. Voss. legendum: *Athenis in arce*, *in Attica Sunio Palladis Minervae*. *Urbs* et *arx* saepe confusae: v. Burm. ad Lucan. I. 25. III. 59. Sed hic *arces* non probo. Nam quaenam sunt *arces*? Erant in multis urbibus, et Minerva πολιοῦχος: v. Spanhem. ad Callim. pag. 491. Perizon. ad Aelian. II. 90. Herod. I. 160. Baier Miscellan. Petropol. T. II. Interpr. ad Virgil. Eclog. II. 60. Ideo *arci* additur epitheton, si intelligenda sit Atheniensis, nisi eam intelligi debere ex loci sententia vel antecedentibus appareat: v. exempla apud Bentleium et Hemsterh. ad Aristoph. Plut. vs. 772. Verum igitur est *urbem* vel *arcem*. Hactenus Oudendorpius, qui mihi non persuasit. Docuit enim Bentleius *arces* a poëtis dici etiam de *una arce*. Et sic locutus est Ovid. VII. Metam. 399. *Palladias arces*, intelligens Athenas. Sive dicas *Palladiae arces*, sive *Palladis arces*, eodem redit. In Horatio praecesserunt nobilissimae urbes Graecae. Hinc, facta mentione arcium Palladis, non opus erat epitheto, quo admoneremur esse Palladem Atticam. Quare cum Bentleio *arces* praefero, quod et optima MSS. servarunt, et verba ita esse transponenda arbitror. *Est*, *quibus unum opus intactae sunt Palladis arces*. *Est*, *quibus*, ut Propert. III. 7. 17. *Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae.* Ubi interpretes hanc a Graecis desumtam loquendi formulam satis

Carmine perpetuo celebrare, et
Undique decerptam fronti praeponere olivam.

illustraverunt. Iam eleganter et poëtica facundia, *Arces Palladis sunt mihi opus*, argumentum, in quo ornando versor. Ut Corn. Severus in Aetna vs. 1. *Aetna mihi, ruptique cavis fornacibus ignes — quid raucos torque-et aestus, Carmen erit.* Tacit. I. Hist. 1. *Initium mihi operis Ser. Galba iterum, T. Vinius Consules erunt.* Albinov. I. 268. *Pars erit historiae, totoque legetur in orbe, Seque opus ingeniis carminibusque dabit.* Simili forma Propert. IV. 9. *Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae.* Ovid. II. Fast. 3. *Elegi — Exiguum, memini, super eratis opus.* Ovid. V. Trist. 12. *Carmina laetum Sunt opus.* Iustin. XV. 1. *Herculis sagittae, quae fatum Troiae fuere. Opus* autem usurpatur de omni carminum genere et cuiusvis argumenti: v. Markl. ad Statii Silv. pag. 334..

Carmine perpetuo celebrare. Elegans glossa superiorum *quibus arces unum opus sunt*, formata ad Ovid. I. Metam. 3. *primaque ab origine mundi Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.* Athenas *celebrare* satis erat, ut *laudabunt*, et *dicit.* Quo additum *carmine*? Hoc ipsum intelligitur, quia poëta laudator Tiburis, non nisi poëtas laudatores Athenarum cogitat. Inprimis autem dedecet nominare carminis genus, et dicere *perpetuum.* Si enim hanc vocem de scriptis aliorum usurpemus, ea fit propemodum technica. Laudes Atheniensium canuntur *per partes, carptim* et canuntur *perpetuo carmine*, quo historia laudum ab initio ad finem continetur.

Undique decerptam fronti praeponere olivam. Eadem omnium MSS. lectio, quam mutavit Erasmus in *decerptae frondi*, vere, iudicibus Broukhusio et Oudendorpio. Schraderus ingeniose: *Indeque decerptam fronti praeponere olivam*, ex commentatore Cruquii ni fallor, qui sic interpretatur: *Unum studium est aliquorum, laudibus Athenarum dicendis operam dare, et inde gloriam quaerere.* Remanet difficultas in verbo *praeponere.* Bentleius ostendit hoc per naturam linguae Romanae et similitudinem Graecae dici posse pro *imponere, cingere, praecingere*, sed dictum esse, non ostendit. Neque exemplum adhuc repertum est unum, licet ipsum factum *comas fronde cingendi* sexcenties apud poëtas occurrat. Ego propterea quoque abieci coniecturam, quae mihi aliquando non displicebat: *Unde*

Plurimus in Iunonis honorem,
Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.

queat capiti frondem praeponere olivae. Etiam cogitavi an *oliva undique decerpta* esset, quam Virgil. III. Georg. 21. vocat *tonsam. Ipse caput tonsae foliis ornatus olivae.* Nunc versum inficetum cum praecedente sustuli. Desiderabatur nempe hexameter, si glossa *carmine perpetuo celebrare* versibus Horatianis esset inferenda. Grammaticus finxit hexametrum, ut potuit. In eo multa sunt culpanda. Quamcunque lectionem sequaris, difficillimus est intellectu, etiam post longam disputationem Bentleii. *Praeponere* non sumitur pro *cingere.* Et Horatius hoc tantum quaerit, qui quas urbes laudaverint et habitandas commendaverint, non quaerit de captanda gloria ab arte poëtica. Vivere amem, dicit hic, Rhodi, ille Corinthi ad duo maria sitae, hic Thebis, ubi Bacchus habitavit, ille Athenis, ubi Pallas, alter Argis, ubi Juno. At vide brevitatem in reliquis: laudabunt Rhodon, Ephesum, dicit Argos. Aliis arces Palladis opus est. Unde tanta orationis dissimilitudo, ut hic adiecisset *perpetuo carmine celebrare, et praeponere fronti olivam undique decerptam?* Quid? quod inficetus hexameter, ne satis apte quidem assutus est. Grammaticus enim Horatium fecit dicentem: Sunt, qui hoc unice agunt, quotidie, nihil aliud agunt, nisi laudant Athenas, et sibi coronam imponunt: quibus unum opus est coronam imponere. Corona, ni fallor, semel imponitur, opere perfecto. *Corona* est finis, *plaudite* Comoediarum. Dici potest: unum opus est illi Minervam laudare et inde coronam *petere, quaerere*, non *imponere.*

Plurimus in Iunonis honorem Aptum dicit equis Argos. Ego semper iudicavi legendum esse *honore*, et iungenda illa *plurimus in honore Iunonis:* h. e. aliquis, alter, qui plurimus, sive multus est in honore Iunonis, dicit Argos. Interpretes iungunt: *Plurimus dicit Argos in honorem Iunonis.* Sed valde dubito an Latinum sit *plurimus dicit* pro *plurimi.* Oudendorp. quidem simpliciter affirmat, non esse. Neque verosimile est, Iunonem prae caeteris numinibus *plurimos* laudatores esse nactam. Eadem fuit emendatio Oudendorpii et Cuninghami, quam Oudendorp. tribus locis commendavit, in annot. MSS. ad h. l. ad Sueton. Vitam Lucani p. 995. et Appuleii Metam. p. 366. Atque haec emendatio necessaria videtur, propter caussas supra memoratas, non, quia minus Latine

Me nec tam patiens Lacedaemon,
Nec tam Larissae percussit campus opimae,
Quam domus Albuneae resonantis,

scriberetur *dicit in honorem* Iunonis. Primus, ni fallor, Franciscus Vavassor in Observ. de *vi et usu verborum quorundam* (in Collectione Ketelii pag. 27.) negavit apud bonos scriptores extare »*quidquam in alicuius laudem scribere aut loqui.*" Veteres enim dixisse »*honoris caussa, de laudibus, in aliquem scribere.*" Et sane videtur illa consuetudo esse iam mutatae Latinitatis, cuius exempla ante Augustum non reperiantur: v. Duker. ad Flori II. 3. Cort. ad Plinii X. epist. 24. et Oudendorp. ad Appulei. Met. V. p. 366. Igitur Horatius scribere potuit *dicit in honorem*: ut Propert. IV. 6. 13. *Caesaris in nomen dicuntur carmina. Caesar Dum canitur, quaeso, Iupiter ipse vaces.* Licet alii praeferant *ducantur*. Minus recte. Vide et Santen. ad Terent. Maurum pag. 226. Sed *plurimus in honorem* scribere non potuit: et erravit Vechnerus in Hellenol. II. pag. 264. hunc versum ita subiungens v. c. exemplo e Cicerone petito: *Theophrastus multus est in laudanda magnificentia.*

Me nec tam patiens Lacedaemon. Dixerat: alii Rhodon, Ephesum caet. laudent. Sequi debuisset: mihi nullus ex his locis tantum placet, quantum Tibur. Nisi statuamus in Lacedaemone et campo Larissae etiam aliquid fuisse praestantius, quam in oppidis Rhodi, Ephesi caet. Sed hoc inprimis mirum, Lacedaemonem hic laudari propter patientiam et duritiem, quae olim eiusmodi erant, ut nemo hanc urbem ideo aliis praeferret, nedum Romanus, et Horatius. Idem sensit Oudendorp. ad Sueton. August. cap. 83. et emendavit *spatiis Lacedaemon*, nihil ad explicationem addens, nisi eam rem latiore disputatione indigere. Et sane indigebat talis coniectura. Fecit vir diligentissimus in annot. MSS. ad h. l. Disputationis summa huc redit: Sola Lacedaemon a moribus civium laudatur, caeterae urbes ab aliis rebus. Tempore Horatii non erat patiens, sed dissolutis moribus. Et comparatio est inepta: Larissa me percussit fertilitate, Tibur silvis, Lacedaemon patientia. Legendum dico et acriter contendo *spatiis*, i. e. longis porticibus et deambulationibus oppidi agrique suburbani, vel equorum curriculis ad Eurotam: v. Horat. Epist. I. 14. 19. Sueton. August.

Et praeceps Anio, et Tiburni lucus, et uda
  Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obscuro deterget nubila caelo
  Saepe notus, neque parturit imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
  Tristitiam, vitaeque labores
Molli, Plance, mero: seu te fulgentia signis
  Castra tenent, seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina, patremque
  Quum fugeret, tamen uda Lyaeo
Tempora populea fertur vinxisse corona,
  Sic tristes affatus amicos:
Quo nos cumque feret melior Fortuna parente,
  Ibimus, o socii, comitesque.
Nil desperandum Teucro duce, et auspice Teucro:
  Certus enim promisit Apollo,

83. Claud. 21. Observ. Miscellan. Vol. V. T. 3. p. 14. Unice emendationem confirmat Horat. I. Epist. 7. 40. *Non est aptus equis Ithacae locus, ut neque planis Porrectus spatiis, neque multae prodigus herbae. Spatia* etiam sumi possunt pro locis patentibus in urbe, ut expresserit Homeri Lacedaemonem εὐρύχορον Odyss. XIII. 414. quod in aliis Graecarum urbium epithetis fecit. In hunc modum Oudendorp. suam coniecturam explicavit. Ego neque credo eam esse veram, neque ipse meliorem excogitare potui. Experiantur alii, an sint feliciores.

Et praeceps Anio, et Tiburni lucus, et uda. Nestor in voce Anio: *Atque Taburni lucus et unda.*

Perpetuos. Sic et Codd. Dorvill. teste Oudendorpio.

Molli, Plance, mero. Cod. Franek. *Molli plange mero.* Altera manus correxit *plance.*

Cum fugeret, tamen uda Lyaeo. In nonnullis MSS. vidi *ter.* Corruptum ex *tamen*, compendio scripturae.

Nil desperandum Teucro duce, et auspice Teucro. Schraderus

Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes, peioraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas;
Cras ingens iterabimus aequor.

distinguebat: *Teucro duce, et auspice. Teucro Certus enim promisit Apollo.* Quod idem Iano in mentem venit. Sed ita ad meliorem loci intelligentiam parum profecimus. Nam, quod verissime docuit Bentleius, *auspex* non dicitur nisi numen aliquod, et sacerdos Romanus, proprie ita appellatus. Ideo ille legebat *auspice Phoebo.* Quae Burm. ad Fastor. Ovid. I. 26. contrà Bentleium disputat, nihil sunt. Alii alias protulerunt coniecturas, plurimi contenti sunt felici audacia Horatii, qui significationem *auspicis* mutaverit, et ad hominem a Deo transtulerit. Ego interdum doleo Quintilianum felicem Horatii audaciam memoravisse. Multi enim interpretes, omnia frustra conati, tandem securi ad eam audaciam, veluti sacram ancoram, confugiunt. Sed locus Horatii, de quo nunc agimus, non habet magnam difficultatem, si modo legamus: *Nil desperandum Teucro duce, et auspice Teucri.* Sic invenitur scriptum in duobus Lambin. Codd. in duobus Bentlei. in Collat. Sax. apud Gesnerum, in aliis apud Feam. Sic in uno Leid. et Dorvill. Hanc lectionem alii tacentes non curarunt, alii, etiam Bentleius, vocarunt ineptam: et tamen vera est, si ita explices. *Nil desperandum Teucro et auspice Teucri duce*, ducibus Teucro et Apolline, auspice Teucri. Atque ita legerunt Scholiastae: v. c. Commentator Cruquianus »*auspice, sponsore. Ad Apollinem respicit, cuius responsi promissa sequebatur.*" Brevitas Horatii impedivit, quominus interpretes illius mentem perspicerent. Simile dictum est in Lucano V. 579. *Italiam si coelo auctore recusas, Me pete.* Hoc est *me auctore.*

CARMEN VIII.

Lydia, dic, per omnes
Te Deos oro, Sybarin cur properas amando
Perdere? cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis?
Cur neque militaris
Inter aequales equitat, Gallica nec lupatis
Temperat ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum

CARMEN VIII.

Te Deos oro. Mar. Victorin. pag. 2614. et Atilius Fortunat. p. 2703. *Hoc Deos vere. Vere* corruptum videtur ex *oro. Te* praetulerunt Bentl. et Oudendorp. Terent. Andr. V. 1. 15. *Per ego te Deos oro.*

Cur properas. Mutavi coniunctiva illa *properes*, *equitet*, *temperet*, in praesentia. Nam et sequuntur praesentia, cur *timet*, cur *vitat*, et maior vis est, praecipue in initio, in directa interrogatione. Idem censuerunt Bentleius et Oudendorpius.

Oderit campum, patiens pulveris atque solis. Oderit in istis praesentibus alienum videtur, etiamsi tempore futuro exponas. Oudendorp. coniiciebat: *Odit hic* vel *odit is.* Neque ei displicebat *deserit*, emendatio Withofii in Specimen Gunther. Pro *patiens* legendum puto *impatiens.* Nam Lydia fecerat ut non amplius esset patiens, ideo oderat campum. Similis est locus Taciti II. Histor. 99. *Non vigor corporibus, non ardor animis. Lentum et rarum agmen, fluxa arma, segnes equi: impatiens solis, pulveris, tempestatum.* Comparandus etiam est antiquus poëta apud Cicer. Tuscul. Quaest. II. 15. *Nil horum simile apud Lacaenas virgines, Queis magi palaestra, Eurota, sol, pulvis, labor, Militia in studio est, quam fertilitas barbara.* Trebellius Pollio de Vita Odenati in Triginta Tyrannis cap. 13 *Qui semper in silvis ac montibus vixit, perferens calorem, pluvias, et omnia mala, quae in se continent venatoriae voluptates. Quibus*

Sanguine viperino
  Cautius vitat? neque iam livida gestat armis
Brachia, saepe disco,
  Saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinae
  Filium dicunt Thetidis sub lacrymosa Troiae
Funera, ne virilis
  Cultus in caedem, et Lycias proriperet catervas?

duratus, solem ac pulverem in bellis Persicis tulit. Postea vidi eandem multorum fuisse coniecturam, Roselli, Clerici, non probante Oudendorpio, Reiskii, et Lentzii in Actis Societatis Traiectinae.

Sub lacrymosa Troiae Funera. Caesar Scaliger in Re Poët. pag. 813. dicit »Non sane convenit: latet Achilles in Scyro sub *Troiae funera.*" Iudice Oudendorpio Horatius cogitavit totum bellum Troianum, iam a primo anno, quo per Achillem multa funera sunt facta, pompa funebri celebrata. Addit Lucret. V. 327. et Sabin. I. Epist. 99. *Nunc primum Pallas versae post funera Troiae Visa mihi.* Scaliger nempe cogitabat *excidium Troiae.* Sed vide ipsum Horat. I. Carm. 15. *quanta moves funera Dardanae genti.* Stat. II. Theb. 460. *quanta Cithaeron Funera rotabis.* I. Achill. 84. *quanta Adspicies victrix Phrygiarum funera matrum.*

CARMEN IX.

Vides, ut alta stet nive candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
Silvae laborantes, geluque
Flumina constiterint acuto?

CARMEN IX.

Vides ut alta stet nive candidum Soracte. Stet in omnibus MSS. et apud Serv. ad VII. Aen. 696. Neque caussa est, cur nonnulli voluerint *stat*, quod vel propter *sustineant* admitti non potest. Licet non nesciam illud usurpari. Nihil frequentius quidem est permutatione syllabarum *et* cum *at*, adeo ut de verbis primae coniugationis dubitari possit. Sed alia sunt exempla, poëtarum inprimis, de quibus dubitari non potest. Virgil. in Culice 215. *viden' ut flagrantia taedis Lumina collucent.* Calpurn Eclog. VI. 37. *Adspicis ut fruticat late caput, utque sub ipsis Cornibus, et tereti lucent redimicula collo:* v. et Bentl. ad Horat. I. Epist. 1. 91. Soracte autem *stat nive* significat, totum nive coöpertum est, una Soractis est forma, nivea. Ea verbi notio tam antiqua est, quam efficax. Serv. ad Virgil. VI. Aen. 300. *polysemum* appellavit, et variis saepe modis explicavit. Optime explicavit ad Virgil. XI. Aen. 408. *Coelum stat pulvere*, dicens: *in pulverem conversum est, et quasi totum ex pulvere est.* Horatium sui Scholiastae et exemplis Virgilianis et hoc Enniano illustrant: *Stant pulvere campi.* Caecilius iam dixerat *ager stat sentibus.* Propert. IV. 12. 4. *Non exorate stant adamante viae.* Viae totae sunt adamantinae, adamante obstructae, ut per eas reditus non pateat. Claudian. I. Rapt. Proserp. 236. *Stant ardua ferro Moenia.* Apud eundem I. Rufin. 351. legendum partim e MSS. partim cum Heinsio: *Stat cassis utrique Sidereas hirsuta iubas.* Non *sidereis hirsuta iubis.* Nam hoc exemplum ad nostram *standi* notionem non pertinet, propter additum *hirsuta.* Auctor Pervig. Veneris 48. *Iussit Hyblaeis tribunal stare Diva floribus:* v. et Heins. ad Virgil. VI. Aen. 300. *Stant lumina flamma.* Hinc apparet, magnam esse vim in solo hoc verbo, eamque addito epitheto

Dissolve frigus, ligna super foco
Large reponens; atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.
Permitte Divis caetera: qui simul
Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantes, nec cupressi
Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quaerere: et

non modo non augeri, sed minui. Itaque veteres illi, et Virgilius aliique, nuda tantum substantiva apposuerunt. *Lumina stant flamma*, lumina sunt una flamma. Dic v. c. *ardentia lumina stant flamma*, est supervacuum et languidum. Ium augmento non locus est. Recte autem dixeris *ardenti stant lumina flamma:* quia *ardens* est naturale et ornans epitheton flammae. Ad eandem rationem in Horatio mallem: *Vides ut altum stet nive candida Soracte. Altum* est proprium Soracti, nam quamvis longo satis intervallo ab urbe situs, mons in urbe conspici potest. *Candida nix*, ornate, et secundum naturam. *Soracte stat nive*, antique et efficaciter. Seneca tamen in Thyeste vs. 117. legisse videtur *Stet nive candidum*. Nam dixit *Cithaeronis iuga Stant parte nulla cana deposita nive*. Cuius loci sententiam non perspexerunt Horatii interpretes, qui verba *iuga stant nulla parte* iungentes, ex iis Horatium voluerunt explicare; nam Seneca ita intelligendus est: »Iuga Cithaeronis nulla parte, nusquam, stant cana, quia nives deposuit." *Cana* est nominativus pluralis, quod vel metri ratio indicat. Si inspexeris illos interpretes, disces, quam se in omnes partes vertant, et Horatium commode explicent. Apud Mallium de Metris pag. 23. legitur: *Stet nive candidus.*

Deprome. In uno Leid. *depone.* Quod et alii in aliis invenerunt.

Permitte divis caetera. Val. Maxim. I. 7. *Proinde fide, caetera tacitis permitte fatis.* Oudendorpius hic indicavit, se de hoc verbo egisse ad Lucan. VII. 235. et Caesar. B. Gall. V. 3.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere: et. Et non legitur in uno MS. Leid. ut neque in aliis, quae interpretes viderunt. Oudendorp. quamquam hic putet durum et

Quem sors dierum cumque dabit, lucro
Appone: nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas;
Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et campus, et areae,
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora:
Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo,
Pignusque dereptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

otiosum, tamen non audet tollere, quia Horatius sic saepe posuit. Neque ego tollam.

Sperne puer, neque tu choreas. Scaliger in Re Poëtica pag. 815. dicit: »Versus coëgisse videtur Horatium, ut pronomen interponeret.'' Ego hic semel dicam, hoc nunquam fecisse Romanum poëtam, si sit contra ingenium et consuetudinem linguae: v. Lucan. II. 627. *nec Pharnacis arma relinquas Admoneo, nec tu populos utraque vagantes Armenia.* Vid. Cort. qui dicit *tu* ex MSS. Horat. Vinar. inscite esse eiectum. Liv. XXV. 5. *Vis tu mari, vis terra, experiri virtutem?* Seneca Herc. Fur. vs. 1247. *sive me altorem vocas Seu tu parentem.* Terent. Maurus de Literis caet. vs. 1390. *Vis Iambum? dic Parens. vis tu Trochaeum? Roma dic.* Adde Bentleium, qui etiam attulit locum Senecae.

Lenesque sub noctem susurri. MSS. quaedam *levesque.* Ita et Nestor. et Cod. Zulichem. v. Santen. ad Terent. Maurum pag, 247. Vir ille doctissimus in longa disputatione de voce *laevis* saepe nimium tribuit MSS. quibusdam, ut *levis* et *lenis* cedant suo *laevi.*

Aut digito male pertinaci. Non satis pertinaci. Vid. Ruhnk. ad Sueton. Caesar. pag. 77. et Vellei. Paterc. II. 109.

CARMEN X.

Mercuri facunde, nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, et decorae
More palaestrae:
Te canam, magni Iovis et Deorum
Nuncium, curvaeque lyrae parentem,
Callidum, quidquid placuit, iocoso
Condere furto.
Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci

CARMEN X.

Mercuri facunde, nepos Atlantis. Diomedes et Victorinus, praeter alios Grammaticos, hunc versum laudant. Sed in distinguendis poëtarum versibus, magis videndum, quid vera sententia postulet, quam quid MSS. et Grammatici ferant. Bentleius maluit *facunde nepos Atlantis*, ego *Mercuri facunde*. Poëtae in hymnis res singulas exornant. *Nepos Atlantis*, est laus propria generis. Mercurius *facundus*, propria laus ingenii. Et Mercurius formavit homines, etiam quia erat facundus, non quia erat nepos Atlantis. Si pro *facunde* posuisset Horatius aliud epitheton, v. c. *nobilis*, ferrem distinctionem Bentleii. Nam tale epitheton ad genus pertinet. Oudendorpius facit cum Bentleio. Mecum Porphyrio: *Facundum Mercurium dixit, quia orationis inventor. Nepotem Atlantis, quia Maiae filius.*

More palaestrae. D. Heins. *humore palaestrae.* Infelicem coniecturam, ante Bentleium, explosit Broukhus. laudans Barth. Advers. XXVIII. 1. Gronov. Diatrib. Stat. pag. 149. et alia, deinde a Bentleio occupata. Oudendorp. addidit Stat. IV. Theb. 66. Fabri Agonist. Sacra I. 16. Ciceron. I. Offic. 19. *Omnem morem Lacedaemoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi.* Vide et Virgil. VI. Aen. 853. *Pacisque imponere morem.* et Bibliothecam Crit. Wyttenbachii, VII. 5.

Per dolum amotas. Non *amotos.* Sil. Ital. VI. 629. *Spectacula captas Mira boves.* v. Rupert. ad Silii III. 39.

Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.
Quin et Atridas, duce te, superbos,
Ilio dives Priamus relicto,
Thessalosque ignes et iniqua Troiae
Castra fefellit.
Tu pias laetis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coërces
Aurea turbam, superis Deorum
Gratus et imis.

Viduus pharetra Risit Apollo. Discimus ex Porphyrione, Horatium hoc carmen ab Alcaeo sumsisse. Et constat Alcaeum scripsisse hymnum in Mercurium, etiam in Apollinem, Pausania et Plutarcho testibus. De qua re vid. Fabric. in Bibioth. Graeca. Suspicor Schol. Homeri Iliad. IX. vs. 256. sua ex hymno Alcaei hausisse. Nam quae scripsit, plane cum Horatianis conveniunt. *Ἑρμῆς ὁ Διὸς καὶ Μαίας τῆς Ἄτλαντος εὗρε λύραν. καὶ τοὺς Ἀπόλλωνος βόας κλέψας, εὑρέθη ὑπὸ τοῦ θεοῦ διὰ τῆς μαντικῆς. ἀπειλουμένου δὲ τοῦ Ἀπόλλωνος, ἔκλεψεν αὐτοῦ καὶ τὰ ἐπὶ τῶν ὤμων τόξα. μειδιάσας δὲ ὁ θεὸς, ἔδωκεν αὐτῷ τὴν μαντικὴν ῥάβδον. ἀφ' οὗ καὶ χρυσόῤῥαπις ὁ Ἑρμῆς προσηγορεύθη.* Quae in eodem Scholio sequuntur, ab alia manu adiecta videntur, unde et nomen Alcaei excidit. Ergo et Alcaeus fecit Mercurium lyrae parentem, furem boum, Apollinem minantem, et arcu spoliatum ridentem, et Mercurium aurea virga ornatum.

Ilio dives Priamus relicto. Nihil est, cur hic contra MSS. reponamus *relicta*. Poëtae utuntur utraque forma *Ilios* et *Ilion*. Credo equidem alteram formam interdum a librariis fuisse mutatam, quibus notius esset *Ilium*, sed ubique, hoc non credo. Neque recte statuit Sanadonus, eos in Horat. IV. Carm. 9. *non semel Ilios vexata*, a mutando abstinuisse, quia non poterant sine detrimento metri. Probe enim noverant Grammatici bene dici *Ilium* vel *Ilion vexata*, ut saepissime invenitur, sicuti apud Senec. Troad. vs. 14. *Excisa ferro est Pergamum*. Ubi vide Gronov. Tutius est in talibus sequi optima MSS. et legitimum sonum. Exempla collegerunt Heins. ad Ovid. I. Heroid. 48. et interpret. ad Sil. Ital. XIII. 44. et Burm. ad Propert. III. 1. 31.

CARMEN XI.

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem Dî dederint, Leuconoe; nec Babylonios
Tentaris numeros. Ut melius, quidquid erit, pati!

CARMEN XI.

Tu ne quaesieris, scire nefas. Quaerere, ut *scrutari*, est proprium Astrologis verbum. Tacit. Annal. III. 22. *Lepida defertur, simulasse partum ex P. Quirino, divite atque orbo. Adiiciebantur adulteria, venena: quaesitumque per Chaldaeos, in domum Caesaris.* Ubi Lipsius veram locutionis vim perspexit, addito Tertull. Apolog. 35. *Cui opus est perscrutari super Caesaris salute, nisi a quo aliquid adversus illam cogitatur vel optatur.* Unde optime intelligitur Ovid. I. Metam. 148. *Filius ante diem patrios inquirit in annos*: v. Burm. Tacitus iterum XII. Annal. 52. *Scribonianus in exsilium agitur, quasi finem principis per Chaldaeos scrutaretur.* Hoc est, quod Horatius dicit: ne quaere finem nostrum per numeros Babylonios. Ac propterea melius est coniungere *scire nefas*, non *quaesieris scire*. Ad eandem rem pertinent haec Sidonii Apollin. VIII. Epist. 11: *Mathematicos de vitae suae fine consuluit.*

Finem Dî dederint. Hoc postulat fere constans Romanorum usus, non *dederunt*, quod in quibusdam MSS. apparet, etiam uno Leid. Quae in contrariam partem ostenduntur, v. c. ab Oudendorp. ad Appul. I. Metam. pag. 79. et Caesar. B. Civil. II. 32. ea numero et auctoritate Codd. minora sunt, quam ut a recepta vulgo consuetudine discedamus.

Ut melius, quidquid erit, pati! Iam olim de interpretatione huius loci magna fuit dissensio. Schol. Franek.: *Licet provisa fortius tolerentur, nollem te tamen ante eventum infelicitatis metu torqueri.* Videtur intellexisse: *ut melius pati possis.* Quod etiam volebat Comm. Cruq. Quomodo Plotius h. l. acceperit, non liquet. Hic pag. 2655. ex verbis Horatii Callimachium conflavit: *Nec Babylonis numeros, ut melius, quidquid erit, geramus.* Salmas. ad Tertull. de Pallio pag. 322. explicavit ὡς πολλῷ ἔμπειρον, per accusativum absolutum.

Seu plures hiemes, seu tribuit Iupiter ultimam,
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum. Sapias, vina liques, et spatio brevi

Burman. denique ad Suetonii Vespas. 23. corrigit *at melius*, probante Burm. altero ad Anthol. Lat. Vol. I. pag. 227. sed improbante Oudendorpio. Et mihi nihil aptius videtur, quam ut exponamus: *quam melius, quanto melius est pati, quidquid erit!* De qua significatione particulae vide, praeter alios, virum doctum in Observ. Miscellan. Vol. V. p. 8. Cum reliquis compara Ovid. Heroid. XVIII. 51. *Quidquid erit, pqtiar.*

Sapias, vina liques. Malim distinguere. *Sapias! Vina liques, et, spatio brevi, spem longam reseces.* Puto enim *sapias* et hic et alibi imperative esse sumendum, etiam si tamquam in parenthesi ponatur, v. c. in Ovid. I. Amor. IV. 29. *Quod tibi miscuerit, sapias, bibat ipse iubeto.* Heinsius et alii ad eum locum sequuntur auctoritatem Prisciani, qui Horatianum *sapias* interpretatur *si sapias.* Quod etiam fecit Sanctius in Minervae IV. 7. qui tamen, quod animadvertendum est, scripsit, *si sapies.* Perizonius *sapias* h. l. imperative sumit, ut et Oudendorpius, et alii. Caussa, cur ego censeam *sapias* non recte dici pro *si sapias*, ut putabant Priscianus et Scholiastae, haec est. Romani in illa adhortatione directa, semper loquebantur *si sapis, si sapies*, nunquam *si sapias.* Terent. Eunuch. IV. 4. 53. *Tu pol, si sapis, quod scis nescis.* Tibull. IV. 2. *Spectatum e coelo, si sapis, ipse veni.* Martialis VIII. Ep. 77. *Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo Splendeat, et cingant florea serta caput.* Terent. Heaut. IV. 4. 26. *Tu nescis id, quod scis Dromo, si sapies.* Coniunctivo non locus est, nisi in oratione indirecta et potentiali, ut in epigram. Augusti apud Martial. XI. 21. *Fulviam ego ut futuam? quid si se Manius oret Paedicem: faciam? non puto, si sapiam.* Horat. I. Serm. 9. 34. *Loquaces, si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas.* Plaut. in Menaechm. II. 2. 36. *si me consulas, Iubeas, si sapias, poculum afferri tibi.* Atque huiusmodi exempla non satis distinxerunt Iac. Tollius, neque Burman. in Anthol. Lat. Vol. I. pag. 443, et Vol. II. pag. 526.

Spatio brevi, Spem longam reseces. Spatio brevi est ablativus absolutus. Liv. IV. 41. *Brevi reliquo vitae spatio.* Diome-

Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida

des pag. 303: *Scaurus retulit, cum Latinum eloquium in quodam verbo deficit, velut in illo ὄντος, οὔσης, ὄντων, οὐσῶν; dicimus enim sic: Nullo timore hostium, castra irrupit.* Ratio huius constructionis saepe doctos interpretes fefellit. Longus sim, si hoc exemplis confirmem: vid. Observ. Miscellan. Vol. XIII. p. 60. Cort. ad Sallust. Iugurth. I. et Ciceron. Epist. VI. 1. Non desideramus igitur emendationem Burm. ad Ovid. I. Tom. II. 64. existimantis praestare *spatio brevis.* Parum Latine, credo. Ipsum spatium dicitur *breve* vel *longum*, et homo *aevi brevis* vel *longi.* Homo *brevis* non facile nisi in poëta aliquo inventum iri credit Duker. ad Flori IV. 12. pag. 811. Videtur dixisse Horat. II. 14. *brevem dominum.* Sed *brevis* spatio, non dixisset. *Spatium breve*, ut I. Carm. 4. *vita brevis.* II. Carm. 16. *aevum breve.* Auson. pag. 540. *Dum breve sollicitis spatium producimus aevi.* Atque hic mihi in mentem veniebant nobilissimi versus olim a Neoptolemo cantati in festo, quod Philippo Macedoni ultimum fuit. Leguntur apud Diod. Sicul. XVI. 92. illustrati ab Heynio ad Tibull. I. 1. 70. *ἄφνω τ' ἄφαντος Προσέβα, μακρὰς ἀφαιρούμενος Ἐλπίδας θανάτῳ πολύμοχθος Ἅδας.*

Dum loquimur, fugerit invida Aetas. Unica ratio, qua coniunctivum *fugerit* explicari potest, haec est: *Fugiat*, quid ad nos? Utamur, quod superest. Sed tunc Horatius scripsisset *fugiat.* Quamquam in tali sententia non coniunctivus, sed indicativus requiritur. Non inveni Horatio antiquiorem, qui usurpaverit illud *dum loquimur:* sed multi sunt imitati, quorum dicta referuntur ab interpr. ad Petron. 99. et Burm. in Anthol. Lat. Vol. I. pag. 705. Ovid. IV. Pont. 3. 58. *quae tibi laeta videntur, Dum loqueris, fieri tristia posse puta.* Petron. 99. *Dum loqueris, levis pruina dilabitur.* Persius Sat. V. 151. *Indulge genio, carpamus dulcia: nostrum est, Quod vivis. Vive memor leti. fugit hora. hoc, quod loquor, inde est.* Auson. Rosae vs. 38. *Ecce et defluxit rutili coma punica floris, Dum loquor.* Idem pag. 104. *Iamque, dum loquor, redi.* Quae sunt manifesta imitatio Horatii. Simillimum et hoc Ovid. I. Amor. XI. 15. *Dum loquor, hora fugit.* Sententiam ita amplificavit Hieron. Epist. 35. *Hoc ipsum, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur. Quot puncta notarii, tot meorum sunt damna temporum.* In

Aetas. Carpe diem, quam minimum credula postero.

omnibus istis exemplis est praesens indicativum tempus. Et sic Horatius scripsisset: *dum loquimur, fugit invida Aetas.* Sed lex metri unam syllabam appetebat. Interim *fugit* legitur in uno Leid. in antiquissimo D'Orvill. ut affirmat Oudendorp. et in Schol. Persii Sat. V. 153. Unde credibile est librarios, ut metro prospicerent, fecisse *fugerit*, et Horatium usum esse verbo composito. Oudendorp. credebat oportere legi *diffugit*, vel *defugit*. *Diffugit* etiam erat in Codd. Bersm. et probarunt Rutgers. et Fabricius.

Credula postero. E MSS. Rub. annotatum inveni *postera*. Forte fuit *posterae*.

CARMEN XII.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?
Quem Deum? Cuius recinet iocosa
Nomen imago,
Aut in umbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo, gelidove in Haemo?
Unde vocalem temere insecutae
Orphea silvae,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

CARMEN XII.

Blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus. Serv. ad I. Georg. 308. legit: *Doctum et auritas.* Nestor: *Doctus et auritas. Blandum* et auctoritate MSS. et maiore elegantia se tuetur. Caeterum paullo ante *silvae Orphea secutae sunt.* In his certe fuerunt *quercus.* Et tamen nunc Orpheus iterum *quercus* ducit. Sed arbores, in Haemo stantes, non recte a rupibus separes, quin, si rupes veniant, veniant et arbores. Bene autem *arbores* primum relinquunt rupes, deinde et ipsae rupes accipiunt quasi aures, seque ad Orphea conferunt. Maius etiam aliquid, quam quod praecessit, exspectes in illo *blandum et*, h. e. tam blandum, ut ipsas quoque duceret quercus. Atque in verbis *duxit silvas et vero etiam quercus*, non est gradatio. Nam tanto duriores, quam caeterae arbores, quercus non sunt. Si legamus *Blandum et auritas fidibus canoris Ducere cautes*, habebimus quod in MSS. prope ad *quercus* accedat, quod novam depictae tabulae partem repraesentet, quod denique artem Orphicam clarissime ante oculos ponat, qui *cautes* etiam, quibus nihil rigidius, moverit.

Quid prius dicam solitis parentum
Laudibus? qui res hominum ac Deorum,

Carmina poëtarum sunt plena exemplis Musices Orpheae, et multa indicarunt Heynius ad Virgil. IV. Georg. 493. et Burm. ad Propert. II. X. 5. Ad intelligentiam loci Horatiani inprimis faciunt Apollon. Rhod. I. Argon. 26 sq. *Αὐτὰρ τόν γ' ἐνέπουσιν ἀτειρέας οὔρεσι πέτρας Θέλξαι ἀοιδάων ἐνοπῇ, ποταμῶν τε ῥέεθρα. Φηγοὶ δ' ἀγριάδες — ἃς ὅ γ' ἐπιπρὸ Θελγομένας φόρμιγγι κατήγαγε Πιερίηθεν.* Manil. I. 329. *Tunc silvas et saxa trahens.* V. 322. *Et sensus scopulis, et silvis addidit aures.* Quintil. I. 10. *Orphea non feras modo sed saxa etiam silvasque duxisse, posteritatis memoriae traditum est.* Seneca Herc. Fur. 573. *Quae silvas et aves saxaque traxerat Ars, quae praebuerat fluminibus moras.* Sidon. Apollin. Carm. II. 71. *Qui cantu flexit scopulos, digitisque canoris Compulit auritas ad plectrum currere silvas.* De *cautibus* autem ne quis dubitet, affero tantum Stat. Theb. VIII. 233. *duras animantem Amphiona cautes.*

Quid prius dicam solitis parentum Laudibus? Haec lectio nititur plurimorum et optimorum Codd. auctoritate: et mihi vera videtur, sed explicanda ex Latinitate non vulgari. Iupiter dicitur *laudes* Romanorum veterum, qui laudibus Romanorum celebratur. Veteres Romani habebant sua carmina, eaque in coenis ad tibiam canebant. Argumenta carminum erant laudes maiorum: v. loca classica apud Niebuhr. Hist. Rom. T. I. pag. 263. Iam laudes omnium maiorum non simul canebantur, sed modo Romuli, modo Numae, modo aliorum. Quos cumque autem canerent, a Iove, imperii conditore et conservatore, semper incipiebant. *Ab Iove principium.* Laudes Iovis in conviviis erant solitae. Eam consuetudinem respicit ipse Horat. IV. Carm. 15. *Nosque et profestis lucibus et sacris Inter iocosi munera Liberi Cum prole matronisque nostris Rite Deos prius apprecati, Virtute functos, more patrum, duces, Lydis remixto carmine tibiis, Troiamque et Anchisen et almae Progeniem Veneris canemus. Prius apprecati Deos,* Iovem et alios, in iisdem carminibus. Atque ea religio animis ita erat infixa, ut, narrante Plinio Panegyr. 3. sui maiores etiam *dicendi* initium a precationibus caperent. Caeterum *laudes* pro *carmine* in quo quis laudatur, etiam usurpat Tibull. II. V. 3. *Nunc te* (Apollo) *vocales impellere pol-*

Qui mare ac terras, variisque mundum
Temperat horis?
Unde nil maius generatur ipso,
Nec viget quidquam simile aut secundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.
Proeliis audax, neque te silebo,
Liber; et saevis inimica virgo
Belluis: nec te, metuende certa,
Phoebe, sagitta.
Dicam et Alciden, Puerosque Ledae,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem: quorum simul alba nautis
Stella refulsit,

lice chordas, *Nunc precor ad laudes flectere verba meas.* Id est: Flecte vocem tuam ad modos carminis mei. Cane mecum Messalinum. Eadem ratione aliquis dicitur esse *carmen*, *fama*, caet. Virgil. Cul. 361. Curtius — *Fama vetus.* Propert. II. 1. *Pergama nomen Homeri.* Martial. VIII. 73. *Nemesis fama Tibulli.* Huc pertinent etiam quae notavi ad I. Carm. 7. Varietas lectionis in MSS. haec est, ut alia *parentem*, alia *parentis* habeant. Nunc video Gesnerum eadem fere ratione *parentum laudibus* exposuisse, qua ego exposui. Meam tamen annotationem non delevi.

Temperat horis. Seneca Epist. 73. *Soli Lunaeque plurimum debeo, temperantique annum Deo obligatus sum.* Boëth. Consol. Philos. Metr. V. *Tua vis varium temperat annum.*

Occupavit. Alii legunt *occupabit.* Non laudat Oudendorp. qui vulgatum interpretatur: Proximos quidem, sed longo intervallo: et citat Quintilian. X. 1. *Secundas*, *confessione plurimorum*, *Philetas occupavit.* Ammian. Marcell. XIX. 10. *Erat secundi loci post Antonium*, *ut ait poëta praeclarus*, *longo proximus intervallo.*

Saevis inimica virgo Belluis. Laudatur, qua maxime mortalibus

Defluit saxis agitatus humor;
Concidunt venti, fugiuntque nubes;
Et minax, qua sic voluere, ponto
Unda recumbit.
Romulum post hos prius, an quietum

prodest, sternendis belluis, leonibus, ursis. Hinc montium et nemorum custos III. Carm. 22. Vid. Spanhem. ad Callim. p. 130. 226. Et in inscriptionibus *Sospita. Nemorensis opifera. Victrix. Invicta.* Haec Oudendorpius.

Defluit saxis agitatus humor. Stat. IX. Theb. 525. *Ab infestis descendunt aequora saxis.*

Qua sic voluere. Optimi et plerique Codd. *quia sic.* Regin. a manu secunda *quae sic.* Alii *quod sic*, *dii sic*, *sic dii*, quod Bentlei. recepit, putans tamen hic ulcus aliquod latere. In lectione Bentlei. est aliquid minus commodum. *Sic Dî voluere* tum dicimus. quum aliquid miramur vel dolemus, quod quare fieri debuerit, non plane intelligimus, sed mortales in Deorum voluntate acquiescimus. Talia sunt exempla a Bentleio laudata. Talia sunt haec Statii IV. Theb. 780. *Sic Parcae voluere.* VI. 376. *Sic Iovis imperia et nigrae voluere sorores.* Virgil. I. Aen. 302. *ponuntque ferocia Poeni Corda, volente Deo.* Auson. in Epigram. *Et, cum fata volunt, bina venena iuvant.* Horat. I. Carm. 33. *Sic visum Veneri.* Itaque, secundum Bentleium Horatius dixisset: Simul atque stella Castorum refulsit, tempestas cedit. Mirum quidem. Sed sic Dî voluere, qui huic stellae tantam vim tribuerint. Maior est laus Castorum, si eadem potestas ipsis tribuatur, non additò auctore, unde acceperint. Quare legendum putavi *qua sic voluere*, e corrupto in Codd. *quia* et *quae.* Idem coniecit Oudendorpius. Ubicumque tempestas furat, qua Castores sic volunt, sedatur. Et adverbium loci, simul tempus complectitur. Ovid. XI. Metam. 432. de Aeolo, qui, *Carcere fortes Contineat ventos, et cum velit, aequora placat.* Ῥεῖα apud Hesiod. Theogon. 253. Cymodoce ἥ κίματ' ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ Πνοιάς τε ζαθέων ἀνέμων Ῥεῖα πρηΰνει. Theod. Sellius in Observ. cap. 14. *Dî sic voluere* interpretatur, Deos marinos, vel potius solum Neptunum.

Romulum post hos prius an quietum Pompilî regnum. Causas, cur omnes hos versus eiecerim, deinde singulatim exponam.

Pompili regnum memorem, an superbos

Universe tantum hoc dicam. Si quod unquam Horatio obtigit argumentum, in quo tentaret, quid ingenii vires possent, erat sane argumentum de excellentibus viris, quos sua patria protulit. Nihil unquam bono poëtae laetius accidit, neque uberius. Itaque Virgil. VI. Aen. a vs. 778 ad 960. has partes divinum in modum implevit. Praeclare quoque et supra saeculum suum Claudianus de IV Consul. Honorii a vs. 400. ad 419. retro se in historiam Romanam contulit. In utroque poëta, Virgilio praecipue, maiestas et ornatus cum in rebus tum in verbis cernitur, elucet elegantia et perspicuitas. In Horatianis omnia contra. Imo nihil Horatio dignum, nisi fortasse Paullus *animae magnae prodigus*. Neque hoc mihi sic affirmanti aliquem credere velim. Ipse legat Claudianum, tum Virgilium, denique Horatium. Sentiet, idque melius quam verbis declarari possit, locum adeo eximium ex Romana historia tam negligenter et ieiune ab Horatio tractari non potuisse. Nec sane orationis cursus, si accurate perpendas, est facilis aut iucundus, sed per salebras et longos ambages protractus, taedium parit. Quam nititur poëta et sursum deorsum agitur, ut ad Augustum veniat, *virum*, cuius laudes iam ab initio spectabat! Iam reiectis his additamentis, suus carmini decor et concinnitas restituuntur. *Quem virum*, dicit Horatius, *quem heroa, quem Deum* celebrabo? Iovem ante omnes. Iove enim nihil maius est: quantumvis ex Iove nati Dei et heroes maximis laudibus digni sint. Tanto tibi, o Iupiter, a fatis data est cura Caesaris Augusti, qui sis et custos gentis humanae. Hoc viro nihil maius in terris. Has reget, ita tamen, ut, mortalibus omnibus superior, te uno se gerat minorem. Iam interpone Romulum, Numam, Tarquinium, Catonem, Regulum, Scauros, Paullum, Fabricium, Curium, Camillum, Marcellum, Iulium sidus; in versibus sedecim totidem fere Romanos, tamquam in Catalogo memoratos, interposueris, quod dedecorat carmen, quo demto, carminis pulchritudo augetur. Interim haec additamenta sunt valde antiqua, si Quintil. Inst. Orat. IX. 3. § 18. pro testimonio usus sit vs. 41. *Hunc, et incomtis Curium capillis*. Neque incognita erant Ausonio: v. Professor. Burdigal. VIII.

Romulum post hos prius. Tanta est similitudo horum versuum et loci Virgiliani e sexta Aeneide, ut ea fortuita esse non possit. Imitatus est igitur vel Horatius

Tarquinî fasces, dubito, an Catonis
Nobile letum.

Virgilium, vel contra. Quodsi quis utrumque carmen consideret, videbit Virgilium non fuisse imitatorem; licet esse debuerit per temporum rationem. Sed Horatius, poëta maximi iudicii, suos delevisset, lectis deinde versibus, quos Romani, qui totam Aeneidem tum recens editam admirabantur, memoriter tenebant. Alia ipse docuit in epistola ad Pisones. Ineptum hominem, ni timuisset comparationem! Auctor transit h. l. ad *viros*, idque ipse indicat, dicens *post hos;* id est: Quem nunc memorabo, postquam de Diis et heroibus dixi? Iam hoc non est huius carminis. Tum *dubito*, quam humile! Hoc adeo non tulit Sanadonus, ut pro eo scripserit *prius*. Alia ratio est in his Callimach. Hymno Iovis 4. *Πῶς καὶ τὴν Λυκταῖον ἀείσομαι ἠὲ Λυκαῖον, Ἐν δοιῇ μάλα θυμός.* Et quid dubitabat poëta? Quis post Iovem, Deos, et heroes in terris mortalis laude esset dignissimus, Romulus an Pompilius, Tarquinius an Cato. Hi igitur quatuor maximi omnium Romanorum fuerunt, neque eorum, qui sequuntur, quisquam cum iis comparandus. Magna sane laus Augusto, illi, propter quem hoc carmen inceptum est, si neque ante reges fabulosos, neque mortem Catonis, qui Caesaris fuerat inimicissimus, nominari mereatur. Et tamen mox idem Augustus *orbem reget*, minor uno Iove, itaque maior omnibus Romanis, qui unquam fuerunt. Huic certe suus erat locus statim post Deos et heroes.

Superbos Tarquinî fasces. Iam antiqui interpretes viderunt, quam alienum esset hic cogitare de Tarquinio Superbo, et Priscum intelligi praecepere. Et sane *superbi fasces* esse possunt *magnifici*, ut insigne supremae potestatis. Statius v. c. Silv. V. 2. *cingique superbis Fascibus, et patrias dabit insedisse curules.* Sed Horatius, credo, hic vocem *superbi*, vel propter ambiguum, omisisset. Tarquinii autem Superbi, quem nonnulli recentiores interpretes volebant, nulla mentio fieri potest. Talem virum Clio Romana non sumit celebrare. Oudendorp. putabat, Horatium per *Catonis letum* tacite indicavisse, se per fasces Tarquinii superbos, intelligere historiam regis eiecti a viro Catoni simillimo, sed quem, Augusti caussa, memorare noluit. Bruti nomen silendo, auribus Augusti pepercit, qui Catoni non adeo infestus esset. Alii porro haec aliter, sed oleum et operam perdidere. Cuningh. legit:

Regulum, et Scauros, animaeque magnae
Prodigum Paullum, superante Poeno,

Iunii fasces. Bentleius tacet. Versus, credo, fictus est ex hoc Virgilii VI. Aen. 818. *Vis et Tarquinios reges, animamque superbam, Ultoris Bruti fascesque videre receptos?* Ubi Virgilius recte nominavit Tarquinium Superbum, quia addidit *ultorem Brutum.* Quando autem solus *Superbus* nominatur in hoc carmine, honoris caussa nominatur. Universe auctor non satis perspexit consilium Virgilii, diversum ab ea ratione, ad quam ille deflexit.

An Catonis nobile letum. Dixerat nimirum Virgilius vs. 892. *Quis te magne Cato tacitum relinquat?* Virgilius tamen non Uticensem, sed Porcium Catonem, maiorem cogitavit. Nostro poëtae in mentem veniebat Horat. II. 1. *Et cuncta terrarum subacta Praeter atrocem animum Catonis.* Ibi et Catonem laudavit, neque Augustum offendit, appellans *atrocem*, qui uti nolebat clementia vel amicitia victoris Caesaris. Nulla alibi huius Catonis fit mentio. Non reprehendam alienum tempus et locum, quibus hic Uticensis medius inter Romulum, Numam et Tarquinium, quasi de coelo delabitur. Nam hoc poëtae licebat, si Catonem haberet unum e quatuor maximis viris, qui unquam in Italia et in terris vixerant. Sed Augustus Catonem non amabat, neque in laudibus illius lentus esse poterat, minime ita celebratis: v. Bentleius. Hic ideo legebat *anne Curti Nobile letum.*

Regulum et Scauros. In Scauris eluxerunt M. Aemilius Scaurus, et filius M. Scaurus. Quid autem gesserunt hi suae gentis nobilissimi, ut inter Regulum, Curium, Fabricium et similes Romanos poni mererentur? Pater Scaurus in bello nihil egit, quod eximie in historia annotatu dignum erat. Contra, praetor in Africa, magnitudine pecuniae Iugurthinae in pravum abstractus est. Idem domi erat factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum, caeterum vitia sua callide occultans. V. Sallust. B. Iug. cap. 15. et alibi. Quod *princeps senatus* dicebatur, is honos pro tanto, quantus in hoc carmine agitur, est exiguus. Filius Scaurus, ut scribit Ascon. Pedianus in Argum. Orationis Ciceron. pro Scauro, *aedilitatem summa magnificentia gessit, adeo ut in eius impensas opes suas absumserit, magnumque aes alienum contraxerit. Ex praetura provinciam Sardiniam obtinuit, in qua neque satis abstinenter se gessisse existimatus est, et valde arrogantes. Quod genus*

Gratus insigni referam Camena,
Fabriciumque.
Hunc, et incomptis Curium capillis,

morum in eo paternum videbatur. I nunc, et hos, tales Scauros, extolle, tamquam decora et ornamenta reipublicae, de quibus historia loquatur. Ego Scipiones nominassem.

Animaeque magnae Prodigum Paullum. Eleganter dictum. Exemplo esse potuit Ovid. III. Amor. 9. 64. *Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.* Ubi Ciofanus alia annotavit.

Gratus insigni referam Camena. Non temere spernendum, quod Van der Bourg in suo MS. invenit *Graccos.* Nam quod ille putat, ita correxisse librarium, quia favebat partibus Gracchorum, hoc iocosum magis est, quam verum. Nam librarii illorum temporum non tam docti erant, et Romanam historiam, quamvis Romae viventes, plane ignorabant. Multo prius *Graccos* mutassent in *gratos.* Et cur poëta hic adeo *gratus* esset? an, quia Regulus, Scauri, Paullus Aemilius et Fabricius melius de patria essent meriti, quam Curius et Camillus? Scripsit, credo: *Gracchum et insigni referam Camena.* Ut Virgil. l. l. vs. 843. *relinquat Quis Gracchi genus?* Quia erant, qui scriberent *Graccus*, hinc facilius oriri potuit *gratus.* Vid. Drakenb. ad Sil. Ital. IV. 495. et Cort. ad Lucan. I. 267. Caeterum non modeste dicit *insigni Camena:* infelix imitatio Horatii I. Epist. I. *Prima dicte mihi, summa dicende Camena.*

Hunc, et incomptis Curium capillis. Bouhier. ad Petron. de Bello Civ. vs. 26. cum Marcilio ad h. l. et Salmas. de Coma p. 559. praefert *intonsis* ex Quintil. IX. 3. Quintilianus memoria errasse videtur. *Comere* est mulierum et virorum mollium, Tibull. I. 9. 15. Ovid. Heroid. IV. 75. Quintil. XII. 10. *Do tempori, ne intonsum caput sit: sed nec in gradus neque annulos totum comtum.* Sic Oudendorpius vulgatam lectionem tuetur. Muret. Var. Lect. XIX. 2. Quintiliani *intonsis* monstrans, quid sentiat ipse, non dixit. Servius ad XII. Aen. vs. 100: *calamistratam comam, quae etiam cituperationi est. Unde et contra ad laudem est positum ab Horatio* I. Oda 12. *Hic et incomptis Curium capillis.* Unde apparet Servium legisse *incomptis.* Nam ea interpretatio minus pertinet ad *intonsis.* Itaque *intonsis* est unius Quintiliani. Et ita legisse videtur Comm. Cruq. interpretans

Utilem bello tulit, et Camillum

Curius nunquam tondit caesariem, propter iniuriam praeturae. Sed videamus, quid dicat Quintil. IX. 1. 19. »*Ex eadem parte figurarum* additio *et* abiectio *est. Illaque prior videri potest supervacua, sed non sine gratia est.* Nam neque Parnasi vobis inga, nam neque Pindi. *Potest enim deesse alterum: nam et apud Horatium illud:* Fabriciumque. Hunc, et intonsis Curium capillis." Hic locus mihi valde suspectus est. Nam plane non video, quid in verbis, quae Horatio tribuuntur, omitti possit. Gesnerus putavit *hunc* posse omitti. Sed tum exsistit verborum constructio non ferenda. *Referam Paullum et Fabricium. Et saeva paupertas tulit Curium.* Igitur vel Quintilianus totum locum non inspexit, et memoria fidens, figuram exemplo prorsus alieno illustravit; vel glossator aliquis fraudem commisit: quod in Quintiliano, praecipue in citandis poëtarum exemplis, saepe accidit. Nam tantae negligentiae ille magister non fuit.

Utilem bello tulit, et Camillum Saeva Paupertas. Epitheton *saeva* multis non immerito displicet. Elegantius esset *dura.* Bentleius corrigit *sancta*, Withof. *casta.* In MSS. nulla est varietas, nisi in Vinar. *scaeva*, quod Cort. ad Lucan. I. 165. genuinum putat. Ego nil mutem. Si quid vitiosi sit in epitheto, tribuam poëtae. Imitatur Lucan. l. l. ubi queritur de crescente luxu — *fecunda vivorum Paupertas fugitur, totoque arcessitur orbe, Quo gens quaeque perit. tum longos iungere fines Agrorum, et quondam duro sulcata Camilli Vomere, et antiquos Curiorum passa ligones Laxa sub ignotis extendere rura colonis.* Atque huius Paupertatis Romanae laudes a multis fuerunt celebratae. Vid. Drakenburg. ad Sil. Ital. II. 610. interpretes ad Petron. 84. Adde Apuleii Apol. T. II. p. 434. *Paupertas prisca apud saecula omnium civitatium conditrix, omnium artium repertrix* (τὰς τέχνας ἐγείρει Theocriti) *omnium peccatorum inops, omnis gloriae munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta.* Et paullo ante: *Quemcunque in aliqua laude miramur, eum paupertas ab incunabilis nutricata est.* Hoc est, quod noster poëta dicit: *Paupertas Fabricium tulit.* Ex libro Plutarchi contra divitias servavit Stobaeus pag. 515: *Ἀρκεσίλαος τὴν Πενίαν λυπρὰν μὲν ἔλεγεν εἶναι, ὥσπερ καὶ τὴν Ἰθάκην, ἀγαθὴν δὲ κουροτρόφον, ἐθίζουσαν συνεῖναι λιτό-*

Saeva paupertas et avitus apto
Cum lare fundus.
Crescit, occulto velut arbor aevo,

τῆτι καὶ καρτερίᾳ καὶ καθόλου γυμνάσιον ἀρετῆς ἔμπρακτον. Est igitur hic locus de Paupertate communis. Neque ignotum *utilis bello.* Propert. III. 7. *Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis.* Ovid. II. Am. 3. *Non tu natus equo, non fortibus utilis armis.*

Avitus apto Cum Lare fundus. Schol. Franek. habet *aperto.* Quod forte iuvat emendationem Bentlei *arto*, quem vide ad I. Epist. 7. 58. *Gaudentem parvisque sodalibus; et lare certo.* Ubi ego mallem: *et lare parvo.* Heins. ad Ovid. Metam. VIII. 637. iam multa exempla protulerat: et Markland. ad Statii Silv. p. 178. et Cort. ad Lucan. V. 528. *O vitae tuta facultas Pauperis, angustique Laris. Laris* pro *Lares* emendat Cortius. Et sic legitur apud Comment. Cruq. ad Horatium. Hoc autem loco Lar *aptus* minus convenit cum *saeva paupertate*, quam *artus.* Facilius altera vox in alteram corrumpebatur, quum scribebatur *arctus*, sed in peioribus MSS. v. Drakenb. ad Sil. Ital. II. 103.

Crescit, occulto velut arbor aevo, Fama Marcelli. Ut Virgilius, sic noster poëta desiit in Marcellum. Sed Virgilius splendide et magnifice primum laudat M. Claudium Marcellum, victorem Hannibalis, deinde Marcellum Octaviae filium, alteram spem Romae, recens mortuum. Hic obscure *fama Marcelli crescit.* Alii interpretantur Marcellum majorem, alii cognatum Augusti. Alii hunc esse *Iulium Sidus* existimant. Fac intelligi victorem Hannibalis. Illene tam parum laudatus erat ab aequalibus suis et nepotibus, ut gloria etiam nunc lente ac tarde, nemine videntе ac sentiente, crescere? Ille Marcellus, qui Gallos et Poenos ante duo fere saecula profligaverat? Gloria Marcelli, anno post mortem ducentesimo, non lente crescit. Sed dudum matura viget ac floret: nisi dicamus, Romanos nunc demum intelligere coepisse, quantus ille vir fuerit. Recte Ennius de Fabio, qui propter cunctationem ab omnibus fere culpabatur, sed rumores non ante salutem ponebat: *Ergo magis magisque viri nunc gloria claret.* Et Ennius erat Fabii aequalis. Sic Propert. III. 1. de Homero, qui *posteritate suum crescere sentit opus.* Nam viventi invidia iustas laudes detraxerat. Horatius, etiam invidia

Fama Marcelli: micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

petitus, *crevit usque recens postera laude* III. Carm. 30. Conceditur etiam haec Hyperbole, si loquamur in laude hominum praesentium, aut recens mortuorum, quando v. c. Cicero pro Marcell. cap. 4. exclamat: *Haec tua iustitia et lenitas animi florescet quotidie magis, ita ut, quantum operibus tuis diuturnitas detraheet, tantum afferat laudibus.* Et *quercus Mariana, ingenio sata*, apud eundem I. de Legib. 1. *canescet saeclis innumerabilibus.* Haec igitur de Marcello veteri non accipi possunt. Videamus de Marcello Octaviae filio, adolescente multis virtutibus ornatissimo, quem Augustus sibi destinaverat successorem. Huius fama in dies et horas crescebat, velut arbor aevo tacito. Quominus tamen ita exponamus, obstat, quod huius fama, si laudare velis, potius dicenda erat *celerrime* crescere, quam *occulte*, *clam*, sicuti nemo arborem quotidie crescere videt. Obstat etiam, quod iste Marcellus vivebat. Et poëta adhuc omnes vita iam functos recensuit, et statim Iulium Caesarem nominavit. Neuter adeo Marcellus hic iusto loco positus est. Auctor melius scripsisset: *Crescit occulto velut arbor aevo Fama Marcellis.* Quod eleganter dictum foret pro *Marcellorum*, et tacite significari posset etiam Marcellus adolescens. Sed ne sic quidem omnes difficultates evitasset. Videtur autem hic versus esse formatus partim ex Horatio, partim ex Virgilio. Horat. II. Carm. 2. *Vivet extento Proculeius aevo*, h. e. dum aevum et tempus extenditur: ut h. l. dum aevum, tempus, quod crescit, occulitur. Virgilius X. Eclog. 73. *Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas, Quantum vere novo viridis se subiicit alnus.* Ubi Serv. »*latenter, sicut arbores crescunt.*" Notissima comparatio, quam e Pindaro ductam esse, cur statuamus? V. Pindar. Nem. VIII. 40. cuius arbor ἄσσει χλωραῖς ἐέρσαις viridi rore irrigata, laete ac celeriter in altum surgit. In versu nostro plane contrarium est. Non multum dissimili ratione scripsit Plin. Paneg. 51. *Delubra occulta celeritate properantur.*

Micat inter omnes Iulium sidus, velut inter ignes Luna minores. Ex Virgil. Eclog. IX. 47. *Ecce Dionaei processit Caesaris astrum.* Ubi Serv. »*cum Augustus Caesar ludos funebres*

Gentis humanae Pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data; tu secundo
Caesare regnes.
Ille, seu Parthos Latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho,
Sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos,

patri celebraret, die medio stella apparuit. Ille eam (f. animam) *esse confirmavit parentis sui.*" Virgilius vere, et historice. Noster poëta, translate. Vult enim Caesarem inter Deos propter virtutes receptum, Lunae instar fulgere inter stellas minores. Itaque *inter omnes* nempe mortales, Romanos istos, quos a Romulo inde enumeravit. Dura translatio, et illud *inter omnes* tam humile, ut soli metro datum esse videatur. Male etiam rem, quae vere accidit, Metaphoram fecit. Alii volunt poëtam proprie esse locutum. Sed stella Caesaris fuit cometa, medio die visus, quem Romani nunquam iterum videre. Quomodo hoc Iulium sidus micare poterat inter omnes stellas, quae nocte in coelo fulgent? Sed non operae pretium est amplius in his morari, aut varias interpretum opiniones refutare, eorum, qui *Iulium sidus* exponunt *gentem Iuliam*. Versus, meo iudicio, conflatus est ex Virgil. l. I. et Horat. V. Carm. 15. *Nox erat, et coelo fulgebat Luna sereno Inter minora sidera.* De cometa quod dixi, neque Ovid. XV. Metam. 841. satis distinxisse videtur.

Tu secundo Caesare regnes. Mallem: *regnas.* Non precatur Iovem, ut Augustus ab eo sit secundus: sed laudes Augusti extollit, quia erat a Iove secundus, quia in terris nihil maius erat Augusto. Constabat talem esse Augustum. Sic describitur ab omnibus poëtis. Iupiter in coelo regnabat, Augustus in terris. Ovid. XV. Metam. 859. *Iupiter arces Temperat aetherias, et mundi regna triformis. Terra sub Augusto. Pater est et rector uterque.* Iam vetus hoc dictum est. Plutarch. de Fortuna Alex. pag. 356. refert poëtae versum: *Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τιθεμαι, Ζεῦ, σὺ δ' ὄλυμπον ἔχε.*

Egerit iusto domitos triumpho. Laudo coniecturam Galei *domitos*, quia statim sequitur *subiectos*,

Te minor latum reget aequus orbem:
Tu gravi curru quaties Olympum;
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

quod melius refertur ad Parthos et Seras, quam Parthi dicuntur *domiti* et Seres *subiecti*. Nam h. l. utraque vox idem significat.

Te minor latum reget aequus orbem. *Minor*, secundum religionem ac sapientiam veterum Romanorum. Horat. III. Carm. 6. *Dis te minorem quod geris, imperas*. Eadem significatione adhibuit Tacitus de Morib. Germ. cap. 39. *Nemo nisi vinculo ligatus, in lucum ingreditur, ut minor, et potestatem numinis prae se ferens*. Quod non intellexit Crusius in Probab. Crit. pag. 33. corrigens: *ut timorem ex potestate numinis prae se ferens*. Pro *latum* Oudendorp. cum aliis praeferebat *laetum*, quia, si non adsit *latum*, sensus *orbis* non minuitur, *laetum* gloriam Augusti intendit.

CARMEN XIII.

Quum tu, Lydia, Telephi
Cervicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia, vae, meum
Fervens difficili bile tumet iecur.
Tum nec mens mihi, nec color
Certa sede manet: humor et in genas
Furtim labitur, arguens,
Quam lentis penitus macerer ignibus.
Uror, seu tibi candidos
Turparunt humeros immodicae mero
Rixae; sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.
Non, si me satis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare

CARMEN XIII.

Cerea Telephi Laudas brachia. Cerea brachia videntur esse tam pulchra, quam solent in imaginibus cereis. Sic Ennodius in Vita Epiphanii pag. 361. *Frons cereae pulchritudinis.* Magis tamen mihi placet, quod in Flavio Capro inventum, commendavit Bentlei. *lactea.* Vid. interpr. ad Sil. Ital. XII. 245.

Tum nec mens mihi, nec color Certa sede manet. Sallust. Iugurth. 113. *Vultu pariter atque animo varius. Manet* Oudendorp. praefert plurali *manent*, et regulae, a Bentleio constitutae, hoc addit: »Licet prius nomen etiam sit plurale, verbum iungi debere eodem numero, quo proximum substantivum exprimitur. v. Virg. II. Georg. 495. Petron. B. Civ. vs. 233. interpr. Lucan. X. 37.''

Macerer ignibus. In uno nostro Cod. *concremer.*

Si me satis audias. Audies in duobus MSS. vetustissimis. Et sic saepe Romani: v. c. Cicero ad Divers. Epist. II. 18. VII. 20.

Laedentem oscula, quae Venus
  Quinta parte sui nectaris imbuit.
Felices ter et amplius,
  Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsus querimoniis
  Suprema citius solvet amor die.

Tu, si me audies, has paternas possessiones tenebis. Sed *audias* non muta, quia sequitur *Speres.* Haec Oudendorpius.

Quinta parte sui nectaris imbuit. In uno Leid. est *quarta.* Ex alio MSS. notatum inveni *sua nectaris.* Illud *quarta* favet coniecturae Ramirezii de Prado, *quanta parte sui nectaris imbuit.* Et hoc laudat Oudendorpius qui, ut Burmannus, in Virgil. II. Aen. 503. volebat: *Quinquaginta illic thalami, spes quanta nepotum.*

Divulsus querimoniis. Broukhusius in Graeviano Cod. vidit *prementibus*, addens, se nescire, quid hoc sibi velit. Unum e nostris *divolsusque praementibus*, corruptum ex *divolsus querimoniis.* Bentlei. etiam coniicit *divolsos.* Ita et Muretus et alii in MSS. legi testantur.

Suprema citius solvet amor die. Felices, quos copula tenet, et amor non *solvet.* Quidni legamus *solvit?* Offendit me praeterea omissa negatio in altera parte sententiae. Ea nunc repeti debet ex antecedenti *nec.* Praefero: *Suprema haud citius solvit amor die. Solvit* est in uno Cod. Van der Bourg.

CARMEN XIV.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus? O quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus,

CARMEN XIV.

O navis, referent in mare te novi Fluctus. Exemplum Alcaei, auctoritas Quintiliani, consensus Scholiastarum, qui antiquiores interpretes viderunt, vix patiuntur nos dubitare, an hoc carmen sit Allegoria continuata. Multa istiusmodi reperiuntur in Graecis poëtis, Pindaro praecipue, quae nobis interdum inepta videantur. Adde, quod similes Allegoriae, a navi sumtae, non modo apud poëtas, sed alios etiam omnis generis scriptores, occurrunt, longiores illae, quam pro nostra consuetudine. Exemplis, quae interpretes laudarunt, adde Polybium VI. 44. qui, comparatis semel Atheniensibus cum navi *ἀδεσπότῳ*, diu in eadem Metaphora versatur, ac pluribus verbis, quam sunt in toto hoc carmine. Eleganter Dio Cassius LII. 16. *Ἡ πόλις ἡμῶν, ὥσπερ ὁλκὰς καὶ μεγάλη, πλήρης ὄχλου παντοδαποῦ, χωρὶς κυβερνήτου πολλὰς ἤδη γενεὰς ἐν κλύδωνι πολλῷ φερομένη, σαλεύει τε καὶ ἄττει δεῦρο κἀκεῖσε, καθάπερ ἀνερμάτιστος οὖσα. μήτ' οὖν χειμαζομένην ἔτ' αὐτὴν περιΐδῃς, ὁρᾷς γὰρ ὡς ὑπέραντλός ἐστι· μήτε περιέρμα περιῤῥαγῆναι ἐάσῃς· σαθρὰ γάρ ἐστι, καὶ οὐδένα ἔτι χρόνον ἀντισχεῖν δυνήσεται.* Quid dicam de recentioribus? Iacobus Wallius, dignus aetate Augusta vates, in lib. II. Heroic. pag. 70. hoc Horatii carmen et egregie imitatus est, et imaginem dilatavit. Sidronius Hoschius, Wallio arte et ingenio similis, *cursum vitae humanae* per multas Elegias depinxit. Nobis autem Batavis vel unum carmen Lublinkii de Ionge, quod in illius vita dedit Westerbaanius, sufficit, ut sentiamus, quam pulchre talia allegoria ornari perpetuo possit. Non minus egregium exemplum praebuit Simon van Middelgeest, in pulcherrima oratione, qua Petrum Grotium, magni Hugonis filium, apud iudices defendit.

Et malus celeri saucius Africo
Antennaeque gemant? ac sine funibus
Vix durare carinae
Possint imperiosius

Et malus celeri saucius Africo. In uno Leid. *actus.* Alia manus supra scripsit *saucius.* In uno MS. *saucius* est deletum, et in margine positum. Supra deletam vocem legitur *fractus impulsus.* Codex Graevii *actus ab Africo.* Unde Broukh. coniicit *fractus ab Africo. Saucius* non movendum. Usurpatum hoc et ab aliis, sicuti et *vulneratus*, et τραυματισθείς. Vid. Burman. ad Valer. Flacci I. Argon. 480.

Vix durare carinae Possint imperiosius Aequor. Poëtae saepe utuntur numero plurali pro singulari, sed numquam, nisi in plurali maior aliqua vis ponatur, v. c. gravitatis, indignationis, vel ea substantiva cogitationem non unius partis habeant, ut v. c. *portae*, *pectora.* An in una nave unius carinae plures partes cogitari possint, et aliquid juvet Pollux in Onomast. T. I. p. 57. memorans τροπίδες, et locum in navi ἀφ' οὗ ἡ δευτέρα τρόπις, videant alii. Quoad mihi exemplum ostendatur, *carinarum* de una eademque navi, non credam Horatium a communi usu recessisse. Provocant ad locum Ciceronis III. de Orat. 46. *Quid tam in navigio necessarium, quam latera, quam carinae, quam prora.* Sed nunc ibi vulgo e MSS. legitur *cavernae.* Iam Oudendorp. non fidebat loco Ciceronis. Idem annotaverat dictum Pompeii apud Vellei. Paterc. II. 77. qui, quum in navi Caesaremque et Antonium coena exciperet, dixit: *in Carinis suis se coenam dare*, referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur. Pompeius haud aliter loqui potuit, quia proprium nomen vici Romani erat *Carinae.* Forte Horatius scripsit: *ac sine funibus Vix durare carinâ Possis imperiosius Aequor.* Non feres vim aequoris carinâ tuâ, ea disrumpetur, nisi funibus per utrumque latus ductis muniatur. Ungerus libellum scripsit de *succinctura navium apud veteres* Lipsiae a. 1760. praecipue ut ostenderet, homines olim non solere carinas funibus subligare. Nec vero tam diserta eius rei mentio exstare videtur, quam hic apud Horatium, quem tamen Ungerus omisit. Huc referenda esse puto Ovid. XI. Met. 485. coörta subito tempestate: *Sponte tamen properant alii*

Aequor? non tibi sunt integra lintea,
Non Dî, quos iterum pressa voces malo.

subducere remos. Pars munire latus. Pars ventis vela negare. Vid. Goelerus ad Thucyd. I. 29.

Non Dî, quos iterum pressa voces malo. In Franek. *pssa* hoc est *prensa*, ut coniecit N. Heinsius et alii: idque h. l. melius arbitror, quam *pressa*. *Prehenduntur* et *deprehenduntur* nautae tempestate in medio mari, quam non exspectaverant. Vid. Bentlei. et Serv. ad IV. Georg. 421. »*Deprensus*, verbum nauticum est, cum tempestate occupantur." Diceres Avienum in Arateis non immemorem fuisse loci Horatiani: *vastoque dehinc deprensus in alto Nequidquam pigrae clamabit sidera Lunae.* Eumenius in Orat. pro instaurandis Scholis cap. 6. *Quos ad ipsa palatii magisteria provehi oporteret, veluti repentino nubilo in mediis adolescentiae fluctibus deprehensi, incerta dicendi signa sequerentur.* Adde Arntzen. ad Arator. II. 683. Et sic Graeci. Apollon. Rhod. II. Argon. 1087. σφὲ κατέλλαβε χείματος ὥρη Ἀπρεφάτως. Burm. ad Phaedri V. 4. non recte egit, interpretans *deprehensos* per *obrutos*, *mersos*. Nam navis obruta et mersa, periit. Quod idem plerumque valet de navi *pressa*. Quare etiam iudico hanc lectionem hic minus esse commodam. Horatius allegoriam ita instituit. Navis ergo iterum portu relicto in mare proficisci parat, quamvis etiam laboret detrimentis, quae nuper fecit. Maneat potius; nam si rursus simili tempestate in medio mari *deprehendatur*, non evadet, ut tunc evasit. *Dii* secundum interpretes, hic sunt Dii tutelares navium, quos tempestas deiecerat. Atque hoc tam certo affirmant, quasi ipsi interfuerint. Ego jam hoc urguere nolo, fuisse in una navi Romana unum aliquid numen tutelare, stans in puppe: nam scio quae contra disputari possint ex Ovidio XVI. Heroid. 113. ubi *Venus comitata cupidine* est *tutela;* et ex Persio Sat. VI. 29. *iacet ipse* (naufragus) *in litore et una Ingentes de puppe Dei.* Quamquam in Ovidio sit res plane ficta, et in Persio accipi possit »*cum Deo tutelari, quicunque is fuerit Deorum.*" Hoc, inquam, non urgueo. Nam in argumento de tutelis et insignibus navium, etiam post eruditissimam Ruhnkenii dissertationem, multa manent incerta. Sed si navis tempestatem salva evasisset, salvum erat numen, cuius tantam curam gerebant, ut etiam, nave fracta, nantes secum in terram ducerent. v. l. l. Persii. Atque

Quamvis Pontica pinus,
Silvae filia nobilis,
Iactes et genus et nomen inutile;

in gravissimis procellis magis implorabant Deos marinos, et Castorem cum Polluce, quam numen tutelare. Hoc patet ex centenis poëtarum locis. Neque facile navis sine Deo tutelari altum peteret. Si amisissent tempestate, alteram imagunculam citius sibi parare poterant, quam totam navem reficere. Dii, credo, hic sunt marini, et *Castores*. Hos navis, iterum malo prensa, frustra invocaret, quia prius iter iam illis invitis erat susceptum, quod ex tempestate apparuerat. Itaque nautae tum voverant, se, si salvi in portum venirent, in portu esse mansuros. Idque optime convenit cum bello civili, quod per totam Allegoriam intelligitur. Eadem imago est in his: *Te rursus in bellum resorbens Unda freti tulit aestuosi.*

Quamvis Pontica pinus, Silvae filia nobilis, Iactes et genus et nomen inutile. Locus adhuc meliorem verborum distinctionem desiderat. Alii explicant »quamvis sis Pontica, et sis filia, et iactes.'' alii »quamvis sis Pontica et sis filia silvae, tamen iactes.'' Alii etiam aliter, non minus tamen obscure. Vulgata sanae rationi contraria sunt. Dicit enim poëta: »Di te non servabunt, quamvis iactes et ostentes futilia et tibi non profutura.'' Debuit autem dicere: »Di te non servabunt, quamvis te efferas rebus praeclaris. Nam hae res praeclarae, genus et nomen, in tempestate non iuvant.'' Legamus: *Quamvis, Pontica pinus, Silvae filia nobilis Iactes: et genus, et nomen inutile.* Quantumvis tu, quae es pinus Pontica, iactes te esse filiam nobilis silvae, nomen *Ponticae* est inutile, inutile genus e *silva nobili*. *Genus* et *nomen* in hac re saepe iunguntur. v. Burm. ad Virgil. V. 621. *Cui genus et nomen quondam natique fuissent.* Sulpit. Sat. 37. *Sapiens hominum nomenque genusque.* *Iactas filia* Graecum εὔχομαι et significatione et constructione plane refert. Pindar. Olymp. VII. 40. τὸ μὲν γὰρ πατρόθεν ἐκ Διὸς εὔχονται. Plutarch. T. III. pag. 422. laudat Herculem in fabula dicentem: Ἀργεῖος ἢ Θηβαῖος. οὐ γὰρ εὔχομαι Μιᾶς. ἅπας μοι πύργος Ἑλλήνων, πατρίς. Apollonius Rhod. II. Argon. 188. ἵστορε δ' ἄμφω Ἥ μὲν ναυτιλίης, ἠδ' ἄρεος εὐχετόωντο. Epigr. in Anthol. min. Iacobsii p. 281. Ἀλλὰ καὶ ἠνίκα μαῖα· καὶ ὠδίνεσσιν ἀτήμων Αὐχεῖς. Neque Roma-

Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. Tu, nisi ventis
Debes ludibrium, cave.
Nuper sollicitum quae mihi taedium,
Nunc desiderium, curaque non levis,
Interfusa nitentes
Vites aequora Cycladas.

nis poëtis istiusmodi nominativi sunt ignoti. v. Vechneri Hellenol. I. 32. cui similia quaedam annotavit Markland. ad Statii Silv. V. 3. 69. Schol. MSS. Franck. meam opinionem confirmavit, dicens: »*Iactes*, scilicet *te*." *Filia silvae*, ut Pindaro pluvia παῖς νεφέλας. Oudend. annotavit γῆς θυγατὴρ φάφαρος in Epigr. apud Vossium ad Catull. pag. 48. et Lactant. Sympos. cap. 13. navis *velox formosae filia silvae*. Ausonius de Eccho: *Aëris et linguae sum filia*. Quem locum illustravit M. Schoockius de Natura Soni et Ecchus, pag. 42.

Timidus navita. *Tumidus*, ut volebat Scaliger, etiam apparet in uno Leid.

Nuper sollicitum quae mihi taedium. Horum versuum sententiam nemo explicavit, neque si, omissa iam allegoria, ad ipsam rempublicam accommodaverit. Quando respublica, cui tamen Augustus praeërat, ei fuit taedio? Quid nunc desiderabat, aut quo negotio carebat? Iam dixerat, *occupa portum*, periisti, si te iterum mari commiseris. Ineptum igitur monere, Aegeum mare vitaret, propter Cycladas periculosum. Quanto venustiùs finitur carmen in voce *cave!* Quatuor versus novit Probus pag. 1420.

CARMEN XV.

Pastor quum traheret per freta navibus
Idaeis Helenam perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata: Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite,
Coniurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.

CARMEN XV.

Helenam. Multi *Helenen.* Oudendorp. Romanam terminationem defendit ex Virgil. VII. Aen. 364. Propert. I. 2. 42. Ovid. XIII. Metam. 200. ubi in MSS. nulla est varietas. Ipse Horat. I. Serm. 3. 107. I. Carm. 3. *fratres Helenae*, non *Helenes.* Auson. in Centone ex X. Virgil. Aeneidos: »*Ornatus Argivae Helenae.*" Restituendum hoc eidem in Grypho vs. 10. e Cod. Voss. veterrimo. Videntur Latini in hac voce suam terminationem praetulisse. Haec Oudendorpius. De discrimine literae *a* et *e* in istiusmodi vocabulis egere Markl. ad Stat. Silv. V. 3. 93. et quis non? Difficile est statuere, quid verum sit. In ea quoque re auribus aliquid dandum videtur. Alia ratio est, si Metrum ostendat, quid legi oporteat; ut mox: *Non Laërtiaden*, *exitium.* Bentlei. ad Epod. XVII. 17. dicit se observasse Horatium in Iambis, Sermonibus et Epistolis Latinam declinationem, in Carminibus Graecam amasse.

Nereus fata. Porphyr. *Proteus.* Nam corrupte legitur *protenus.* Et sic alii Scholiastae, v. c. ad Statii Theb. VII. 330. et Nestor in voce, *avis.* Saepe vaticinandi partes Proteo dantur, uti dedit Ovidius in fabula Iovis et Thetidis, ex antiquis Mythologis tamen, XI. Metam. 255. *Dixerat haec Proteus, et condidit aequore vultum.* Ita et Silius Ital. VII. 435. Stat. I. Achill. 32. *Agnosco monitus et Protea vera locutum.* Sidon. Apoll. VII. Carm. 27. *ratum certissime Proteu Certus eras.* Sed et Nereus erat

Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanae
Genti! Iam galeam Pallas, et aegida,
Currusque et rabiem parat.
Nequidquam, Veneris praesidio ferox,
Pectes caesariem, grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides:
Nequidquam thalamo graves
Hastas, et calami spicula Gnosii
Vitabis, strepitumque, et celerem sequi
Aiacem: tamen, heu, serus adulteros
Crines pulvere collines.

antiquissimus vates, eique melius conveniebat fluctus componere. Noti de eo sunt versus Hesiodei, quos respexit Aelianus Var. Hist. XIV. 28. *Nereus* legit Priscian. pag. 765.

Eheu, quantus equis, quantus adest viris Sudor. Heu heu, saepe a Burmannis commendatum, in melioribus MSS. non apparet, et videtur magis esse librariorum commentum, quam veterum manus. Hoc Oudendorp. diligentissime ostendit ad h. l. quam annotationem, ut saepe alias, adiecit Appuleio suo, in quo iam edita exstat Metam. p. 533.

Currusque et rabiem parat. In MSS. antiquo *rabiam*. Vid. Oudendorp. ad Appul. Metamorph. pag. 596.

Veneris praesidio ferox. Graecia veniet, coniurata nuptias tuas rumpere. Tu contra ferox eris, Helenam non reddes.

Imbelli cithara carmina divides. MSS. Franek. *In bella.* Cithara *imbellis* ea est, qua non, ut Achilles, ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν canebat, sed grata feminis, Helenae. De his versibus v. Contaren. Var. Lect. cap. XXVI. et Wernsdorf. ad Himer. Eclog. pag. 111.

Gnosii. Alii *Gnossii. Cnossii.* Sex MSS. *Gnosii.* Propert. II. 9. 10. Lucan. III. 185. Drakenb. ad Liv. XXXVII. 59. Haec annotavit Oudendorpius.

Tamen, heu, serus adulteros Crines pulvere collines. Iungenda sunt: *tamen, heu serus, adulteros* sq. Aliquando tamen moriere, sed, quod dolendum,

Non Laërtiaden, exitium tuae
Gentis, non Pylium Nestora respicis?
Urguent impavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus sciens
Pugnae, sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger. Merionen quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides, melior patre:

serus. Nam multo prius te occisum esse oportebat. Ita quoque intelligebat Oudendorpius et iam Acro: *ad eorum dolorem dixit, qui eius caussa perierunt, aut certe, quia, quantum ad inertiam suam, tarde perierit.* Pro *crines* etiam in MSS. Voss. legitur *cultus.* Sed notio crinium pulvere *collitorum* (in quo verbo simul *sanguis* intelligitur, nam pulvis solus non *collinit* crines) magis convenit cum imagine morientium apud Homerum et omnes poëtas. Et si Paris in proelium iret, cultus istos deponebat, seque, ut alii, armabat. Alius erat in bello, alius in thalamo. Vid. Homer. Iliad. III. 330. et 391. Denique extremo tempore fortem se gessit, inque acie caesus est. Conf. Virgil. Aen. 272. *aterque cruento Pulvere.* Eumen. Panegyr. Constantii XVI. *Illa barbara, aut imitatione barbariae olim cultu vestis, et prolixo crine rutilantia, tunc vero pulvere et cruore foedata* (corpora) *iacuerunt.* Ubi lege: *Illa, illa barbara* sq. Idque e MSS. in quo Livineius dicit scribi: *Ita illa.*

Non Laërtiaden. Alii *num*, ut edidit Fea. Atque hoc melius videtur. *Num respicis?* Non vides post tergum tibi instare, et perniciem moliri patriae tuae Ulyssem et Nestorem? Haec non proprie de pugna, sed translate accipienda sunt, de dolo et consiliis utriusque Graeci. Num respicis? ut Virgil. IV. Aen. 369. *Num fletu ingemuit nostro?* Gravius hoc est, quam *non ingemuit.* Ibi in MSS. eaedem voces turbatae sunt.

Exitium tuae Gentis. Alii *genti.* Oudendorp. magis vero simile putat, librarios mutasse *genti* in *gentis*, quam contra. Ipse paucis eam rem attigit ad Iul. Obseq. de Prodigiis pag. 93. v. interpret. ad Sil. Ital. V. 460. *Exitium trepidis, letique et stragis acerbae Caussa Sichaeus erat.* De *exitium* et *excidium* Vid. Drakenb. ad Liv. V. 18.

Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuae.
Iracunda diem proferet Ilio,
Matronisque Phrygum classis Achillei:

Vallis in altera Visum parte lupum. Dubito an haec sit vera lectio. *Altera pars vallis*, et pedestre est, neque satis magnum intervallum indicat. Sententia est, qualem expressit Ovid. II. Pont. 7. *Saepe canem longe visum fugit agna.* Qui locus ridicule scribitur in Carm. Hildeberti pag. 1347. *Saepe canem longe visum fugit Anna.* Totum istud Hildeberti carmen ex Ovidianis versibus conflatum est. Dicit autem Ovidius *longe visum*, non *longe fugit*, ut accepit Cannegieter ad Avian. fab. XIII.

Iracunda diem proferet Ilio. Nereus hoc vaticinium soli Paridi dixit. Iamque satis indicaverat, Troiam esse perituram. Ista vero: *Ignis uret domos Iliacas post certas hyemes*, magis sapiunt historiam, quam vaticinium, in quo res futurae non tam disertis verbis significantur. Iam *classis iracunda Achillei*, pro *ira Achillis*, tam ridicule dictum est, ut sano homini in mentem venire non possit. Neque ferenda est repetitio *Iliacas* tam prope ab *Ilio*. Violata est lex versus Glyconii, posito *ignis* trochaeo pro spondaeo. Nam ultima syllaba extra caesuram non producitur. Oudendorpius h. l. disputat contra Broukhus. ad Tibull. I. VII. 72. et Drakenb. ad Sil. Ital. IX. 555. Unicum locum a Broukhusio laudatum, qui huc faciat, esse Senecae Med. 775. *Victoris istic perfidi sanguis inest.* Sed auctoritas Senecae non multum valet ad defendendum Horatium, et ultima syllaba in *sanguis*, non multum abit a diphthongo. Quare Oudendorpius hic legi volebat: *ignis Pergameas domos*, quod erat in paucis MSS. alii coniecerunt *barbaricas*, alii *Dardanias*. Sed alia sunt in his versibus, contraria veritati nempe, et historiae Homericae. Classis Achillis stabat in litore subducta. Huius classis in bello iam nullus usus erat. Pugnabatur in terra. Tum solus Achilles ira fervebat. Solus effecit, ne sui in proelium irent: idque Myrmidonibus valde invitis, et eum propterea culpantibus. v. Iliad. X. 200. ubi Achilles eos,

Post certas hiemes uret Achaïus
Ignis Iliacas domos.

duce Patroclo contra Troianum exercitum profecturos, ita alloquitur: Nunc memores estote illius, quod per omne tempus irae meae saepe dixistis, *Σχέτλιε, Πηλέος υἱὲ, χόλῳ ἄρα σ' ἔτρεφε μήτηρ. Νηλεὲς, ὅς παρὰ νηυσὶν ἔχεις ἀέκοντας ἑταίρους.* An, qui ita incusabant Achillem, dici possunt cum eo *irati*? At quamdiu ira Achillis diem protulit Ilio? Ex assuto centone diceres saltem aliquot annos. »Troia tamen *post certas hyemes* crematitur;" poëta Horatium fecit dicentem. Sed tota Ilias completur modo dies quinquaginta et unum anni postremi, quo Troia obsidebatur. Decimo die Achilles iram concipit, vigesimo septimo deposuit: v. Heynii Excurs. VIII. ad librum XVIII. Sunt igitur pauci admodum dies, qui valde exiguam moram interitus Troiani fecerunt. Atque omnes poëtae diuturnitatem belli, non irae Achillis, sed Deorum discordiis et virtuti Hectoris tribuerunt: Hectoris, *cum quo sua Troia sepulta est*, ut dicit Ausonius in Epitaphio Heroum XIV. ubi vide Tollium.

CARMEN XVI.

O matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminosis cumque voles modum
Pones iambis; sive flamma,
Sive mari libet Hadriano.

CARMEN XVI.

Quem criminosis cumque voles modum Pones iambis. Modus ponitur iambis, si Horatius non plures scriberet. Qui modus ponatur carmini, iam absoluto, quod ad puellam miserat, quod illa in manibus habebat, non intelligo. Interpretes *modum* explicant *finem*. Quid tum? *Finem* pones et *modum* pones, nihil differunt. Hoc loco aliquid requiritur, quod significat *delebis*, *ut nihil omnino supersit*. Modus et finis ponuntur rei, quae ad hoc ipsum tempus continuatur. Horat. I. Carm. 24. *Quis desiderio sit pudor, aut modus.* Virgil. VII. Aen. 129. *Exitiis positura modum.* Ovid. IV. Metam. 258. *Venerisque modum sibi fecit in illa.* Statius Silv. II. 6. 2. *lacrymis quisquis discrimina ponis Lugendique modos.* Ubi malim *lugendoque modos*, id est, tempus brevius vel longius finiendi luctus. Symmachus Epist. I. 47. *Memento facundiae tuae modum ponere. Rustica sint et inculta, quae loquéris.* Sic etiam ponitur finis. Lucan. X. 42. *Occurrit suprema dies. Naturaque solum Hunc potuit finem cesano ponere regi.* Ubi finis victoriarum Alexandri intelligitur. Silius Ital. I. 280. de Geryone: *cui ponere finem Non potuit mors una.* Hoc est *vivendi finem*. Ut Seneca Agam. 608. *Audetque vitae ponere finem.* v. Cort. ad Lucan. V. 314. Oudendorp. ad Appul. VI. Metam. p. 405. Burm. ad l. l. Virgilii Horatium sic interpretatur: *Dat puellae optionem, quando velit eum desinere iambos criminosos scribere, et scriptos abolere.* Sensit igitur Burm. difficultatem, non expedivit. Nam facies me desinere, et scriptos abolere, in uno illo *modum pones* non continetur. Atque hinc oriretur talis sententia: sive me, sive scripta mea velis comburere, sive aquis submergere. Praeterea non opus erat in Palinodia polliceri, se nunquam iterum tales Iambos esse

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,

compositurum. Horatius scribere potuit: *Quas criminosis cumque voles modis Poenas parabis. Modi criminosi* sunt iambi. Nam, ut Strabo dicit, οἰκεῖος ἐστὶν ὁ ἴαμβος κακιόμοιζ. Et ἰαμβίζειν est idem quod λοιδορεῖν, κακολογεῖν: v. ad Terent. Maurum p. 67. Et parum grata est h. l. mentio *iamborum*, quia Horatius mox confitetur se suum fervorem in *iambos celeres* misisse. Dubitavi quoque an Comment. hic legerit *iambis*. Nam dicit: *Scripserat autem iambicis versibus: qui pes Iambus vehementiam affert, invectivis valde accommodus.* Nisi potius legendum sit *quia pes Iambus*. Prima autem caussa loci adeo corrupti esse potuit v. c. *pones*, perverse scriptum pro *poenas*. Quo facto, omnia mutari debuerunt. *Parabis* et *iambis* in MSS. nihil fere differunt. *Parare poenas*, quam proprie dictum sit, etiam ostendit Pricaeus ad Appul. T. III. pag. 382.

Non Dindymene, non adytis quatit. »Adytis, dicunt, pro *in adytis*. Incola Pythius, qui Pytho, Delphos inhabitat, Apollo. Exquisitius tamen, qui incolit mentes sacerdotum." Haec interpretes. Non credo numen aliquod ita appellari incolam urbis, in qua praecipue habitare putabatur. Nusquam legi v. c. *Incola Delius*, *Incola Samia*, *Atheniensis*. Homines potius intelligeremus, non Apollinem, Iunonem, nec Minervam. *Incola mentis*, placuit D'Orvillio ad Charitonem p. 527. et Burm. ad Valer. Flacc. IV. Argon. 445. non Oudendorpio. qui idoneum huius locutionis exemplum desiderabat. Solvit has difficultates Hemsterhusius, qui haec annotavit: »Certissime legendum: *adyti*. Pythius incola adyti. Graecis enim eximie ἄδυτον interior templi Delphici recessus. Gratius Cyneget. 438. *Vulcane loci Incola sancte.*" Oudendorpius annotavit Inscript. apud Spon. Miscellan. pag. 88. et Fabrett. p. 789. ubi Diana vocatur *silvarum ac nemorum incola*. Sic enim legebat vir ille, in numis et inscriptionibus explicandis etiam diligenter versatus. Adde Minut. Felicem Octav. p. 65. *Templa sunt magis augusta numinibus incolis.* Claudian. II. Rapt. Proserp. 270. *Seu tu sanguineis ululantia Dindyma Gallis Incolis.* Sed verbum notius est. *Quatit*, ut Seneca Agam. 588. Iliades, *quas effrena Phoebas quatit.* Lactant. II. 14. *Spiritus tenues quatiunt mentes furoribus.*

Non Liber aeque, non acuta
Sic geminant Corybantes aera,
Tristes ut irae: quas neque Noricus
Deterret ensis, nec mare naufragum,
Nec saevus ignis, nec tremendo
Iupiter ipse ruens tumultu.

Non acuta Sic geminant Corybantes aera. Bentleius corrigit *si geminant.* Oudendorpius non probat, quia Corybantes si geminant aera, iam antea mente perculsi sunt. Emendationem Bentl. etiam refellit Burm. ad Gratii Cyneg. 438. sed iis argumentis, dicit Hemsterhusius, *quibus ego maxime avocor, quin verissimam putem.* Et sane est emendatio verissima. Sed nondum omnes difficultates superavimus. Locum excutiamus: »Non Cybele, non Apollo, non Bacchus, non Corybantes sic quatiunt mentem, ut tristes irae." Quorum mentes quatiuntur? Sacerdotum a Deis. Non item sacerdotum a Corybantibus, qui ipsi sunt sacerdotes. Ergo cogimur ita accipere: Dei quatiunt mentem sacerdotum, Corybantes *aliorum*, qui spectant et audiunt. Quod paucis, credo, placebit. Aliud praeterea me offendit. Furor a Diis immissus est terribilis. Iam exspectas hic aliquid huic tanto furori saltem non dissimile; memorantur sacerdotes, qui aliis furorem iniiciunt, quod iam minus est furore divino, et memorantur sacerdotes eiusdem Deae, quae paullo ante dicta est *quatere mentem* sacerdotum suorum, hoc est, *Corybantum.* Quapropter mihi arridet ingeniosa transpositio Sanadoni, Dindymenem ad suos sacerdotes retrahentis. Vero simillimum est, Horatium dedisse:

Non Liber aeque, non adyti quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Dindymene, non si acuta
Ingeminant Corybantes aera.

Non Bacchus ita quatit mentem Baccharum, non Apollo sacerdotis Pythiae, non Cybele Corybantum, tum quum aera sua ingeminant, et in summum furorem venerunt.

Nec saevus ignis. Burm. accipiebat *ignem* de fulmine. De qua re certatum est in Hist. Reip. Lit. T. VII. p. 69. et T. X. p. 207. in quibus, aliisque similibus libris varia Horatii loca tractantur, sed ita plerumque, ut parum inde ad veras lectiones et meliorem poëtae intelligentiam lucremur. Ut h. l. vel solum illud *ipse Iupi-*

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, et insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

ter, suadet ne, quod antecedit, hac referamus. *Ne ipse quidem Iupiter* est initium novae sententiae. Burmannum etiam refutat Oudendorp. referens *ignem* ad tormenta et cruciatus. Eo iudice, Horatius tum potius scripsissit: *Saevo nec igni.*

Fertur Prometheus addere principi. Parenthesis quaedam, quae concitatum totius carminis cursum ingrato impedimento abrumpit. Equidem Horatium non agnosco nisi in illis ingenii monumentis, quae tam apta et rotunda sunt, ut nihil demere possis, quin elegantiam minuas. Tolle hos versus, elegantia carminis augetur, et omnia optime cohaerent. *Irae Thyestes* cum gravitate repetitur post illa *tristes et irae.* Quid de ipsa Promethei fabula dicemus, quae tali modo ornata, nusquam alibi occurrat? Si revera apud auctores Graecos extitisset, non dubito quin aliqua notitia, vel per Horatii scholiastas, ad nos pervenisset. Fuit interpres, qui affirmat, hanc fabulam esse elegans inventum Stesichori in Palinodia Helenae dicta, idque constare ex Fulgentii Mythol. lib. III. cap. 7. Sed in toto illo Fulgentii capite nec vola nec vestigium huius rei apparet. Et omnino interpretes plus tribuerunt imitationi Stesichoreae Palinodiae, quam aequum est. Si quis verba Acronis consideret, is videbit, hoc tantum voluisse Grammaticum: *Horatius scripsit hanc Oden in satisfactionem amicae suae, quam iratus carmine laeserat: imitatus Stesichorum poëtam, qui vituperationem scribens Helenae coecatus est, et postea laudem eius scribens, oculorum adspectum recepit.* Haec sunt ipsa fere Acronis verba. Imitatio igitur est, quod, ut Stesichorus, sic Horatius scripsit Palinodiam, et *opprobria recantavit.* Poëtae quidem eam sibi sumsere licentiam, ut in fabulis nonnulla mutata ad suum consilium accommodaverint, sed hi veteres Graeci, non Romani. Ipsa haec de Prometheo, hominem fingente, fabula varie a variis traditur; quae vero hic legimus, magis sapiunt ingenium fabularum Aesopicarum, quas diu post Phaedrum lepidi homines finxerunt. Ipse Phaedrus lib. IV. fab. 14. iam usus est persona Promethei, quamquam ne hoc quidem, sine exemplo, ut videtur.

Irae Thyesten exitio gravi
Stravere, et altis urbibus ultimae
Stetere caussae, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem. Me quoque pectoris
Tentavit in dulci iuventa
Fervor, et in celeres iambos
Misit furentem: nunc ego mitibus
Mutare quaero tristia; dum mihi
Fias recantatis amica

Si denique singulas horum versuum partes exploremus, non referunt elegantiam nec perspicuitatem Horatianam. Perspicuitas autem praecipue in nova fictione requiritur. *Coactus Prometheus.* Nemo perspicit, cur tandem coactus fuerit addere illam particulam. Alia res est in Platonis Protagora 32. ubi, postquam Epimetheus *ἔλαθεν αὐτὸν καταναλώσας τὰς δυνάμεις εἰς τὰ ἄλογα*, Prometheus *ἀπορίᾳ ἐχόμενος, κλέπτει Ἡφαίστου καὶ Ἀθηνᾶς τὴν ἔντεχνον σοφίαν ξὺν πυρί.* Sic in Anacreonte Carm. 1, Natura omnia distribuerat inter animalia et viros, et, dum non haberet, quod feminis daret, dedit pulchritudinem. *Particulam undique desectam* esse ex variis animalibus, admodum obscure confici debet exemplo *insani leonis.* Quodsi vero Prometheus timorem depromsit a lepore, astutiam a vulpe, iram a leone, ut dicit Comm. Cruquii, sunt hae *particulae* undique desectae, non una *particula.* Neque enim intelligi potest una particula undique desecta, deinde coniuncta. Nam varii affectus suis quique locis fuere distributi, ut ira stomacho. Denique *vis insani leonis* vix aliud quam *robur* significare poterit. Ego suspicor hanc fabulam, animi caussa, ab homine Christiano, fuisse excogitatam, qui in *limo principe* cogitabat Adamum. Hic enim in libro Sapientiae vocatur *πρωτόπλαστος.* Graeci, quamquam homines appellent *πλάσματα πηλοῦ*, Adamum aliquem, e quo genus humanum sit propagatum, ignorant. Prometheus non unum e

Opprobriis, animumque reddas.

limo finxit; sed plurimos, totam aetatem. Vocabula Christiana πρωτόπλαστος, γῆ παρθένος, similia, explicavit Suicerus in Thesauro Ecclesiastico.

Tentavit in dulci iuventa. In abest ab uno MS. Franekeranum habet *indulci*, quod coniecerat Waddelius. Slothouw. in Actis Literariis Societatis Traiectinae T. III. pag. 190. volebat: *Tentavit, heu! dulcis.*

CARMEN XVII.

Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus, et igneam
Defendit aestatem capellis
Usque meis, pluviosque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quaerunt latentes et thyma deviae

CARMEN XVII.

Lucretilem. Ita et Priscian. pag. 1175. Sed Diomedes p. 520. *Lucretile.*

Defendit aestatem capellis Usque meis. Faunus saepe venit in agrum Sabinum, et semper defendit aestatem. Haec non bene conveniunt. Neque enim tantus Fauni erga Horatium erat amor, ut absens quoque in Lycaeo, hoc ei beneficium praestaret. Forte hoc ita expediri potest, ut dicamus: »Si Faunus veniat, tunc semper defendit". Ego scriptum mallem. *Defendit aestatem capellis Ipse meis.*

Tutum per nemus. Oudendorpius, ut Bentleius, praefert *totum*. Etiam per loca densa, ubi sunt ferarum cubilia. Nunc et eo impune vagantur propter Fauni praesentiam. Haec praesentia aeque intelligitur ex voce *impune*, atque *tutum*. *Totus* et *tutus* saepe sunt confusa: v. interpretes ad Sil. Ital. X. 312. et Liv. XXVIII. 4. Ita Oudendorpius vulgatam lectionem *tutum* reiecit.

Olentis uxores mariti;
Nec virides metuunt colubras
Nec Martiales hoeduleae lupos:
Utcumque dulci, Tyndari, fistula
Valles, et Usticae cubantis
Levia personuere saxa.
Dî me tuentur: Dîs pietas mea,
Et Musa cordi est. Hic tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

Nec virides metuunt colubras. In uno MS. reperi *colubres.* In recentioribus *colubros.* v. Oudend. ad Appul. Metam. p. 352. Schol. Statii V. Theb. 549. citat: *Hic virides metuunt colubras.*

Nec Martiales hoeduleae lupos. MSS. Voss. *aediliae.* Gronov. ad Senecam Herc. Oet. 1590. dicit, Auratum hic bene restituisse *hoedulei.*

Usticae cubantis. Theocritus Eid. XIII. 40. τάχα δὲ κράναν ἐνόησεν Ἱμέρῳ ἐν χώρῳ. Vid. Wernsdorf. ad Himer. Eclog. p. 639.

Levia personuere saxa. Nulla de caussa Wernsd. ad Calpurnii Eclog. VII. 25. *lenia.*

Et Musa cordi est. Statius I. Silv. IV. 4. *Es coelo, Dis es, Germanice, cordi.*

Hic tibi copia. Hic etiam MS. Franck.

Ruris honorum. Franck. *honor.* Forte in nonnullis fuit *honos.* Ut *opulenta copia manans e benigno cornu*, per appositionem appelletur *ruris honos.* Credo Horatium scripsisse: *ruris honorem.* Non me adeo offendit duplex ille genitivus *honorum ruris*, in quo mutando viri docti saepe fuerunt nimii; vide v. c. Cort. ad Sallust. B. Iugurth. XXX. Sed *honorem* multo elegantius puto. Docta et facilis verborum constructio, quod secus est in vulgatis. Nam *Copia*, propter adiectum *benigno cornu*, est *Dea.* Iam Dea non apte dicitur ipsa e cornu suo manare, sed illud, quod in cornu est, *effundere.* Horat. I. Epist. 12. *aurea fruges Italiae pleno defudit Copia cornu.* Carm. Saecul. *Apparetque beata pleno Copia cornu.* Gualter. Alexandr. X. pag. 223. *Cuius opem pleno mihi Copia cornu Fudit.* Copia tibi ad plenum e benigno cornu manabit honorem ruris. *Manare*

Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus, et fide Teïa
Dices laborantes in uno
Penelopen, vitreamque Circen.
Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra: nec Semeleïus
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia: nec metues protervum
Suspecta Cyrum, ne male dispari
Incontinentes iniiciat manus,
Et scindat haerentem coronam
Crinibus, immeritamque vestem.

quamquam non plane sit verbum activum, tamen quasi activo sensu accipitur. Horat. I. Epist. 19. 44. *fidis enim manare poëtica mella Te solum.* Ovidius VI. Metam. 313. *lacrymas etiamnum marmora manant.* Ubi v. Heins. Vidi postea Heynium ad Virgil. II. Georg. 244. locum Horatii laudasse ita scriptum: *ruris honorem.* Sed imprudente Heynio hoc factum credo. Nam comparavit Horatii *ad plenum*, cum Virgiliano *ad plenum*. *Honores* ruris, hoc est fruges, herbas, flores, folia, illustravit Burm. ad Gratii Cyneg. 376. Dicuntur autem et *honores* et *honor*. Horat. Epod. XI. 9. December *Silvis honorem decutit.* Nemes. de Aucupio 19. *Cum nemus omne suo viridi spoliatur honore.* Avianus in Descript. Orbis 347. *Nilus honorem Telluri reparet.*

Dices laborantes in uno. Alii *disces.* Quod placebat Burmanno. Oudendorp. putabat eodem pertinere glossam Comm. Cruq. »Repromittit amicae in agello suo se lyricum carmen decantaturum.''

CARMEN XVIII.

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem
Circa mite solum Tiburis, et moenia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus proposuit: neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.

CARMEN XVIII.

Nullam, Vare, sacra vite prius. Comm. Cruq.: *Suadet, ubi competens tempus est, ut nullam arborem prius, quam vitem ponat.* Et hic videtur legisse *vere.* Ut Acro, *vere novo.* Cuius lectionem, a nemine annotatam, miratur Burm. ad Ovid. III. Art. 703. Iam fecerant Fabricius, Pulmannus, alii. *Ver* non est in versu Alcaei. *Μηδέν γ' ἄλλο φυτεύσης πρότερον δένδρεον ὀμπέλου.* Vulgo contra metrum scribunt *μηδέν ἄλλο.* v. Valck. ad Herodot. VIII. 110.

Post vina. Omissum est participium verbi alicuius. Antiqui prosae scriptores rarius ita loquuntur. Sallust. Iugurth. 55. *Neque post insidias Iugurthae effuso exercitu praedari.* Cicero IV. ad Divers. Epist. 4. *Post has miserias, id est, postquam armis disceptari coeptum est de iure publicò, nihil esse actum aliud cum dignitate.* Magis hoc proprium est poëtarum, et scriptorum aevi recentioris, qui in eo sibi placuerunt. Tacit. III. Hist. 49. *Antonius nequaquam pari innocentia post Cremonam agebat.* Florus IV. 2. *Nec ulterior moram fecit. Quid enim una post quinque legiones.* Ovid. XII. Met. 607. *Quod Priamus gaudere senex post Hectora posset, Hoc fuit.* Val. Flacc. V. Argon. 77. *Post acies, rubrique novissima claustra Aequoris.* Atque ea dicendi brevitas multis interpretibus fraudi fuit, miror Latine scientissimo Oudendorpio in Anthol. Burmann. T. I. pag. 4. *Cygneos genitor gestans post fulmina pennas.* Ubi volebat *pro fulmine*, idque probabat Burmannus. Imo intellige post fulmina *gestata*, nunc gestat pennas oloris. Hinc etiam explicandus est Nemesianus in Eclog. III. 21. *Vera Iovis proles: iam tunc post sidera coeli Sola Iovem Semele vidit Iovis ora professum.* Sola Semele veram Iovis faciem vidit, posquam ille Deus coelum reliquerat. Nam alias fallebat in cygno, tauro, et aliis

Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem
crepat?
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens
Venus?
Ac ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata: monet Sithoniis non levis Evius,
Quum fas, atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam: nec variis obsita frondibus

figuris. Minus recte Barthius et cum eo Burmann. *Sidera coeli* interpretantur *Deos*. Schol. Statii ad Theb. I. 256: *Non irascor illi civitati, ubi mutatus adulteria commisisti, cum aliis enim maiestate dissimulata concumbis, ad Semelem vero professus numen intrasti*. Plura vide ap. Cort. l. l. Sallustii, et Lucan. V. 474. et VI. 145. Quantopere Graeci recentiores hoc usu praepositionis μετα delectati sint, praecipue Himerius, docuit ad eum Wernsdorf. pag. 41.

Rixa super mero Debellata. Oudendorpius dubitat an unquam alius ita scripserit, et coniicit *super merum*: ut Flor. IV. 2. *super pocula*. Curt. VIII. 4. *super vinum*. Idem ad Suetonii Calig. 22. *super coenam*, tuetur; et sic Stat. II. Theb. 161. *Et super hesternas licuit cognoscere mensas*. Vid. Freinshem. Ind. Curt. Plin. IV. Epist. 22. *Super coenam*. Rixa *super mero*, significat *de mero*, propter merum, cui merum, in mensa positum, in praedam cederet.

Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum Discernunt avidi. Oudendorp. iungit vel *nefas libidinum* vel *fine libidinum*, et pro *avidi*, legit *madidi*. Ita et coniecerat amicus Gesneri, ipso non probante Gesnero. Mihi placet consueta ratio: *discernunt fas et nefas exiguo fine*; id est confundunt. Finis inter fas et nefas est exiguus, nullus. Ovid. Rem. Amor. 326. *Iudiciumque brevi limite falle tuum*. Stat. Silv. V. 2. 74. *nitorque Luxuriae confine tenens*. Virgil. III. Aen. 685. *Inter utramque viam, leti discrimine parvo*. V. Heins. ad Ovid. VII. Metam. 426. Hinc explicandus Silius Ital. XII. 77. ubi Hannibal ad milites suos, qui Cumas obsidebant: *Cumanus hiantem*

Sub divum rapiam. Saeva tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quae subsequitur coecus Amor sui;
Et tollens vacuum plus nimio Gloria verticem,
Arcanique Fides prodiga, perlucidior vitro.

Agger adhuc murusque tenet? Gracchumque, moveri Non ausum portis, parvo in discrimine cerno? ubi non recte interpretes: quasi Gracchus nihil periculosi conatus sit, facta eruptione. Imo, tam brevi a me intervallo Gracchum cerno, qui solo aggere et muro a me separatus sit. Idem aliis verbis sic expressit Virgil. XI. Aen. 381. *Dum distinet hostem Agger murorum.* Ovid. I. Pont. 8. *Minimum nos inter et hostem Discrimen murus portaque clausa facit. Minimum discrimen*, ut Silius *parvum discrimen.*

Et tollens vacuum plus nimio Gloria verticem. Septem MSS. ab Oudendorpio inspecti *extollens.* Ita et Porphyrius et Servius ad IX. Aen. 633. Ideo malebat: *coecus Amor sui*, *et Attollens.* Vide ad Appul. Metam. pag. 760. Caeterum hi versus ante oculos fuerunt auctori Epigrammatis in Anthologia Burmanni T. I. p. 540. *Multos coecus amor cogit secreta fateri, Arcanum demens detegit ebrietas.* Formulam *nimio plus*, nam ita alii scriptores saepe ponunt, exemplis auxit Iuretus ad Symmachi I. Epist. 25.

CARMEN XIX.

Mater saeva Cupidinum,
Thebanaeque iubet me Semeles puer,
Et lasciva Licentia,
Finitis animum reddere amoribus.
Urit me Glycerae nitor
Splendentis Pario marmore purius:
Urit grata protervitas,
Et vultus nimium lubricus adspici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit; nec patitur Scythas,
Et versis animosum equis
Parthum dicere, nec quae nihil attinent.
Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas, pueri, ponite, thuraque,

CARMEN XIX.

Semeles puer. Multa MSS. *Semelae*, de qua re v. Oudendorp. ad Appulei. Metam. pag. 97.

Splendentis Pario marmore purius. Epigr. in Anthol. Burm. T. I. pag. 615. *Quae quamvis facia micet rubenti, Et vibret Parium nitens colorem.*

In me tota ruens Venus. Eurip. Hippol. 443. *Κύπρις γὰρ οὐ φορητόν, ἢν πολλὴ ῥυῇ.* v. Valcken. Valer. Flacc. III. 133. *Tollitur hinc, totusque ruit Tirynthius arcu.* Stat. X. Theb. 921. *Toto Iove fulmen adactum.* v. Barth.

Hic vivum mihi cespitem, hic. Postremum *hic* deest in Franek.

Verbenas, pueri, ponite, thuraque. Mamertinus in Genethl. Maxim. cap. io. *Arae incendi, thura poni, vina libari, victimae caedi.* V. Arntzen.

Bimi cum patera meri:
Mactata veniet lenior hostia.

Mactata veniet lenior hostia. Saepe eruditi interpretes dixerunt *venire* simpliciter poni pro *esse*, ut Graecum ἔρχεσθαι pro εἶναι. Hoc ego minus in aliis, v. c. Burm. ad Virgil. I. Aen. 22. miratus sum, quam in N. Heinsio ad Ovid. IV. Heroid. 113. Romani poëtae, nam poëtarum inprimis hoc proprium est, nunquam usurparunt *venire*, quando sententia unice postulabat verbum *esse*; et *venire* semper suam vim servat. Venus h. l. Cyprum deserens, et tota in Horatium ruens, ad eum *venire* debuit. Iam Homerus alicubi: Αὐτῷ μόρσιμος ἦλθε. Anacr. Fragm. 29. ed. Fisch. οὐ δ' εὐμενὴς Ἔλθ' ἡμῖν. Phurnutus cap. 39. Ilithyiam precantur ἐλθεῖν αὐταῖς; ἡπίαν καὶ λοιζωνον αἱ ὠδίνουσαι. Virgil. VIII. Aen. 365. *rebusque veni non asper egenis.* Stat. III. Silv. I. 39. *Pacatus mitisque veni.* Ammian. Marcellin. XXX. pag. 452. *Pacifica prece, ut propitius veniret et lenis.* Albinov. I. Eleg. 373. *Quaque ruit, furibunda ruit.* Seneca Troad. 1172. *Mors infantibus violenta venis.* Hinc etiam apparet, quam immerito haec Livii XXII. 6. displiceant Bauero: *Obtruncato prius armigero, qui se infesto venienti objecerat, consulem lancea transfixit.* Neque accurata est annotatio Burmanni ad Val. Flacc. VII. Argon. 224. docentis, *venire alicui* eleganter de *benigno et favente* usurpari. Hoc scilicet apparere debet vel ex adjectivo nomine, vel ex sententia verborum.

CARMEN XX.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in theatro
Quum tibi plausus,

CARMEN XX.

Argumentum hujus Carminis hoc est: »Potabis Sabinum, quod ego in testa condidi, die quodam tibi laeto, o Maecenas. Tu bibes Caecubum et Calenum, ego nec Falernum habeo nec Formianum.'' Longa disputatione et homine credere facillimo opus est, cui ostendere velis, hoc esse urbanum, hic cerni ornatum elocutionis, et elegantiam, ingenii vim et ubertatem. Sunt tamem, qui ea cuncta adesse putent. Ego pro carmine scholastico habeo. Thema fuit: *Horatius Maecenatem invitans, metro Sapphico.*

Vile potabis modicis Sabinum Cantharis. Diomed. pag 521. *modice.* Auctor perpetuo ante oculos habuit Horatii I. Epist. 5. Ita quod scripsit *vile potabis Sabinum*, in Epist. V. 4. *Vina bibes iterum Tauro diffusa:* quod hic *modici cantheri*, in Epist. V. 2. est *modica patella.* Vox *Cantharus* etiam in Epist. legitur V. 22. *nec non et cantharus et lanx Ostendat tibi te.* Quod alio quidem loco et tempore nihil valeret, hic multum valet. Sed Horatius adhibuit *cantharum* solita significatione, poculum ansatum intelligens maius, ex quo non bibebant nisi quis posceret, v. c. si subito laetum aliquid accidisset, vel modimperator iuberet, vel alia occasione, semper tamen praeter consuetudinem quotidianam. Et cantharus erat poculum, quo Bacchus utebatur. Ideo notatus Marius. Plin. XXXIII. 11. *C. Marius post victoriam Cimbricam cantharis potasse Liberi patris exemplo traditur.* Multibibi igitur, quibus modica pocula non sufficiebant, *cantharis* potabant.

Graeca quod ego ipse testa Conditum levi. Ratio vini condendi, et varia vinorum genera satis cognita erant ex Horatio. *Graeca* autem testa, si esse debeat *Cumana*, satis obscure dictum est.

Datus in Theatro Quum tibi plausus. Lepide fictum. Romani non temere alicui applaudebant, nisi rem populo gratissimam fecisset. Talem rem historici sine dubio memoriae prodidissent. Scholiastae ab antiquioribus interpre-

Care Maecenas eques, ut paterni
Fluminis ripae, simul et iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

tibus didicissent, qua de caussa Maecenati singularis iste honos esset habitus. Tacent historici, tacent Scholiastae. Hi, ut v. c. Comm. Cruq. annotant: *Clari viri et populo grati in theatro et publicis spectaculis excipi solebant magno populi plausu et acclamatione.* Quodsi verum sit, tum in illo plausu, quem poëta refert, nihil admodum singulare erat. Ergo hoc dixit. »Condidi Sabinum in testa; eo die, quo in theatro fuisti, et populus, ut solet, tibi vehementer applausit." Si Maecenas frequens in theatrum ventitabat, non facile de antiquitate vini statueret. Atque hic tenendum, consuetudinem illam applaudendi cito ad solos Caesares esse revocatam, neque Augustum eam valde amasse, si aliis daretur. Sueton. August. Cap. 56. *Filiis suis, praetextatis adhuc, assurrectum ab universis in theatro, et a stantibus plausum, gravissime questus est.*

Care Maecenas, eques. Quod Bentleius e MSS. edidit *clare*, probant Oudend. et Burm. ad Propert. III. VII. 1. Sic et legit Comm. Cruq. Facilior est utriusque vocabuli permutatio, quia alterum saepe scribitur *charus*. V. interpr. ad Virgil. Eclog. IV. 49.

Paterni Fluminis ripae. Schrader. coniicit *paternae.*

Simul et iocosa Redderet laudes tibi Vaticani Montis imago. Eccho appellatur *vocis imago*, ut Virgil. IV. Georg. 50. *Vocisque offensa resultat imago.* Sil. Ital. XIV. 365. *Tum vocibus aequor Personat, et clamat scopulis clamoris imago.* Ubi Oudendorp. legit *complet scopulos.*" Graeci vocant εἰκόνα ὀνομάτων. Philoxenus in Glossis: *Vocissimus*, ἠχώ. Vulcanius legit *vocis simius:* Salmasius ad Lamprid. Commodum X. *vocis simus.* Etiam Eccho simpliciter vocatur *imago*, illius nempe soni, qui ex addito verbo intelligitur. Horat. I. 12. *cujus recinet iocosa Nomen imago.* Hoc est, imago vocis, quae nomen cecinerat, illud recinet. Sed nemo unquam Eccho appellavit *imaginem montis, silvae* vel *saxi.* Neque dicere potuit. Nam hoc esset *imago vocis montis.* Veteres poëtae bene noverant caussas soni reperecussi, easque iam perspicuo modo exposuit Lucret. IV. 548 sq. Imago vocis non est in monte, neque

Caecubam, et praelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

inde redit. Vox ipsa eo venit, et repercussa redit. Si redierit, redditur nobis *imago* eiusdem soni, quem primum emisimus. Plerique veterum loca, huc pertinentia, collegit M. Schoockius in Dissert. de *Natura Soni et Ecchus*. Neque erravit Auson. scribens in Epist. 25. *percussus ab antris Sermo redit, redit et nemorum vocalis imago.* Nam ex addito *vocalis* cernimus imaginem esse vocis, quae a nemoribus redit. Neque hoc omittendum, secundam syllabam in *Vaticani* a poëta esse correptam, quae ab aliis omnibus producitur. Si *Vaticanus* ortum sit ab antiquissimo oppido *Vatica*, licet apud historicos illius oppidi mentio non fiat, quod tamen verosimile est, et Niebuhrio etiam ita videtur, sequitur naturam sui substantivi. Nam *Vatīcum* pronuntiabant, non *Vatĭcum*: ut *Lavicum*, *Saticula*, ab antiquo *Satica*, alia.

Tu bibes uvam. Cod. Voss. et alii *bibis*. Et hoc postulabat sententia, *bibes* flagitabat metrum. In eodem carmine, loco valde vicino legimus *Potabis Sabinum*, *bibes Caecubum*, eaque sic erunt interpretanda. Apud me Sabinum bibes, quamvis bibere soleas Caecubum apud te. Non tam obscurus est Horatius.

Temperant vites, neque Formiani Pocula colles. Non intelligo vim huius oppositionis. Tu quotidie bibis Caecubum et Calenum, ego habeo nec Falernum nec Formianum. Si Falernum esset multo minoris pretii, quam Caecubum, ita accipi posset: ego ne Falernum quidem habeo. Sed fuerunt quatuor ista vini genera aeque cara, ut puto, et amata. Vites, ait poëta, Falernae non temperant mea pocula. Quod quam Latinum sit, alii videant. *Temperare* significat alicui rei nimiam vim adimere. Vinum temperatur aqua: nisi quis dicat frigus aquae temperari vino. Sed hoc frigidum est. Tibull. III. 6. *Naïda Bacchus amat. Cessas o lente minister, Temperet annosum Marcia lympha merum.* Horatii Carm. III. 19. *Quis aquam temperet ignibus*, non de vino esse accipiendum, ostendimus. Recte dixisset: *fontes mea pocula temperant. Vites implent.*

CARMEN XXI.

Dianam tenerae dicite virgines:
Intonsum, pueri, dicite Cynthium:
Latonamque supremo
Dilectam penitus Iovi.
Vos laetam fluviis et nemorum coma,
Quaecumque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Silvis, aut viridis Cragi:
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
Insignemque pharetra
Fraternaque humerum lyra.

CARMEN XXI.

Dilectam penitus Iovi. Non modo compressa ob libidinem, sed amata etiam erat a Iove. Itaque et aras ei poni passus est, quod aliis concubinis non accidit. V. Ovid. Heroid. XI. 59. Metam. VI. 321. et Spanhem. ad Callim. pag. 524. Haec Oudendorpius.

Natalemque, mares, Delon Apollinis. Supra allocutus est *virgines* et *pueros*. Tum pergit: vos laudate Dianam, vos Apollinem. Nunc *mares* otiosum est, et ipsa vox parum grata. Multa vocabula saepe corrupta sunt, transposita per negligentiam librariorum una alterave litera, unde tandem plane novum vocabulum ortum est. Sic v. c. in Virgilio II. Aen. 389. ex *clipeos* factum est *ciclopes*. Suspicor hic potius legendum: *Natalemque sacram Delon Apollinis. Sacra* ἱερά solemne istiusmodi locorum epitheton. Et Aristoph. Thesmophoriis: χρυσολίρα τε Δῆλον ὃς ἔχεις ἱερόν. Virgil. III. Aen. 73. *Sacra mari medio colitur gratissima tellus Nereidum matri.*

Insignemque pharetra Fraternaque humerum lyra. Longe mihi pulchrius videtur *fraterna-*

Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestemque, a populo et principe Caesare, in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

que humeros lyra. Laudate sacram Delon, natalem Apollinis, laudate Deum, insignem humeros pharetra et lyra. *Insignem humerum*, pro quod ad humerum attinet, valde ambiguum est. Plurimi enim legentium et audientium accipiunt de humero, *qui insignis est* pharetra et lyra. Et Deus magis insignis est *humeros*, quam *humerum*, propter duas res, pharetram et lyram.

Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem. Vestrae preces minum Deorum movebunt, et Apollo bellum a nobis amovebit. Ipsam salutis afferendae actionem Deo potius tribuit, qui etiam, conciliatus laudibus matris et sororis, pro matre et sorore operam praestat. Bentleius legit: *Haec bellum.* Diana scilicet: ne illa hic nihil faceret. Sed neque *Latona* aliquid facit.

Pestemque a populo et principe Caesare in. Rosellius in Hist. Critic. indignum esse iudicabat, nomen Caesaris populo postponi. Francus mores Romanos ex moribus Francis sui temporis metitur, quo Ludovicus XIV. dixerat, *se esse populum.* Oudendorp. legebat: *Pestemque a populo, principe Caesare, in.* Sic etiam legisse Porphyrionem. Atque idem in mentem venit Wakkero in Amoen. Litt. pag. 13. et iam diu antea Iosepho Scalig. Epist. 195. qui *principe Caesare* utitur tamquam exemplo ablativi absoluti, ut *Divite me artium, secundo Caesare, me vate*, quae omnia sunt Horatii. Atque ego hoc verum puto. Horat. I. Carm. 2. *Te duce, Caesar.* Propert. IV. 6. 45. *Et nimium remis audent, proh turpe! Latinis, Principe te, fluctus regia vela pati.* Horat. II. Ep. 1. 156. *Et formidatam Parthis, te principe, Romam.* Antiquissima editio Loscheri *in* non habet. Si in MSS. deesset, legendum crederem: *principe Caesare, Persas inque Britannos.* Graeca ratione, ut v. c. Anacreon Carm. XXXIII. *Χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντος Ἢ Νεῖλον ἢ 'πὶ Μέμφιν.* Horat. III. Carm. 25. *Quae nemora, quos agor in specus.*

CARMEN XXII.

Integer vitae scelerisque purus
Non eget Mauris iaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra:
Sive per Syrtes iter aestuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

CARMEN XXII.

Non eget Mauris iaculis. Optima MSS. *Mauris*, non *Mauri*. Etiam Franck. sed litera postrema erasa per alteram manum. Tuentur Broukhus. et Oudendorp: hic praecipue contra Gesnerum, cuius editio tum recens prodierat. Et sic postulat constans poëtarum usus. Ante Bentleium iam multa exempla dederat Heins. ad Ovid. V. Fast. 580. *Persequitur Partha signa retenta manu.* Ubi et librarius male mutaverat *Parthi*. Propert. III. 10. *Neve tua Medae laetentur caede sagittae.* Burman. ad Claudian. I. Rufin. 226. *Quae sic Gaetulij iaculo percussa leaena*, praeferre videtur *Mauri iaculis*, ut gratius auribus. Sed poëtae alterum, ut ingratum, numquam vitarunt. In Claudiano legendum potius cum Heinsio vel *Gaetulo*, vel *gentili*. Notanda est imitatio, qua Claudianus Consul. Theodos. vs. 193. Horatium expressit, qui, dum plus dicere studet, multo minus dixit: *nitidis quisquis te* (iustitiam) *sensibus hausit, Irruet intrepidus flammas, hiberna secabit Aequora, confertos hostes superabit inermis. Ille vel Aethiopum pluviis solabitur aestus. Illum trans Scythiam vernus comitabitur aër.*

Fabulosus Lambit Hydaspes. Fabulosus propter gemmas praecipue cogitabat Arntzen. in Miscellan. pag. 70. Sed hoc cum periculis minus convenit. Plin. VIII. Epist. 4. *Quae tam recens, tam copiosa, tam lata, quae denique tam poëtica, et, quamquam in verissimis rebus, tam fabulosa*

Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, et ultra
Terminum curis vagor expeditus,
Fugit inermem:
Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
Nec Iubae tellus generat, leonum
Arida nutrix.

materia? Florus II. 6. *In Italiam ab illis fabulosae altitudinis nivibus, velut coelo missa, descendit.* Adde Bentleium. Hinc vocis significatio satis conficitur. Pro *lambit* in MSS. nonnullis ap. Lactant. V. Instit. 17. legitur *ambit*. *Lambit* de fluminibus usitatum est. Statius IV. Theb. 51. *quae pigra vado Langia tacenti Lambit.* Aurmian. Marcellinus XXVII. pag. 336. *Hister, qua Romanum caespitem lambit.* Conf. Heins. ad Ovid. XIV. Metam. 633.

Curis vagor expeditus. Praeteli cum Bentleio alteri *expeditis*, quod etiam habet MS. Voss. Adiectivum in tali re melius ad ipsum hominem refertur. Paullo plus significat *expeditus curis*, quam *expeditis*. Plin. III. epist. 5. *In itinere, quasi solutus caeteris curis, huic uni vacabat.*

Quale portentum neque militaris Daunias. Mira terrarum adeo dissitarum coniunctio. Parva Italiae pars et ingens Africae regnum. Illa militaris, hoc arida nutrix leonum. Si *nec Iubae tellus* significare posset *ne Iubae quidem tellus*, esset tamen aliqua gradatio. Neque epitheton *militaris* facit ad horrenda animalia, quae plurimum gignuntur in iis regionibus, ubi homines minime sunt militares. Maluissem, quod ad ipsam tellurem pertineret, non ad homines, qui portenta non alunt. In MSS. legitur vel *Daunias latis*, vel *Daunia latis*. *Daunias* videtur poëtae manus. Idque, ut Horatianum, et Heinsius in Adversar. p. 490. probavit, et Graevius in pervetustis suis membranis invenit, ut scribit ad Heinsium in Sylloge Epist. Burm. T. IV. p. 129. Ostendit autem Bentleius, hoc non esse consuetudinis Romanae. Melius certe fluxisset *Daunis in latis*. Sed etiam tum additum oportuisset *ora* vel *terra*: nisi hoc e sequentibus *Iubae tellus* velis intelligere. Sic Ovidii est *Italis ora*, et Manilii IV. 800.

Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura;
Quod latus mundi nebulae malusque
Iupiter urget:
Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

Magna incet magnis tellus circumdata ripis Parthis. Aesculetum nusquam invenitur. Fuit Horatius verborum novator. Sed alii scriptores, credo, vocem tam bene formatam a tam idoneo auctore recepissent. Non Plinius, non rei rusticae scriptores post Horatium, usurparunt. Non Grammatici vetustiores mentionem fecerunt. Philoxenus, qui in Glossario suo tam multas voces ex Horatio desumtas, explicat, interpretatur *aesculus*, non *aesculetum*. Inveni apud solum Papiam: »*Esculus:* inde *esculetum*, sicut olivetum." Et Comment. Cruq. ad II. Carm. 9. vs. 7. »Ut pinetum, *esculetum*, vineta, sic et *quercetum* dicuntur loca, ubi multae quercus nascuntur." Denique *tellus Iubae* non satis distincte indicat, uter Iuba sit intelligendus. Patrem alii volunt, filium alii. Pro *alit* Clerkius in Specim. Lucan. pag. 43. reponi suadet *agit*.

Pone sub curru nimium propinqui Solis. Magis agnoscerem poëticum colorem, si legeretur: *Pone sub curru nimii propinquo Solis.* Ovid. V. Metam. 483. *Et modo Sol nimius, nimius modo corripit imber.* Lucan. VIII. 164. *inria mundi Arva super nimios soles austrumque iacentes.*

CARMEN XXIII.

Vitas hinnuleo me similis, Chloe,
Quaerenti pavidam montibus aviis
Matrem, non sine vano
Aurarum et siluae metu.
Nam seu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis, seu virides rubum
Dimovere lacertae,
Et corde et genibus tremit.

CARMEN XXIII.

Quaerenti pavidam montibus aviis. Gogavius Praeterm. pag. 25. Legit *pavide in montibus:* idque ex Graecis, ut dicit, Alcaei versibus. Nescio quos Alcaei versus ille voluerit. Anacreontis adducunt interpretes. In quibus tamen nullum est tali coniecturae praesidium.

Aurarum et siluae metu. Metus hac significatione explicatur ab Aulo Gellio N. A. IX. 12.

Nam seu mobilibus veris inhorruit Adventus foliis. Ingeniose Bentleius, et alii, ipso nesciente, iam antea: *vepris inhorruit Ad ventum foliis.* Epistola, in qua Bentleius istam emendationem proposuit Graevio, legitur in Epist. Bentleii editis Lipsiae a 1825. pag. 107. *Vepris* etiam correxit Gogavius in libro Praetermissorum pag. 26. *Vepris* pro *vepres*, ut *vulpis* et similia: v. Burm. ad Phaedri I. Fab. 7. et ad Declamationum, quae sub Quintiliani nomine feruntur, VI. 17. *Ad ventum*, ut Ovidius XIV. Metamorph. 214. *omnemque tremiscens Ad strepitum mortemque timens.* Val. Flacc. III. 264. *Ceu pavet ad crines, et tristia Pentheos ora.* V. Burm. et Ruhnk. ad Suetonii Caesar. pag. 59. et 114. Comparentur porro similia loca apud interpretes. Apollon. Rhodius III. 954. *Ἦ θαμὰ δὴ στηθέων ἐάγη κέαρ, ὁππότε δοῦπον Ἢ ποδὸς ἢ ἀνέμοιο παραθρέξαντα δοάσσαι:* et Lucan. VIII. 5. *pavet ille fragorem Motorum ventis nemorum.*

Atqui non ego te, tigris ut aspera,
Gaetulusve leo, frangere persequor.
Tandem desine matrem
Tempestiva sequi viro.

Tigris ut aspera Gaetulusve leo frangere persequor. Conicit aliquis: *tigris ut, aspera, Gaetulusve leo.* Hoc est: o *aspera Chloe.* Sed puella *timida*, non recte dicitur, *aspera.* Et ipse Horatius appellat alibi *asperum tactu leonem.* Igitur et *aspera tigris* recte dicitur. Ita Oudendorpius eam coniecturam refellit. *Frangere* bene illustrant Burm. ad Val. Flacc. II. 459. *frangentem morsu super alta leonem Terga ferens.* Seneca Herc. Fur. 951. *Uno impetu transiliet, et verni potet Frangetque Tauri colla.* Est illud *frangere* Homericum. Exempla iam ostendit Heins. ad Claudian. II. Cons. Stil. 21. Addam Horatiano similius ex Iliad. *A.* 113. Ἠΰς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα Ἠρῄδιος ξυνέαξε, λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν. Horatium cogitabat Auson. Epist. XV. 15. *Non ut tigris te, non amoris impetu, Amore sed carne espeto.*

CARMEN XXIV.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis? Praecipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum cithara dedit.

CARMEN XXIV.

Quatuor eruditi homines, Cruquius, Muretus, D. Heinsius et C. Sigonius, diversa oratione sententiam horum versuum explicaverunt, caeteri fere omnes sequuntur eandem, quae esse debet, ni fallor, talis: Tam caro capite amisso, ne sit finis dolendi. Tu me doce, o Melpomene, cui Iupiter ipse hanc facultatem tribuit, lugubres cantus, et praei, ut mortem Quinctilii digno carmine defleam. A tali initio longum Carmen expectares. Absolvitur sexdecim versiculis. Hoc est illud *Quid dignum tanto.* Neque Carmen respondet prooëmio. Carminis sententia est: »Ergo Quinctilius, probus ille, mortuus est: flebilis ante omnes tibi, Virgili. Sed frustra amicum reposcis. Etiamsi blandius caneres, quam Orpheus, Quinctilium in vitam non revocabis. Desine ergo flere. Durum. Sed omnus, quod bene fertur, fit levius.'' Haecne, inquam, respondent antecedentibus: »Non cessabimus flere. Juva nos in tristi officio, Melpomene?'' Neque Latinum est *sit pudor desiderio*, nisi facias *desiderium* personam. Hoc autem non facere poteris, quia sequitur *tam cari capitis.* Romani dicunt *quis pudor sit desiderii*, ut *quem pudeat desiderii.* Martial. VIII. Epigr. 64. *Sit tandem pudor, et modus rapinis.* Locus huic nostro simillimus. Neque ibi intelligendum *sit pudor rapinis*, sed tantum *modus rapinis. Sit pudor*, scilicet *tibi*: pudeat te. Ita centies apud poëtas, *non pudor est.* Emendandus hic est Lucani IX. 706. *Sed quis erit lucri nobis pudor?* In MSS. nonnullis pro *nobis* legitur *modus* et *modos.* Scribe: *Sed quis erit lucris modus, et pudor?* Modus *lucris*, et pudor *nobis.* Modus *lucris* quam *lucrorum* videtur magis Latinum. Ideo et N. Heins. ad Ovid. VII. Heroid. 160. praetulit: *Damnis sit modus ille tuis*, non *damni.* v. Burman. Non tamen

Ergo Quinctilium perpetuus sopor
Urget? cui Pudor, et Iustitiae soror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas,
Quando ullum invenient parem?

[illegible] poetam nostrum tam parum Latine scrivisse, sed vidimus. Quae *pudor* est modus, vel pretium, *et modus* ut in desiderio tam cari capitis, in morte. Ita Accius apud Cicerionem p. 70. *Quinam Tantalidarum internecione modus sit.* Sic enim ibi legendum pro *internecioni*, erudita manus annotavit: ut sit versus heroicus ex Accii Annalibus, ex quibus Priscianus Pag. 708. laudat alterum hexametrum. Etiam hoc mihi iucundum accidit, quod hic legimus *quis pudor sit in desiderio*, et statim sequitur *Pudor*, virtus.

Ergo Quinctilium perpetuus sopor. In magno dolore *ergo* est initium cuiusvis orationis. Propertius III. 7 1. *Ergo sollicitae tu caussa pecunia vitae es.* III. 22. 1. *Ergo tam doctae nobis periere tabellae.* Ovid. III. Trist. 2. 1. *Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris.*

Cui Pudor, et Iustitiae soror Incorrupta Fides. Laudo emendationem G. Waddelii in Animadv. Crit. pag. 44. *Cui Pudor, et Iustitia, et soror Incorrupta Fides.* Quinctilius erat quoque laudandus propter Iustitiam. Hoc intelligitur quidem ex vulgatis, quin sorores istae vere sunt sorores, eadem volunt et nolunt: sed non tam diserte indicatur. Atque illud *fides et soror iustitia* simile est dicto Pindari Olymp. XIII. 6. *ἐν τᾷ γὰρ Εὐνομία ναίει, κασίγνητά τε, βάθρον πόλεων ἀσφαλές, Δίκα, καὶ ὁ σύντροφος Εἰρήνα, Χρύσεαι παῖδες εὐβουλίου Θέμιτος.* Claudian. de Laud. Stilich. II. 373. *lictorque Metus cum fratre Timore.* Caeterum illa stirpis Prosopopoeia late patet. Exemplum hoc habet Rutil. Lupus II. p. 90. *Nam cum crudelitatis mater est avaritia, et pater furor: haec facinori coniuncta parit odium: inde item nascitur exitium.* Eodem pertinet locus Ciceronis Paradox. VI. 1. *Qui non filias plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quae brevi tempore maximas copias exhaurire possint.* Quod mihi in memoriam revocat responsum Richardi Thumoleontis datum Fulconi in Gestis Innocentii III: »*Audite commonitionem huius hypocritae, qui dicit me habere tres filias pessimas, videlicet superbiam, cupiditatem et luxuriam, et prae-*

Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior, quam tibi, Virgili.
Tu frustra pius, heu, non ita creditum
Poscis Quinctilium Deos.

cipit ut eas maritem. Do igitur superbiam meam superbis templariis, et cupiditatem meam monachis de ordine Cirterciensi, et luxuriam meam praelatis Ecclesiarum."

Multis ille bonis flebilis occidit. Bonis etiam apud Prisciaum. Alii *multis ille quidem.* Maior laus *bonis* occidisse flebilem, quam *multis.* Et simul Virgilius in bonis censetur. Ammian. Marcellin. XXXI. p. 495. *Cecidit primaevo aetatis flore, bono cuique spectatus.*

Tu frustra pius. Homines probe viventes, pro pietate sua felicitatem a Diis expectabant. Felicitas Virgilii continebatur etiam salute amici sui. Hoc erepto, erat infelix. Frustra igitur pius vixerat. Horat. IV. Carm. 7. *Non, Torquate, genus, non te facundia, non te Restituet pietas.* Ovid. III. Amor. 9. *Vive pius: moriere pius.*

Non ita creditum Poscis Quinctilium Deos. Horum verborum puto esse sententiam: »Quidquid mortales habemus, bona, amicos, vitam, a Diis accepimus mutua, Dii ea nobis crediderunt, ut aliquando reddamus. Dei Virgilio dederant Quinctilium suum, ea lege, ut olim reposcerent. Sed putabat Virgilius Quinctilium *non ita* sibi a Diis fuisse creditum, mutuum datum, ut tam cito, iam nunc reposcerent. Vide Euripid. Phoeniss. 559. Aeschines Socraticus, ut fertur, in Dialog. de Morte § 9. Lucian. Necyom. T. II. pag. 117. Ἔνιοι δὲ ὑπ' ἀγνωμοσύνης, ἐπειδὰν ἀπαιτῇ ἐπιστᾶσα ἡ τύχη, ἄχθονται τε, καὶ ἀγανακτοῦσιν ὥσπερ οἰκείων τινῶν στερισκόμενοι, καὶ οὐχ ἃ πρὸς ὀλίγον ἐχρήσαντο ἀποδιδόντες. Cebes in Tabula sua, utitur exemplo mensariorum, qui accepta pecunia gaudent, καὶ ἴδιον νομίζουσιν εἶναι. ὅταν δὲ ἀπαιτῶνται, ἀγανακτοῦσι, καὶ δεινὰ οἴονται πεπονθέναι, οὐ μνημονεύοντες, ὅτι ἐπὶ τούτῳ ἔλαβον: quod *ita acceperunt.* Ambros. T. II. pag. 1114. *Perfunctus sum, quamdiu licuit, commisso mihi foenore. Qui deposuit pignus, recepit.* Loquitur Ambrosius de mortuo fratre. V. et Boëth. Consol. Philosophiae II. 2. et Ammian. Marcellin. XXV. pag. 317. Horatii memor erat auctor Passionis S. Adalb. Pragensis: *ad ultimum mortis timore*

Quod si Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanae redeat sanguis imagini,
Quam virga semel horrida,
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum! Sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.

perterritus, *non sic sibi creditam*, *enecatis hostibus*, *prodidit feminam*.

Non vanae redeat sanguis imagini. In MSS. nostris etiam inveni *num*. In uno *num vanae sanguis redeat imagini*.

Virga semel horrida. Schraderus *aurea*, ut I. Carm. 10. de eodem Mercurio: *virgaque levem coërces aurea turbam*. *Horrida* hic melius convenit cum re tristi, de qua agitur. Ibi dictum est *aurea*, in laudibus et ornatu Mercurii.

Durum. MS. Franck. *durum est*. Grammatici saepe hoc verbum intruserunt. V. Cort. ad Lucan. I. 120. Haec autem citavit Hildebertus in Philosophia Moralis pag. 980.

CARMEN XXV.

Parcius iunctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris iuvenes protervi,
Nec tibi somnos adimunt: amatque
Ianua limen,
Quae prius multum facilis movebat
Cardines. Audis minus, et minus iam:
Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis?

CARMEN XXV.

Ictibus crebris. MSS. *iactibus.* quod Oudendorp. natum putabat ex interpretatione Acronis, qui, ut et Com. Cruq. voci *ictibus* addidit *lapidum.* Idem ad Appul. Metam. IX. p. 630. *Saxo fores verberat*, eo confirmari dicit Horatianum *iactibus crebris.* Conf. Observ. Miscell. VIII. 241. et Heins. ad Virgil. V. Aen. 88.

Quae prius multum facilis movebat Cardines. Schraderus editioni suae annotaverat *multis.* Ita quoque correxit Burm. ad Propert. II. 15. 5. Sed Lydia olim fuerat arrogans et superba. Talis non multis vacabat. Verum credo *multum faciles.* Ianua, quae nunc limen amat, limini inhaeret quia parcius aperitur, olim movebat cardines satis faciles, faciliores, quia quamquam haud ita frequens, tamen frequentiùs quam nunc, aperiebatur. Propter similem antithesin comparandus est Terent. Eunuch. II. 2. 53. *Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus, Nae tu istas, faxo, calcibus saepe insultabis frustra.*

Me tuo longas pereunte noctes. Bentleius *longam noctem*, quia de una nocte agitur. At redibant saepe exclusi amantes, et plures quam unam noctem ad ianuam stabant. Horat. III. 10. *Non hoc semper erit liminis aut aquae Coelestis patiens latus.* Non semper, non omnes noctes, quotquot eunt. Et hoc proprium est quotidianae consuetudini, ut, quamquam *unam noctem* et *diem* intelligentes, numero tamen plurali utamur, ut temporis diuturnitatem augeamus. Locum Horatii contra Bentleium vindicarunt Burm. ad Ovid. I. Heroid. 9. *Nec mihi quaerenti spatiosas fallere noctes.* Ut ibi legendum, non *noctem.* Oudend. ad Appul. Metam. pag. 277. et Burm. ad Propert. I. 16. 23. *Me mediae noctes, me sidera prona iacentem Fri-*

Invicem moechos anus arrogantes
Flebis in solo levis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento:
Quum tibi flagrans amor, et libido,
Quae solet matres furiare equorum,
Saeviet circa iecur ulcerosum;
Non sine questu,
Laeta quod pubes hedera virenti
Gaudeat pulla magis atque myrto:
Aridas frondes hiemis sodali
Dedicet Euro.

gidaque Eoō me dolet aura gelu. Et II. 22. 21. *I nunc, et noctes disce manere domi.* Ubi *noctes* idem valet atque *noctu.* Petron. cap. 81. *Iacent nunc obligati amatores, noctibus totis.*

Levis. Levis anus, acerbe dictum est. Anus quae vivere cupit ut iuvenis puella. Talem Horat. descripsit Lycen IV. Carm. 13. *fis anus, et tamen Vis formosa videri, Ludisque et bibis impudens.* Et Chlorin III. Carm. 15. *Maturo propior desine funeri Inter ludere virgines.* Turpe est, ut dicit Ovidius, *amor senilis.* Tibull. I. 1. *dum fata sinunt, iungamus amores. Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit Dicere nec cano blanditias capite. Nunc levis est tractanda Venus.* Idem Tibull. I. 7. 44. *levis amor.* Et sic apud poëtas saepissime *levis* ponitur de omnibus rebus, quas adolescentia fert, sed aetatem provectiorem dedecent. Interpretes *levem anum* accipiunt, quae pro *superba facilis facta est*, vel *abjecta et vilis*, vel *vaga et errans per angiportum*, vel denique, ut Reiskius, *tenuiter amicta propter paupertatem.*

Thracio bacchante. Valde mihi arridet emendatio Bentleii: *Bacchata.* Quum tu magis baccharis, quam ventus Thracius sub interlunia.

Laeta quod pubes hedera virenti. Male apud Mar. Victorin. pag. 2605. *Laeta quid pubes.*

Euro. Ex coniectura Rutgersii et aliorum, egregie a Bentleio commendata. MSS. vulgo habent *Hebro:* cui lectioni favere imitationem Claudiani, putabat Gesner. ad XXVI. 339.

CARMEN XXVI.

Musis amicus tristitiam, et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis: quis sub Arcto
Rex gelidae metuatur orae,
Quid Tiridaten terreat, unice
Securus. O, quae fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,

CARMEN XXVI.

Quis sub Arcto. Duo MSS. nostra *qui*.

Quid Tiridaten terreat. Tangit quotidianos hominum sermones. Theophrast. Char. Eth. VIII. Ubi λογοποιός narrat ὡς Πολυκράτων καὶ ὁ βασιλεὺς μάχῃ νενίκηκε, καὶ Κάσανδρος ἐζώγρηται. Iuvenal. Sat. VI. 402. *Haec eadem novit, quid toto fiat in orbe, Quid Seres, quid Thraces agant.* Gogav. Praeterm. pag. 26. malebat: *Quid civitatem*; ut lib. III. Carm. 29. *Tu civitatem quis deceat status Curas.* Sed diversa est utriusque loci natura.

Fontibus integris. Schraderus *frondibus*.

Apricos necte flores, Necte meo Lamiae coronam. Flores nectuntur in coronam. Nexi flores sunt ipsa corona. Igitur bis idem dixit. Elegantius versum ita distingues: *apricos necte flores, necte, meo Lamiae coronam.* Appositio vere poëtica: necte *flores*, *coronam* Lamiae. Grata etiam repetitio *necte*, *necte* flores, in festinatione. Flores *aprici*, sunt solibus expositi. Sed hi saepe marcent, et caput et folia demittunt. Mallem *pudicos flores*, h. e. *recentes*, *intactos*. Stat. I. Theb. 554. *cvincta pudica Fronde manus.* Ibid. vs. 697. *rore pudico.* Claudian. III. Rapt. Pros. 75. *Laurus, virgineos quae quondam fronde pudica Umbrabat thalamos.* Horatius haec scribens, cogitare potuit Euripid. Hipp. vs. 73. Σοὶ τόνδε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου Λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κοσμήσας

Pimpleï dulcis. Nil sine te mei
Possunt honores. Hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro,
Teque, tuasque decet sorores.

φέρω, Ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν βοτὰ, Οὐδ' ἦλθέ πω σίδηρος, ἀλλ' ἀκήρατον Μέλισσα λειμῶν' ἠρινὸν διέρχεται, Αἰδὼς δὲ ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις: quae iam Muretus cum Horatianis comparavit. In Euripide observandum praecipue Αἰδώς, et Mureti Latina interpretatio: *apis una flores vere libat integros, Puris honestus quos rigat lymphis Pudor.* Valckenaerius et alii pro Αἰδὼς emendarunt Ἕως. Rogat Valken. quid Graeca, aut Latina ista Mureti significent? Mihi Αἰδὼς doctius videtur, quam ut a librariis in Ἕως notius mutari potuerit; et pulcherrima est imago: Flores sine omni labe, purissimi et pudici, quos ipse Pudor lymphis irrigat. Nunc viri doctissimi fecerunt Auroram flores e flumine irrigantem: quod ab Aurora alienum est, quae suam ipsa rorem habet, non e flumine haurit. Caeterum exemplis hymni, per coronam significati, adde Auctorem Vitae Homeri pag. 403. Ἐνταῦθα καιρὸς καταπαύειν τὸν λόγον, ὃν ὥσπερεὶ στέφανον ἐκ λειμῶνος πολυανθοῦς καὶ ποικίλου πλέξαντες, ταῖς Μούσαις ἀνατίθεμεν. Himer. Orat. VII. p. 516. ἵνα ἀπαλοῖς ἔτι κάλυξιν ὕμνον τῇ πόλει συμπλέξωσι. V. Harpocrat. in voce στεφανῶν, et Wesseling. ad Diodor. Sicul. XIV. 53.

Possunt honores. MSS. Voss. *prosint.*

CARMEN XXVII.

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare, Thracum est. Tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat! Impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.
Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? dicat Opuntiae
Frater Megillae, quo beatus
Vulnere, qua pereat sagitta.
Cessat voluntas? non alia bibam

CARMEN XXVII.

Natis in usum laetitiae scyphis. Unice ad usum laetitiae, non ad pugnandum. Comment. Cruq. *ad hoc specialiter inventis et factis.* Sic: *animal propter convivia natum.* Lucil. *Indicis Hortensi est ad eam rem nata palaestra.* Recte ille. Prius exemplum petiit ex Iuvenale. Caeterum conf. Cort. ad Sallustii Iugurth. 31. et Drakenb. ad Sil. Ital. III. 335.

Vino et lucernis Medus acinaces. Variatio sententiae praecedentis: si res et verba spectes, coloris non Horatiani. Et poculis pugnare poterant Romani in convivio, quia pocula aderant, gladiis non poterant, quia nemo habebat. Convivium recte per vinum significatur, minus recte per lucernas, nisi indicare velis illud per seram noctem trahi. Iam gladius aeque discrepat a convivio brevi atque diuturno.

Cessat voluntas. Optima MSS. *voluptas*, etiam unum e nostris, addita glossa *bibendi* scilicet. Et hoc servandum arbitror, modo locus universus ita exponatur: Fuit hoc convivium hilarius, in quo magister bibendi imperium

Mercede.. Quae te cumque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus, ingenuoque semper
Amore peccas. Quidquid habes, age,
Depone tutis auribus. Ah miser!
Quanta laborabas Charybdi,
Digne puer meliore flamma!

severe exercebat. Horatius amabat libertatem. Nunc magister eum iusserat partem Falerni fortioris sumere. Negabat. Hinc clamores, et metus rixarum. Horatius exclamat *Natis in usum* sq. Tum partem illam Falerni ita effugere conatur, ut dicat se eam certa conditione hausturum. Nominet frater Megillae amicam suam, et bibat eam, hoc est, tot pocula, quot literae sint in eo nomine. Idem faciam. Ille non audebat eam nominare, et se excusat, quasi iam satis bibisset, et voluptas cessasset. Ita Phaedrus IV. fab. 8. *Tanta bonitas est aquae, Voluptas ut satiari non possit mea.* Frater Megillae deinde clam Horatio et in aurem dicebat nomen amicae suae. Horatius palam nominare non potuit, et sic solutus erat lege, quam sibi ipse imposuerat. De provocationibus istis et consuetudine bibendi amicam, v. Ruhnkenius ad Rutilium Lupum et Stuckius in Antiq. Conviv. III. 13. Neque *cessat voluntas* idem significat, quod simplex *nolo*, ut hic requiritur. *Cessat voluntas*, scilicet eadem, quae antea fuit, vel quae esse debet, si quis officio suo decesse nolit.

Quae te cumque domat Venus. Quem MS. nostrum. Elegantius iudico: *Quâ te cumque domat Venus.* In quacumque puella Venus te domat, cuiuscunque amore te succendit, te adurit *ignibus*, (id est puellâ,) non erubescendis. Haec sunt magis Latina et poëtica, quam lectio vulgata. Catull. Carm. LXVIII. 51. *Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam, Scitis, et in quo me torruerit genere.* Horat. Epod. XI. 4. *Amore, qui me, praeter omnes, expetit Mollibus in pueris, Aut in puellis urere.* Propert. II. 12. 13. *Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena.* Talia sunt, *mori puella, Inachiâ furere.* Frequentius tamen additur praepositio *in*. V. Oudend. ad Sueton. August. 69. et Burm. ad Anthol. Lat. Tom. II. pag. 122.

Laborabas Charybdi. Iam vi-

Quae saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit Deus?
Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

deo, cur voluptas tua cessaret, neque auderes nomen amicae palam dicere. Hoc non cogitare potui, te laborare tanta Charybdi. Tanta ergo Charybdi laborabas! MS. Voss. etiam *laborabas*, correctum a manu secunda *laboras in*. Oudendorp. legit: *laboras ab Charybdi*. Horat. I. Sat. 4. 26. *Aut ab avaritia, aut misera ambitione laborat*. Addit Sanctii Minerv. III. 4. Caesar B. Gall. VII. 10. B. Civ. III. 9.

Quae saga. Imitatur h. l. Symmach. VII. Epist 19. *Quis Colchus aut Thessalus cantu aut manu has offensiones levasset*.

Illigatum. De rebus parum lactis. Homerus Ζεὺς μ' ἄτῃ ἐνέδησε βαρείῃ. Tacit. XII. Annal. 25. *Conciliator nuptiarum, et mox stupro eius illigatus*. Minut. Felix Octav. pag. 123. *Divites facultatibus suis illigati*. Valer. Max. IX. 13. *Duarum eodem tempore matrimoniis illigatus*. Ibycus apud Schol. Platonis Parmen. pag. 163. Ἔρως με εἰς ἄπειρα δίκτυα Κύπριδος βάλλει. Vid. Heins. Adversar. p. 424.

CARMEN XXVIII.

Te maris et terrae numeroque carentis arenae
Mensorem cohibent, Archyta,

CARMEN XXVIII.

Omnes Interpretes, quos ego vidi, fecerunt hoc carmen Dialogum inter Archytam et nautam, et sic facientes, sibi non unam difficultatem pepererunt, quae expediri non possunt. Quomodo v. c. nauta sciebat, cadaver in litus eiectum, esse Archytae: unde nautae tanta doctrina, ut Pythagoram *suo iudicio* dicere auderet non *sordidum naturae verique auctorem*? Igitur et alii alias Dialogi partes diviserunt, tribuentes sermonem nunc Archytae, nunc nautae, et contra. Nova iterum ratione distinxit Uptonus ad Arrianum pag. 54. Ego non puto esse Dialogum. Neque Dialogum agnoverunt Scholiastae. Commentator Cruquianus: *Haec ode ἐκ τῆς προσωποποιΐας inducit corpus naufragi Archytae ad litus expulsum conqueri cum nauta praetereunte de iniuria, nisi ab eo sepeliatur.* Disertius etiam Acron et Porphyrio, qui dicunt: petere a *praetereuntibus* sepulturam. Sententia igitur carminis haec est. Iacet Archytas in litore, iam leviter arena tectus, quam nonnulli praetereuntes ex religiosa consuetudine in ignotum cadaver proiecerant. Praeterit novus nauta, qui festinans, officium humanitatis neglecturus esse videbatur, et praeterit tum, quum Archytas secum loqui desierat, dicens: *Me quoque devexi rapidus comes Orionis Illyricis notus obruit undis.* Ibi forma orationis mutata est: et dixit *Me quoque*, pro *Te quoque*, quod hic fuisset obscurum, quia statim ad nautam convertitur. Atque ea orationis mutatio propria est, quum nobiscum sive cum animo nostro loquimur. V. Terent. Adelph. V. I. 1. Horat. III. Carm. 27. Seneca Med. 893. Quod fecit, ut crederem Archytam secum loqui solum, etiam hoc erat, quia multa dixit, quae alienum esset nautae narrare. His ita dudum scriptis, laetus cognovi meam sententiam confirmari iudicio viri doctissimi, Casaubonum esse puto, qui editioni Horatianae, a Spilimbergio curatae, nonnulla annotavit. Annotatum est: *De Archytae colloquio turpissimum est commentum.* Aliam rationem carminis explicandi nuper iniit B. G.

Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera: nec quidquam tibi prodest
Aërias tentasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.
Occidit et Pelopis genitor, conviva Deorum,
Tithonusque remotus in auras,

Weiskius, qui omnem sermonem tribuit umbrae naufragi, Archytam prope sepultum alloquentis, eeque huius exemplo consolantis. Elegantem viri eruditissimi dissertationem I. C. Iahnius recepit in Annalibus Philol. et Paedagog. a. MDCCCXXX.

Pulveris exigui. Statius X. Theb. 421. *Angusti puero date pulveris haustus.*

Munera. Heinsii *funera* reiicit Oudendorp. dicens *munera* in hac re esse cognitum, et sic accipiendum Virgil. IV. Georg. 520. *que munere*, sc. *lugendi*. Qua ratione postea Heynius loçum difficillimum explicavit.

Animoque rotundum Percurrisse polum. Nonnulli *decurrisse*. *Percurrere* est, quod Cicero de Fin. II. 31. *peragrare* vocat: *Qui innumerabiles mundos, infinitasque regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas, mente peragravisset.* Pontius Paullinus pag. 44. *Spatiante polum qui mente peragrat.*

Tithonusque remotus in auras. Ego non miror fuisse interpretes, qui explicarent *in auras solutus*, *evanidus*, ut Horatius de eodem: *Longa Tithonum minuit senectus.* Nam quod senio et tabe consumitur, illud in auras abire dicitur, sicuti et anima morientium. Ovid. XIV. Metam. 431. *Luctibus extremum tenues liquefacta medullas Tabuit, inque leves paullatim evanuit auras.* III. Metam. 397. *in aëra succus Corporis omnis abit.* Valer. Flacc. III. 350. *regum labor omnis in auras Solvitur.* Stat. XI. Theb. 55. *fugit in vacuas iam spiritus auras.* Et ita saepe Ovidius. Sed ea explicatio sententiae loci est contraria. Itaque cogimur vulgata interpretari: Tithonus ab Aurora in coelum evectus. Sed hoc Latine dicitur *per auras in coelum*, non simpliciter *in auras*. Nam in *auras evehi*, *tolli*, idem est atque *in altum tolli*, *volare*. Ovid. VII. Metam. 350. Medea: *nisi pennatis serpentibus isset in auras.* Accedit huic difficultati verbum insolitum *remotus* pro *evectus*, *sublatus*. Scholiastae videntur legisse *receptus*. Acro:

Et Iovis arcanis Minos admissus: habentque
Tartara Panthoiden, iterum Orco
Demissum; quamvis clypeo Troiana refixo
Tempora testatus, nihil ultra
Nervos atque cutem morti concesserat atrae;
Iudice te, non sordidus auctor
Naturae, verique. Sed omnes una manet nox,
Et calcanda semel via leti.

Tithonum in auras receptum *dicit*, *hoc est*, *mortuum*. Comm. Cruq. *Tithonus in auras* receptus *fuit*, *hoc est*, *terris excessit*. Si pro *auras* reponas *astra*, habebis versum sententiae et Latinitati convenientem: *Tithonusque receptus in astra*. Occidit etiam Tithonus, quamvis ab Aurora in coelum receptus. *Recipi* in re tali solemne verbum est. *Astra* pro *coelo* etiam cognitum. Ovid. II. Fast. 478. *Bellicus a telo venit in astra Deus*. III. Fast. 186. Romulus *ex illo venit in astra loco*. Plin. Paneg. 11. *Tu patrem sideribus intulisti*. Quintil. Declam. XV. 8. *Numina detracta sideribus misit in terras*. An idem Latine dicatur *receptus in auras*, valde dubito. Gogav. Praeterm. pag. 27. coniicit: *remotus in Euros*. In MS. Alt. legitur *admotus in auras*. Hoc nonnulli fortasse defendent exemplo Ovid. Heroid. XI. 16. *Quid iuvat admotam per avorum nomina coelo*, *Inter cognatos posse referre Iovem?* Sed hic *admota* significat *affinis*.

Quamvis clypeo Troiana refixo Tempora testatus. Doeringius legit: *quoniam is clypeo*, et rogat: Quomodo Horatius dicere poterat, *Quamvis Pythagoras*, *ut Euphorbus*, *nihil ultra nervos et cutem morti tradiderat*, *nihilominus tamen iterum orco demissus est*. Horatius, ni fallor, hoc voluit. Pythagoras tempore belli Troiani erat Euphorbus, Panthoi filius. In Euphorbo quidem mortuus est, sed ita, ut morti nihil praeter nervos et cutem concederet. Quod quamvis ipse affirmaverit clypeo de pariete templi refixo, et homo, qui iam tempore belli Troiani vixerat et septimo fere post saeculo etiam vivebat, videretur immortalis, interim tamen mortuus est, et Tartara eum habent, in orco manet. Nam hodie nusquam apparet.

Dant alios Furiae torvo spectacula Marti:
Exitio est avidum mare nautis:
Mixta senum, ac iuvenum densentur funera, nullum
Saeva caput Proserpina fugit.
Me quoque devexi rapidus comes Orionis,
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare: sic, quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinae

Dant alios Furiae torvo spectacula Marti. Tam ferociter puguantes et morientes, ut dignum Marte sint spectaculum. Tibull. II. 5. 119. *Tum Messala meus pia det spectacula turbae.* Seneca de Provid. 2. *Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus: ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.* Florus I. 11. *Ea atrocitas proelii fuit, ut interfuisse spectaculo Deos fama tradiderit.* Plinius in Panegyrico 23. *Nemo e spectatore spectaculum factus.*

Mixta senum ac iuvenun densentur funera. Versus inficetus, sine pondere. Sententia de necessitate mortis iam satis declarata est in his: *omnes una manet nox, Et calcanda semel via leti.* »Hic moritur in bello, hic in oceano. Sicuti et ego.'' Vides quanto melius haec procedant, versu eiecto. Forma verbi *densere* pro *densare*, cognita erat ex omnibus poëtis: v. Bentl. h. l. et Cort. ad Lucan. IV. 76. Ea reddenda est Corippo de Bellis Lybicis V. 1016. *Misti senibus densentur ephebi.* Tenemus autem poëtam Grammaticum in eo, quod, quum Latinum esset, *nullum caput Proserpinam fugit*, metro coactus ad notam ipsi figuram Hypallagen confugiens, scripsit *Proserpina nullum caput fugit:* quod ab Horatio nunquam scribi potuit, cui facile fuisset: *nulli Trux capiti Proserpina parcit*, vel aliud Latinum. Nam et praesens tempus h. l. melius erat, propter antecedentia *dant, calcanda est, densentur.*

Illyricis Notus obruit undis. Oudendorpius malebat *Ionicis* vel potius *Apulicis.*

Ossibus et capiti inhumato. Offendit me, ut alios, hiatus. Legunt *nec humato.* Mallem *intumulato.* Ovid. II. Heroid. 135. *Ad tua me fluctus proiectam litora portent; Occurramque oculis intumulata tuis.*

Plectantur silvae, te sospite: multaque merces,
Unde potest, tibi defluat aequo
Ab Iove, Neptunoque sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere? Fors et
Debita iura, vicesque superbae
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis;
Teque piacula nulla resolvent.
Quamquam festinas, non est mora longa, licebit
Iniecto ter pulvere curras.

Tibi defluat aequo Ab Iove. Bion Eidyll. I. 55. *τὸ δὲ πᾶν καλὸν ἐς σὲ καταῤῥεῖ.*

Postmodo te natis fraudem committere? Serv. ad I. Georg. 502. laudavit: *Negligis immeritis nocituram postmodo natis, Te fraudem committere.* Et *te natis* accipit pro *ex te*, ut etiam interpretes recentiores faciunt. Oudendorp. intelligebat *negligis te committere.* Dicerem, tum potius esse legendum *negligis tu committere.*

Debita iura, vicesque superbae. Martis iura Val. Flacci VI. Argon. 125. sunt *imperium*, potestas Martis. Burm. tamen cum h. l. Horatii comparavit. Quod quis alteri fecerit, hoc ipsi fiet. Patietur exemplum suum. Hoc ius illi debetur. Reddentur illi iustae vices; si superbus fuerit, superbae. Itaque non necessariam puto emendationem Burgessii ad Aeschyl. Supplic. 220. *vicesque supremae*, ut Aeschyleum *ὑστάτας δίκας.* Superbia in eo cernitur, si quis, immemor Deorum et hominum, insepultum cadaver negligat. Oudendorp. hic opportune monstravit Liv. I. 49. *Inde L. Tarquinius regnare coepit, cui superbo cognomen facta indiderunt, quia socerum gener sepultura prohibuit, Romulum quoque insepultum perisse dictitans.* Adde Auson. Oct. pag. 753. *Ut in defunctum saevire desistat, fatique hominum in exanimo hoste vereatur, ad sepulturam hoste restituto.*

Quamquam festinas. Haec imitando expressit auctor Declamationis Quintiliano tributae, V. 6. *Hinc et ille venit affectus, quod ignotis cadaveribus humum congerimus, et insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulocunque veneretur aggestu.*

CARMEN XXIX.

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis, et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabaeae
Regibus, horribilique Medo
Nectis catenas. Quae tibi virginum,
Sponso necato barbara serviet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis,
Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus, et Tiberim reverti;

CARMEN XXIX.

Nectis catenas. Tamquam de victoria non dubitans. Idque facere solebant Romani. Polybius narravit de Flaminio III. 82. qui milites tanta fiducia implevit, ὥστε πλείους εἶναι τῶν τὰ ὅπλα φερόντων τοὺς ἐκτὸς παρεπομένους τῆς ὠφελείας χάριν, κομίζοντας ἁλύσεις καὶ πέδας, καὶ πᾶσαν τὴν τοιαύτην παρασκευήν. Florus III. 7. *Primus invasit insulam Marcus Antonius, cum ingenti quidem victoriae spe atque fiducia, adeo ut plures catenas in navibus quam arma portarent.* Vid. Freinshem.

Doctus sagittas tendere Sericas. Arcus proprie tenditur. Ovid. V. Metam. 54. *Indus Athis, Ille quidem iaculo quamvis distantia misso Figere doctus erat, sed tendere doctior arcus.* Sed *sagittas tendere*, nemo sollicitet. Vid. Burm. ad Claudian. IV. Cons. Honor. 540. Potuisset illa Wernsdorf. comparare cum Himerii Orat. VII. p. 541. βέλη κυκλώσασθαι.

Relabi posse rivos Montibus. Heumannus in Miscellan. Lipsiens. IV. 138. emendat *fontibus.* Voces a librariis perpetuo fere mutatae sunt. Conf. Burm. ad Gratii Cyneg. 221. Hic *montibus* servaverim, etiam propter *arduis.*

Quum tu coëmptos undique nobiles
Libros Panaetî, Socraticam et domum
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

Huius quoque lectionis patrocinium suscipit Burm. ad Ovid. XIII. Metam. 954. Quamquam origo fluminum fere ex montibus deducatur, ut, quae ad fontes redeant, eadem redeant ad montes, ipsum tamen *montium* nomen magis illud ostendit, quod fieri non potest. Sil. Ital. V. 253. *Thrasymenus in altos Adscendet citius colles.* Claudian. I. Eutrop. 353. *Prona petunt retro fluvii iuga. Prona iuga*, ut hic *proni montes.* Petron. 134. *Et rursus fluvios in summo vertice ponam.*

Socraticam et domum. Totam quasi a Socrate proseminatam familiam. Ironice. Vide quae Graev. ad Ciceronis Offic. I. 1. dixit. Affectata elegantia Plin. IX. Ep. 22. *Si elegos eius in manus sumseris, leges opus tersum, molle, iucundum, et plane in Propertii domo scriptum.* Passienus nempe Paullus genus a Propertio ducebat.

CARMEN XXX.

O Venus, regina Cnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron, et vocantis
Thure te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.
Fervidus tecum Puer, et solutis
Gratiae zonis, properentque Nymphae,
Et parum comis sine te Iuventas,
Mercuriusque.

CARMEN XXX.

Venus, Cupido, Gratiae, Nymphae, Iuventas et Mercuri, ite ad domum Glycerae. Te vocat thure, Venus. Exile et ieiunum argumentum. Neque explicatur, quare veniat, aut cum tam lepido comitatu. Carmen ex centonibus Horatianis compositum.

Sperne dilectam Cypron. Horatius I. Carm. 19. *In me tota ruens Venus Cypron deseruit.* Si Venus appellatur regina *Cnidi*, sequi debuisset *sperne Cnidon.*

Vocantis Thure te multo, Horat. IV. 1. *Venus abi: Quo blandae iuvenum te revocant preces.* Claudian. Consul. Probi et Olybrii 195. *Sacro thure vocatam Iunonem Inachiis oculos advertere templis.*

Glycerae decoram Transfer in aedem. Carm. IV. 1. *in domum Paulli.*

Solutis Gratiae zonis. Parum honeste, praesente Mercurio et Iuventa, de virginibus, quae non sine dedecore *zonam solvunt.* Notum est illud Catulli: *Zonam quod soluit diu ligatam.* Nymphas addidit ex Horatio I. Carm. 4. *Iunctaeque nymphis Gratiae decentes.*

Mercuriusque. Nemo probabilem caussam attulit, cur hic Mercurium esse voluerit comitem Veneri. Metrum, credo, effecit.

CARMEN XXXI.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? Non opimas
Sardiniae segetes feracis;
Non aestuosae grata Calabriae
Armenta; non aurum, aut ebur Indicum;
Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua, taciturnus amnis.

CARMEN XXXI.

Non opimae Sardiniae segetes feracis. Hoc praefert Oudendorp. cum Marklando ad Statii Silv. IV. 6. 65. Alii *opimae Sardiniae segetes feraces.*

Non aestuosae grata Calabriae Armenta. Quidquid interpretes dicant ad explicandum *grata armenta*, mihi *grata* nimis commune et parum significans videtur, praecipue si comparem cum segetibus *Sardiniae*, ebore *Indico* caeteris. Possunt accipi armenta *Calabriae* pro *Calabris*, ut Horatius alibi dixit *pecus Calabrum.* Vel sic tamen illud *grata* friget. Fortasse reponendum: *Non aestuosae Graia Calabriae Armenta.* Facilis ac frequens est in MSS. utriusque vocabuli permutatio: v. Salmas. ad Tertull. Pallium p. 257. Heins. Advers. pag. 720. Gronov. ad Iustin. VIII. 4. Oudendorp. ad Sueton. Tiber. 66. et interpr. ad Val. Flacci I. 524. Oves Tarentinae propter lanam erant nobilissimae, et appellabantur *Graecae* et *Graecum pecus.* Columella de Re Rust. VII. 4. *Graecum pecus, quod plerique Tarentinum vocant, nisi cum domini praesentia est, vix expedit haberi. Si quidem et curam et cibum maiorem desiderat. Nam cum sit universum genus lanigerum mollius, tum ex omnibus Tarentinum est mollissimum, quod nullam domini aut magistrorum inertiam sustinet, multoque minus avaritiam, nec aestus nec frigoris patiens. Pelles eorum propter pulchritudinem lanae maiore pretio, quam alia vellera, mercantibus tra-*

Premant Calena falce, quibus dedit

dantur. Deinde idem Columella vocat *ovem Graecam.* Plin. Hist. Nat. VIII. 48. *Lana laudatissima Apula, et quae in Italia Graeci pecoris appellatur, alibi Italica.* Hoc igitur erat Graecum pecus Italiae, ut Graia armenta Calabriae, et Horat. II. Carm. 12. *Pinguis Phrygiae Mygdonias opes.* Habent autem lanae pretiosissimae magis notionem divitis luxuriae, quam armenta bovum, quantumvis pretiosa, multoque melius cum *auro*, *ebore*, et *vineis* conveniunt. Et sic ubique fere haec coniuncta legimus: v. Horat. II. 18. 7. II. 16. 35. III. 16. 35. Virgil. II. Georg. 465. Tibull. III. 3. 17. Obstat coniecturae nostrae, quod veteres Grammatici docuerunt, *armenta* tantum usurpari de maiori pecore, *greges* de ovibus: v. Auson. Popma de Discrim. Verborum p. 39. Sed *greges* equorum et bovum satis usitati sunt. Et Serv. ad Virgil. III. Georg. 49. scribit: »*Armenta* sunt equorum et bovum, *greges* vero capellarum et ovium. Haec tamen, *armenta* et *greges*, sciendum quod plerumque confundit auctoritas.'' Virgilius I. Aen. 185. eodem observante, *armenta* nove de cervis dixit: et III. Georg. 344. *armentarium* abusive pro *pastore gregum.*

Premant Calena falce. Octo versus etiam delevit Guietus, indignante Sanadono. Neuter rationem reddidit, hic cur indignetur, ille cur deleat. Ego dicam, cur ista non habeam pro genuinis. Non opto, inquit, copiam frumenti, non lanae, non aurum, non ebur, non vina. Parvo contentus sum, quod habeo. Da mihi, Apollo, hoc parvo frui, sed sano corpore et mente, da mihi vegetam senectutem, Musarum studio exhilaratam. Nemo non sentit, quam facili ordine haec ipsa fluant. Hic autem ordo versibus insititiis perturbatur, in quibus praecipue ingratum est *mercatoris* exemplum, Diis cari, quippe qui ter anno revisit aequor Atlanticum. Hoc mentem et cogitationem a re proposita avocat, adeo ut taciti dicamus: Quo poëta nunc rem deducet?

Premant Calena falce, quibus dedit Fortuna vitem. Plane bis idem, sed aliis verbis, in tam brevi carmine dictum. Non opto copiam vini praestantissimi. Alii, quibus ita felicibus esse contigit, habeant vinum egregium. Nam rura, quae Liris mordet, laudari hic non possunt, nisi propter vites, quia iam memoravit *segetes Sardiniae.* Tum *premere vitem Calena falce*, pro *vites Calenas possidere*, non probandum est. Uti possis Calena falce in quavis

Fortuna, vitem: dives et aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata merce,

alia vite, quam Calena. Itaque melius, quod Bentleius voluit, *premant Calenam falce vitem.* Quamquam Sidon. Apollin. Carm. VII. 146. ad exemplum huius loci dixisse videatur: *collataque semper Arida Mygdonias damnarunt Gargara falces.* Remanet *vites amputare*, pro *possidere.* Dominus *serit* arbores, *ponit* vites, *legit* uvas, eas praelo *domat*, haec et similia bene indicant possessionem, quia sunt facta praecipua, quibus dominus interest, dum geruntur. Dominus *vites amputat*, minus ad eandem rationem accommodatum est. Noverat poëta Virgil. I. Georg. 157. *falce premes umbras.* Et Ovid. XIV. Met. 629. *luxuriam premit.*

Dives et aureis Mercator exsiccet culullis. Tertium vini praestantissimi exemplum, idque in mercatore. Et qualis sententia? »Alii possideant vites Calenas. Dives mercator vinum bibat ex aureis poculis." Nonnulli e MSS. legunt *dives ut aureis:* quod significaret, dominum vitium Calenarum eas vites non sibi, sed mercatoribus colere, et pro vino accipere merces Syras. Caeterum in uno MS. reperi: *dives in aureis.* Ut Graeci ἐν χρυσῷ πίνειν. Seneca Thyest. 453 *Venenum in auro bibitur.* Ammian. Marcellin. XXVII. pag. 363. *Humanum sanguinem in ossibus capitum humanis bibentes.* v. Burm. ad Phaedri I. fab. 25. et Cuperi Observ. pag. 201.

Syra reparata merce. Martin. Var. Lect. I. 3. interpretatur *reparare*, nummis ex re vendita aliquid reëmere. Voluit, ni fallor, aliquid vendere, et pro eo, quod vendendo amisimus, aliud ex nummis inde factis, sibi *parare.* Sed hoc est *parare. Reparare* non dicas nisi de rebus eiusdem generis. Provocant interpretes ad Alfenum D. XV. T. 3. l. 16. *Cum hi boves non essent idonei, iusserat eos venire, et his nummis, qui recepti essent, alios reparare.* Gothofredus ibi laudavit Horatium. Sed recte Alfenus *boves* reparare, quia *boves* erant venditi. Non scripsisset credo: et his nummis equos *reparare*, sed *parare. Compositum* pro *simplici*, dicunt interpretes, et Horatii hanc esse prae caeteris consuetudinem affirmant. Credo esse loca, ubi non multum referat, utrum composito utaris an simplici, quamquam vel sic, apud castigatos saltem scriptores, com-

Dis carus ipsis: quippe ter et quater
Anno revisens aequor Atlanticum
Impune. Me pascunt olivae,
Me cichorea, levesque malvae.

posito semper vis sua insit, sed hoc in *reparare* quoque fieri, non credo. Apud Horatium nusquam: v. c. Serm. II. 5. 2. *amissas reparare queam res.* Et sic est in *damna reparare*, *vires reparare*, caeteris, quorum exempla in Commentariis virorum doctorum ubique exstant. Velleius Paterc. II. 37. *Mithridates magnas novi exercitus vires reparaverat.* Hoc est: iterum sibi paraverat magnas vires in novo exercitu. Ruhnkenius primum legit *paraverat*, tum addit: »sed *reparare* pro simplici *parare* positum videtur. Lucan. I. 134. *Nec reparare novas vires.*" Prudenter Ruhnkenius *videtur*. Lucanus de Pompeio loquitur, iam sene, et ducis oblito. Credebat priori fortunae, nec vires suas, debilitatas, novo exercitu reparabat. Nam Pompeius flagitiose imparatus erat a militibus. Igitur nihil restat, nisi ut locum poëtae nostri ita exponamus. Mercator, priore vino consumto, novum bibit, quod sibi iterum paravit, Syra merce mutatum. Quod inceptum est. Bentlei. post alios conatus, *reparata* interpretatur *condita nardo Syria*, ut solebant vinum miscere variis odoribus. Hoc forte commovit virum doctum in Actis Societ. Traiectinae, ut coniiceret *piperata*. Withof. *pretiata*. Alius *Syrae aere parata mercis*. Nec mihi defuit coniectura: *Vina Syra reparanda merce*. Mercator vina exsiccat, avide bibit, non parcens, facile quippe reparandum. Facile, inquam. Nam Diis ipsis carus est. Apparet e felicitate, qua ter quater uno anno itinera perficit. *Reparata* et *reparanda* (*reparāda*) facile permutantur. Sic I. Carm. 1. *detestata* et *detestanda*. I. 5. *mutatosque* et *mutantesque*. Lucan. II. 160. *gestata* et *gestanda*. v. et Ruhnk. ad Velleium Paterc. II. 29. Verius tamen arbitror, hominem, quum propter metrum non potuerit scribere *vina Syra parata merce*, scripsisse *reparata*.

Quippe ter et quater. Haec prosam orationem referunt; et nimis a vero abhorret, tot itinera quotannis facta, etiam si mare Atlanticum ora occidentali Mauritaniae hic finias.

Me pascunt olivae. Alii *pascant*. Vide quae sibi opponantur. Habeant alii vinum Calenum, mer-

Frui paratis et valido mihi,
Latoë, dones, ac, precor, integra
Cum mente, nec turpem senectam
Degere, nec cithara carentem.

cator bibat ex aureis poculis, ego edam olivas, cichoream et malvas. *Olivas* et *malvas* arcessivit poëta ex Epod. II.

Frui paratis. Hoc est partis, quae possideo. *Frui* proprium in ea re, quando contenti sumus praesentibus. Est haec *ars fruendi*, quam Horatius alibi sic appellat. Virgil. I. Georg. 300. *parto fruuntur*. Curt IX. 2. *Praeda magis parta frui velle, quam acquirenda fatigari*. Conf. interpr. ad Liv. V. 6.

Latoë dones. In MSS. duobus, et in margine Vossiani legitur *Letoë*. Hoc iam observavit N. Heins. Advers. I. cap. 17. et eandem formam exstare in Codd. Ovidii et Ausonii. Est autem a *Λητὼ Λητῶος*. v. Heins. ad Ovid. III. Tristium 2. 3. et VIII. Metam. 15.

Nec turpem senectam Degere, nec cithara carentem. Senectutem honoratam, propter laudem poëticam, quia princeps Aeolium carmen ad Italos modos deduxerat, et senectutem etiam Musarum amore et cultu florentem. Ennius apud Ciceronem: *Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.* Virgil. III. Georg. 94. *Hunc* (equum) *quoque, ubi aut morbo gravis, aut iam segnior annis Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectae.* Et ignosce senectae equi, quae sane non turpis est, quia olim se tam praeclare gessit. Ne plus ab eo postula, quam praestare possit. Pro *cithara carentem* Broukhusius hoc loco scriptum esse malebat *citharae*.

CARMEN XXXII.

Poscimur. Si quid vacui sub umbra
Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat, et plures, age, dic Latinum,
Barbite, carmen,
Lesbio primum modulate civi;
Qui, ferox bello, tamen inter arma,
Sive iactatam religarat udo
Litore navim,

CARMEN XXXII.

Poscimur. Ita et MSS. Fran. et unum D'Orv. pro varia lectione, teste Oudendorpio. Serv. ad I. Eclog. 10. *poscimus:* in nonnullis MSS. tamen *poscimur.* Ordinem verborum esse puto hunc. Age barbite, si quid lusimus tecum, dic carmen, quod duret in hunc et plures annos. Similis formula fuisse videtur in Fragmento Callimachi T. I. pag. 256. quamquam valde corrupto: *Ἑλλᾶτε τὴν ἰλέγοισι δ' ἐνιψήσασθε λεπόσας Χεῖρας, ἵνα μοι πουλὺ μένουσιν ἔτος.* Bentlei. pag. 366. legit *ἔλλετε*, dicens se alterum versum non posse restituere. Suspicor Callimachum dedisse: *ἵνα μή μοι πουλὺ μένωσιν ἔτος. Ite in malam rem. Manus sordidas elegis abstergite, ne hi durent multos in annos.* Schol. Pindari, qui hoc fragmentum servavit, dicit Callimachum quoque significasse: *ἐάν γε χωρὶς χαρίτων γράφηται ὁ λόγος, ἀπόλωλε καὶ ἔσβεσται.* Virgil. III. Georg. 47. *nomen fama toi ferre per annos Tithoni prima quot abest ab origine Caesar.* Vetus Epigr. in Anthol. Burm. T. I. p. 35. *Quem nunc, et post semper, ob artem hanc Ardea laudat.* Epigramma in statua Oppiani: *Εἰ δὲ πολύν με χρόνον ζωὸν μίμνειν φθόνος αἰνὸς εἴασεν.*

Religarat udo Litore navem. Ovid. XIV. Metam. 248. *religata in litore pinu.* Paullin. p. 39. *Subductam religari litore classem.* V. Heins. ad Ovid. Fast. IV. 331. et Gronov. ad Sen. Med. 612.

Liberum et Musas, Veneremque, et illi
Semper haerentem Puerum canebat,
Et Lycum, nigris oculis, nigroque
Crine decorum.

Illi Semper haerentem Puerum. Perpetuum comitem. v. Barth. ad Statii IX. Theb. 808.

Lycum. MSS. *Licin.* Apud Ionesium coniicitur *Lycen decoram.*

O laborum dulce lenimen. Hunc locum volebat Schol. Statii Achill. II. 185. *Attonitam vario oblectamine mulcens Elicit extremo chelyn, et solantia curas Fila movet.* Ubi nunc legitur hoc Scholion: *Ab laborum dulce levamen.* Corrige vel: *ob laborum dulce lenimen.* vel: ut *Laborum dulce lenimen.*

Mihi cumque salve Rite vocanti. Illud *cumque* non intelligo, nec, quod substituam, habeo. Ioseph. Scaliger hoc loco bis utitur, ad Lucilii Aetnam vs. 5. et Catonis Disticha I. 9. Graece etiam sic reddit: χαῖρε μοι πότε ἐπικαλοῦντι. Hoc erit pro *quandocumque:* ut Schol. »quotiescumque vocavero te.'' Et sic interpretes. Etiamsi ista significatio testimoniis idoneis confirmari posset, eam tamen ab h. l. esse credo alienam. Nam in hoc ipso carmine invocat barbiton, ut dicat aliquid, quod duret. Itaque minus recte diceret, *adiuva me, quoties te vocavero.* Et *dulce lenimen laborum*, est pars universae laudis, quam citharae tribuit, ad conciliandam eius gratiam. Tale auxilium nunc non postulabat. *Quisque*, *quandoque* poni pro *quicumque*, *quandocumque*, multi docuerunt, in his Gronov. ad Liv. I. 24. *Cumque* pro *quotiescumque*, nullis exemplis comprobatur, nisi unico illo recentioris poëtae, qui Dionysii Catonis nomine fertur I. 9. *Cumque mones aliquem.* Sed et ibi variant MSS. et verum videtur quod in uno apparet. *Quando mones aliquem.* Bentlei. coniiciebat: *mihi*, *cuique*, *salve.* Salve mihi vel cuicumque alii rite vocanti. Non multum isti coniecturae tribuit vir sagacissimus. Nec sane ego meae, quam tamen proferam, ut aliorum industriam excitem, si feliciores versum deploratum restituant. Forte igitur legendum: *mihi tuque salve.* O cithara, quae Phoebo tuam operam praestas, quae praestas Musis in convivio Deorum, quae praestas miseris solatium, tu *etiam* mihi salve, mihi operam tuam praesta, nunc, quum te rite voco. Auctor. III. Carm. 11. *Tuque testudo resonare septem Callida*

O decus Phoebi, et dapibus supremi
Grata testudo Iovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cumque salve
Rite vocanti.

nertis. *Mihi salve*, ut in hymnis χαῖρέ μοι: v. c. Erinnae. χαῖρέ μοι Ῥώμη, θυγάτηρ Ἄρης. *Tu* non sine blandimento additum. Eurip. Phoeniss. 621. Μῆτερ, ἀλλά μοι σὺ χαῖρε. Terent. Adelph. III. II. 55. *Propera tu, mea Canthara.*

CARMEN XXXIII.

Albi, ne doleas plus nimio, memor
Immitis Glycerae, neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi iunior
Laesa praeniteat fide.
Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor, Cyrus in asperam
Declinat Pholoën; sed prius Apulis
Iungentur capreae lupis,
Quam turpi Pholoë peccet adultero.
Sic visum Veneri: cui placet impares
Formas atque animos sub iuga aënea
Saevo mittere cum ioco.
Ipsum me melior quum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Hadriae
Curvantis Calabros sinus.

CARMEN XXXIII.

Cyrus in asperam Declinat Pholoën. Ovid. IX. Metam. 460. *Paullatim declinat amor.* Ubi v. Heins. qui Horat. laudat: *Lydus in asperam.* Error manus, vel librariorum.

Apulis. Franck. et alia MSS. *Apulis.* Etiam Diomed. pag. 473.

Saevo mittere cum ioco. Claudian. II. Eutrop. Praef. 6. *Culmine deiectum vitae Fortuna priori Reddidit, insano iam satiata* [illegible]

Ipsum me melior cum peteret Venus. Cum Dea Venus me amore puellae melioris incenderet, et in eo essem, ut Myrtalen relinquerem, Myrtale, volente eadem Venere, me detinuit. *Venus* non absolute pro *puella* ponitur: sed blandientes appellant *suam Venerem.* Molliorem forte sonum huic versui ita reddas: *Ipsum me peteret cum mel*[illegible]

CARMEN XXXIV.

Parcus Deorum cultor et infrequens,
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus

CARMEN XXXIV.

Iterare cursus Cogor relictos. Omnia quae adhuc innotuerunt MSS. constanter *relictos.* N. Heinsius ad Ovid. VIII. Metam. 173. emendavit *relectos.* Bentleius, cui idem in mentem venerat, multo iudicio et doctrina hoc commendat. Probavit deinde Markland. ad Statii Silv. V. 3. 29. Oudendorp. ad h. l. non probavit, neque, ut videtur, ad Appul. Metam. VI. pag. 432. Argumentum Bentleii hoc est: *Cursus* non est ipsa *via*, sed per viam *decursiô.* Itaque non dixeris *cursus relictos*, sed *intermissos*, non *desertos*, sed *desitos.* Sed non dubitari potest, *cursus* et *cursum* de *ipsa via* poni. Cicero in carmine, in Epist. ad Attic. II. 3. *Interea cursus, quos prima a parte iuventae, Quasque ideo Consul virtute animoque petisti, Hos retine.* III. ad Attic. 8. *Ille incertus ubi ego essem, fortasse alium cursum petivit.* I. Offic. 33. *Quem vitae cursum sequi vellent.* h. e, quod *iter*, quam *viam*, ut alii loquuntur. Vide et Gronov. ad Liv. XLIV. 2. Si cursum *petimus*, *sequimur*, eundem *relinquimus.* In magna exemplorum copia, quae collegerunt Heinsiüs et Bentlei. verbum *relegere* secum habet *iter*, *mare*, *vestigia*, *spatia*, *vias*, *campos:* itaque *ipsa loca:* nam *vestigia* sunt notae locis impressae. Soli Prudentius et Paullinus dixerunt *relegere cursus*, quod observavit Bentleius, non cogitans hoc caussae suae non favere. Nam, sicuti alii poëtae dixere *vias relegunt*, sic ille *cursus relegunt.* Neque enim Latinum est *relegere* actionem currendi, pro *iterare* vel *repetere:* neque ipsa illa exempla aliter quam de *via* accipi possunt. Vide vel illud Paullini: *Diximus, ut fugiens non fugerit; Utque redactis Passibus, emensos sua per vestigia cursus Incassum toties volvente relegerit orso. Emensi cursus* sunt *via emensa.* Emetimur oculis vel passibus *loca*

Cogor relictos: namque Diespiter,
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum:

et *vias*, non emetimur *passus* vel actionem currendi. Oudendorpius putat *iterare cursus relectos* esse *iterare iteratos cursus*, et *relinquere* interpretatur uti dicimus v. c. rem relinquere imperfectam. Ovid. VI. Met. 201. *Sacra imperfecta relinquunt.* Terent. Andr. II. 5. 1. *Herus me relictis rebus iussit Pamphilum Hodie observare.*

Nubila dividens Plerumque. Satis diu lectores Horatii *plerumque egit*, coniunxerant. Multis interea, alteris alterum nescientibus, incidit mutare distinctionem. In his iam fuit Ioannes Ulricus, cuius sententiam explicavit Beeman. in Manuduct. ad Ling. Latin. p. 72. Ita quoque censebat P. Francius, ut annotavit Broukhus. addens verba Comment. Cruq. »*qui non nisi nubilo coelo tonare vel coruscare solet.* »Praeterea laudavit Varronem in Lege Moenia, apud Nonium.'' *Nos admirantes quod sereno lumine Tonuisset, oculis coeli rimantes plagas.*'' Ita et Burman. ad Petronii Satyr. pag. 677. minus recte tamen putans, Horatium irridere augurum disciplinam, vel Stoicos, qui hoc argumento Epicureos ad agnoscendam Deorum providentiam perducere conabantur. Fulmen et tonitru, praecipue subitum, et omnino res in vita graves et inexspectatae, animos Romanorum, etiam maxime firmos, metu Deorum implebant. Sueton. August. 90. *Augustus tonitrua et fulgura paullo infirmius expavescebat; ut semper et ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio: atque ad omnem maioris tempestatis suspicionem in abditum et concameratum locum se reciperet.* Idem de Caligula 51. *Qui Deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua et fulgura connivere, caput obvolvere, ad vero maiora proripere se e strato, sub lectumque condere se solebat.* Elegans exemplum mutatae de Diis sententiae est apud Plutarch. Vit. Caesar. 66. Narratur Cassius, brevi ante necem Caesaris, oculos in statuam Pompeii convertisse, καὶ ἐπικαλεῖσθαι σιωπῇ, καίπερ οὐκ ἀλλότριον τῶν Ἐπικούρου λόγων. Ἀλλ' ὁ καιρὸς, ὡς ἔοικεν, ᾤδη τοῦ δεινοῦ παρεστῶτος, ἐνθουσιασμὸν ἐνεποίει καὶ πάθος ἀντὶ τῶν προνόιαν λογισμῶν.

Quo bruta tellus, et vaga flumina,
Quo Styx, et invisi horrida Taenari
Sedes Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare, et insignem attenuat Deus,
Obscura promens: hinc apicem rapax

Quo bruta tellus, et vaga flumina. Serv. ad X. Aen. 102. habet: *Et bruta tellus.* Culpa librariorum. Oudendorpius h. l. epitheton *vaga* exemplis illustravit, emendavitque Sil. Ital. IV. 59. *Debellata procul, quaecumque vocantur Iberis.* Legit: *quacunque vagatur Iberus.*

Insignem attenuat Deus. Quia praecedunt *ima*, *summa*, et statim sequuntur *obscura*, minus eleganter hic legitur *insignem.* Ideo Bentlei. volebat *insigne.* Cuningh. *insignia*, quod valde placebat Oudendorpio. Et talia solent in neutro plurali efferri, ut etiam Graece. Aristoph. Lysistrata: *τὰ δ' ὑπέρτερα νέρτερα θήσει Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.* Eurip. apud Plutarch. Consol. Apollon. Vol. I. pag. 413. *Μιερότατα τὰ σφάλλοντα. καὶ μι' ἡμέρα Τὰ μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὰ δ' ἦρ' ἄνω.* Liv. II. 9. *Aequari summa infimis.* XXXII. 7. *Transcendendo media, summa imis continuare.* Manil. IV. 91. *Sed rapit ex sceptro funus Fortuna superbo, Inducitque rogum summis, statuitque sepulcrum.* Tacit. IV. Hist. 47. *Documenta instabilis Fortunae, summaque et ima miscentis.* Seneca Herc. Oet. 714. *Hos habent magna exitus.* Plin. Paneg. 44. *Quum altissima quaeque quaterentur, hic, qui omnibus excelsior, inconcussus stetit.* Rutil. Itin. II. 44. *Crudelis summis miscuit ima furor.* Sidon. Apollin. Carm. VII. 125. *Sat celsa laborant semper.* Curtius VIII. 8. *Summa imis confundimus.* Boëth. Consol. Phil. II. 2. *Rotam volubili orbe versamus. Infima summis, summa infimis mutare gaudemus.* Fortasse verum est, quod in Cod. Reginensi pro varia lectione invenitur, *insigne attenuat decus.* Diespiter tonuit. Omnia tremuerunt. Magna est Iovis potestas. Valet ima miscere summis. Promit obscura, attenuat decus insigne. *Obscura*, id est homines obscuros, ut Euripideum *τὰ μὲν καθεῖλεν*, ubi Valcken. Diatr. p. 177. volebat *τὸν μὲν*, referens ad *tyrannum*, cuius mentio praecesserit. Vel sic tamen et

Te Dacus asper, te profugi Scythae,
Urbesque, gentesque, et Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, et
Purpurei metuunt tyranni,
Iniurioso ne pede proruas
Stantem columnam, neu populus frequens
Ad arma cessantes ad arma
Concitet, imperiumque frangat.

las discernit. II. Carm. 14. *Sive reges sive inopes erimus coloni.* Serm. II. 2. 114. *videns metato in agello Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum.* Iam altera illa constructio *Pauper colonus ambit te prece, te dominum ruris*, est dura, et inanis repetitio pronominis *te*.

Profugi Scythae. Iam Scholiastae vario modo accepere, vel *Nomades*, vel in *fugiendo iaculantes.* Dacus *asper*, Latium *ferox*, postulant ut Scythae appellentur a re aliqua, Romanis timenda. Maxime autem timebant fictam Scytharum et Parthorum fugam.

Neu populus frequens Ad arma cessantes ad arma Concitet. Minime cum viro docto faciendum puto, qui iungit *frequens ad arma.* Quamquam hoc non erat novum. Comm. Cruq. *Frequens ad arma, bellicosus.* Melius Porphyr: *Bene tumultum vulgarem expressit repetendo.* Multa poëtarum exempla congessit Heins. ad Ovid. XI. Metam. 377. *cuncti coëamus, et arma Arma capessamus.* Adde Brisson. de Form. IV. 3. 14. Bentlei. totum locum sic mutat: *neu populus fremens ad arma cursantes ad arma Concitet.* Dicit se non intelligere, quinam essent, quos populus ad arma concitaret. Ego illam mutationem non sequor. Qui ad *arma cursant*, non egent maiore incitamento. Et populus *frequens*, non totum omnino populum, nemine excepto, indicat, sed longe maximam populi partem, paucis exceptis. Populus tyrannum opprimit. Maxima pars iam armata, eos, qui adhuc inermes sunt, concitat. Audiuntur voces: *quid arma capere cessatis?* Animo cupienti nihil satis festinatur. Sic Androgeus apud Virgil. II. Aen. 373. *Festinate viri. Nam quae tam sera moratur Segnities? alii rapiunt incensa feruntque Pergama: vos celsis nunc primum a navibus itis!*

CARMEN XXXV.

O Diva, gratum quae regis Antium,
Praesens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus; te dominam aequoris,
Quicumque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.

CARMEN XXXV.

O *Diva, gratum.* Possit aliquis suspicari, hoc carmen non esse novum, sed cum antecedenti coniungendum. Librarii novum fecere, quia bene incipi poterat ab invocatione Divae. Ita Horatius alibi: *Mercuri nam te. Diva, quem proles*, alia. Ea suspicio fortasse confirmatur titulis antecedentis carminis. *Ad se ipsum. De Dei potentia et fortunae.* Nam in illo carmine de *fortuna* duo tantum versus leguntur. Et Deus ille utitur Fortuna, suae voluntatis ministra. Quod Deus facere dicitur in universum, hoc Fortuna in singulis hominibus exsequitur.

Te pauper ambit sollicita prece Ruris colonus. Fortuna in numis conspicitur stolata, dextra tenens gubernaculum, laeva cornu copiae: v. Burman. ad Emendat. Valesii II. 24. Itaque bene eam veneratur pauper ruris colonus, bene navita ut dominam aequoris. Markland. ad Eurip. Suppl. pag. 254. legit: *Te pauper ambit sollicita prece. Ruris colonus te dominam, aequoris* sq. v. et Klotzii Acta Liter. T. I. pag. 201. Wolfius autem: *Ruris, colonus, te dominam.* hoc est: Te, ruris dominam, colonus invocat, te aequoris dominam nauta. Et saepe ita vox aliqua, semel posita, cogitando repetenda est. v. Goeller. ad Thucyd. V. 47. etiam docens hic *ruris dominam* et *aequoris dominam* esse iungenda. Ego *pauper* a *colono* non separandum puto. *Coloni* et *pauperes* apud Horatium sunt iidem. *Colonos* et *rusticos* sive *agrico-*

At vulgus infidum et meretrix retro
Periura cedit: diffugiunt cadis

untem comitantur Spes et Fides, tum abeunt cum Fortuna tam fidi amici quam infideles. Deinde et alia tentat vir magnus, quod indicio est, ipsum sibi hic non satis fecisse. Gesnerus: *Fides se non abnegat comitem fortunae amicorum:* Sic vero duplicem imaginem in eodem nomine agnoscere debemus, Deae Fortunae, et fortunae humanae, sortis humanae. Quod ipsum Mitscherlichius explicans, multus est in Horatio propterea reprehendendo. Ego non potui credere hominem tanto ingenio et iudicio tam turpiter errasse. Scripsit enim, nisi fallor: *sed comitem abnegat.* Te, o Fortuna, spes et Fides colunt, quando hominibus laeto vultu arrides. Sed, quum eosdem homines relinquis, Spes et Fides te non comitantur, sed apud infelices manent. Vulgus et meretrix et falsi amici tecum abeunt. Hanc emendationem sana ratio et similes veterum in hac re sententiae commendant. Sallust. Fragm. ed. Thys. pag. 465. *At contra in his miseriis cuncta me cum Fortuna deseruere.* Nepos in Attico 9. *Se non fortunae, sed hominibus solere esse amicum.* Liv. XXIV. 45. *Tamquam cum fortuna fidem stare oporteret.* Anthol. Iacobs. pag. 248. *Ἢν πταίσῃς, οὐδεὶς ἔτι σοι φίλος, ἀλλ' ἅμα πάντα Ἐχθρὰ, Τύχης ὠπαῖς συμμεταβαλλόμενα.* Ovid. II. Pont. 3. *Scilicet indignum, iuvenis rarissime, ducis Te fieri comitem stantis in orbe Deae.* I. Pont. 9. *Adfuit ille mihi, cum pars me magna reliquit, Maxime, fortunae nec fuit ille comes.* I. Trist. 5. *Vix duo treve mihi de tot superestis amici. Caetera fortunae non mea turba fuit.* Valer Max. IV. 7. 1. *Tenacius igitur eorum nomina posteritatis memoria apprehendit, qui adversos amicorum casus non deseruerunt, quam qui prosperum vitae cursum comitati sunt.* Boëth. Consol. Phil. I. Metr. 1. *Has saltem nullus potuit pervincere terror, Ne nostrum comites prosequerentur iter.* Marbodus in Carm. pag. 1611. *Fortunae comites et prosperitatis amici, Dum manet illa, manet, et cum fugiente recedunt.* Fortuna porro saepe dicitur *manere, linquere, venire, abire.* Horat. III. Carm. 29. *Laudo manentem.* In numis conspicitur *Fortuna Manens.* v. Burm. ad Petron. 80. et Ovid. V. Trist. 8. Sueton. in Galba 4. Somniavit Fortunam dicentem, *stare et ante fores defessam, et, nisi ocyus reciperetur, cui-*

Cum faece siccatis amici,
Ferre iugum pariter dolosi.
Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos, et iuvenum recens
Examen, Eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.

cunque obvio praedae futuram. Stat. Silv. III. 3. 85. *Iamque piam lux alta domum, praecelsaque toto Intravit Fortuna gradu.* Conf. Plutarch. de Fortun. Romana Cap. 4. Boëthius Consol. II. 1. *Cara tibi est Fortuna praesens, nec manendi fida, et, cum discesserit, allatura moerorem.* Denique illud h. l. notandum, Fortunam, quae apud alios *cultum*, *frontem* mutat, mutare *vestem*.

Ferre iugum pariter dolosi. Dolo malo se iugo subtrahunt, et suam partem oneris, adversae fortunae, ferre recusant. Heuman. Miscell. Lips. IV. 142. legit *perosi.* Sine caussa. *Pariter* autem dixit, quia *iugum par* est. Propert. III. 23: *Tu bene conveniens non sinis ire iugum.* Theocritus XII. 15. *Ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ.* Stat. III. Silv. 5. 159. *tu par assuetus Homero Ferre iugum.* Valer. Max. II. 1. *Quotidianae ac domesticae pacis custos, in pari iugo charitatis.*

Serves iturum Caesarem in ultimos Orbis Britannos. Bentleius *ultimos Oro Britannos.* Cur? Quia *orbis* elegantius omittitur, quia recte dixeris *Britannos ultimi orbis*, minime *ultimos*, quia denique poëtae Britanniam non tam *ultimam orbis*, quam plane *alium orbem* appellare solent. Propterea alii quoque emendarunt *ultimi orbis*, alii *nobis Britannos.* Omnes frustra. Poëtae vocant Britanniam *ultimam*, quodsi supplere velis, quid aliud addes, quam ultimam *orbis*, ultimam *terrarum*? Ut Seneca Med. 379. *Nec sit terris ultima Thule.* Calpurn. Eclog. IV. 39. *Ultima litora terrarum.* Aeschyl. Prometh. Vincto 852. *Ἐστὶν πόλις Κάνωβος, ἰσχάτη χθονός.* Iam Britannos *orbis ultimos* Latinum esse, apparet e Tacito III. Annal. 45. *Vastat Sequanorum pagos, qui finium extremi, et Aeduis contermini, in armis erant.* Agric. 30. *Nos Britannos, terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus fama defendit.* Silius Ital. 283. *Massyli, domus ultima terrae.*

Eheu cicatricum, et sceleris pudet
Fratrumque! Quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manum iuventus
Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam nova
Incude defingas retusum in
Massagetas, Arabasque ferrum!

Mamertin. Panegyric. 5. *Viribus primi barbarorum, locis ultimi.*

Eois partibus. Oris, terris. Vid. Oudendorpius ad Caesar. B. Gall. VI. 11.

Quid intactum nefasti Liquimus. Imitatus est Seneca Thyest. 220. *Quid enim reliquit crimine intactum? aut ubi Sceleri pepercit?* Virgil. VIII. Aen. 205. *ne quid inausum Aut intractatum scelerisve dolive fuisset.*

Unde manum iuventus. Alii *manus.* Oudendorpius etiam *manum*, quod in quinque MSS. invenit. Et sonus est gratior.

Incude defingas retusum. Variae sunt lectiones et coniecturae. *Diffingas. Defigas. Destringas. Diffindas. Recusum. Refusum. Recoctum.* Bentleius volebat *defingas recoctum.* Credo *defingas retusum* se satis bene habere. Ferrum retusum, hebetatum, defingitur, fingitur, sua ferro forma datur, quum redditur incudi; nam hoc est, *nova incude* defingi. Restitue ferrum, ait, sed contra Massagetas.

CARMEN XXXVI.

Et thure et fidibus iuvat
Placare, et vituli sanguine debito
Custodes Numidae Deos,
Qui nunc Hesperia sospes ab ultima,
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula,
Quam dulci Lamiae, memor
Actae non alio rege puertiae,
Mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulchra dies nota:
Neu promptae modus amphorae,
Neu morem in Salium sit requies pedum:
Neu multi Damalis meri
Bassum Threïcia vincat amystide:

CARMEN XXXVI.

Actae non alio rege puertiae. Pueri solebant *regna et magistratus ludere.* Eligebant reges sive sorte, sive animi et corporis excellentia. Horat. I. Epist. I. 59. *pueri ludentes, Rex eris, aiunt, Si recte facies.* Iustin. I. 5. *Cyrus rex inter ludentes sorte electus.* Vid. Casaubon. ad Aelium Spartian. in Severo 1. et Torrent. ad Sueton. Neron. 35. Lamia iam in pueritia tam festivus erat et alacer, ut in ludis semper esset rex. Suavissima illa tenerae aetatis memoria, reduci Numidae suum erga Lamiam amorem augebat. Haec interpretatio mea non est nova, sed timebam ne fieret nimis antiqua. Sunt enim interpretes recentiores, qui hoc puerile dicant. Est sane puerile, quia ex aetate et sensu puerilis innocentiae. Sidon. Apollin. III. Epist. 1. *Quod ipsi iisdem temporibus nati, magistris usi, artibus instituti, lusibus otiati.* Broukhusius putabat huc facere Manil. V. 450. *Componet teneros etiam qui nutriat annos, Et dominum dominus praetextae lege sequatur.*

Neu multi Damalis meri Bas-

Neu desint epulis rosae,
Neu vivax apium, neu breve lilium.
Omnes in Damalin putres
Deponent oculos: nec Damalis novo
Divelletur adultero,
Lascivis hederis ambitiosior.

sum Threïcia vincat amystide. Haec melius alio ordine legentur: *Neu desint epulis rosae, Neu vivax apium, neu breve lilium; Neu multi Damalis meri* seq. Mallem etiam, quod in nonnullis libris extat: *Nec multi Damalis meri, Bassum Threïcia vincat amystide.* Idque aliter quam vulgo fit, interpretor, nempe: et Damalis, quae non multi meri est, nunc, propter laetitiam, Bassum vincat. Ita Damalis laudatur. Neque video cur tam strenua potatrix adeo ab omnibus peteretur. Callistium ἀνδράσι διαπινομένη memoratur ab Hedylo apud Athen. XI. 71. Damalis erat nomen sarcinatricis Liviae. Vid. Additam. ad Gruteri Inscript. p. 580. *Non multi meri,* ut Suetonius Augusti 76. *Erat minimi cibi.* Lucan. VIII. 223. *Aeterni Martis Alanos.* Vid. Cort. ad VII. 541.

Omnes in Damalin putres Deponent oculos. Oudendorpius ad Hirtium de B. Afr. 26. utitur h. l. ad defendendam lectionem MSS: *Oculos mentemque ad mare depositos directosque haberet.* In annott. MSS. ad Horatium iungebat *putres in Damalin.* ut Pers. Sat. V. 58. *Ille in Venerem putris est.* Sic enim MSS. habent, et laudat Serv. ad IV. Georg. 199. vulgo *putret.* Remanet difficultas in locutione inusitata *oculos deponere*, pro *intendere*, *defigere.*

CARMEN XXXVII.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Caecubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus et imperio parabat

CARMEN XXXVII.

Ornare pulvinar Deorum Tempus erat. Scholiastae dicunt, *erat*, pro *est*. Alii interpretes e Graecorum ratione explicant, qui imperfecto utantur pro praesenti, figura a Grammaticis Heterosi appellata. Ad eam locum Horatii retulerunt Vechner. in Hellenol. p. 153. et nonnulli ad Vigerum de Idiot. pag. 214. Verbo etiam in Horatio defendit Heusing. ad Mallium de Metris pag. 55. Mihi illa Heterosis omnino ficta res esse videtur, tam in nominibus quam in verbis. Si enim loca scriptorum accuratius intueamur, reperiemus imperfectum non poni pro praesenti, nisi quum ipsa sententiae ratio vel ferat vel postulet. Neque significatio temporum Graecorum Latinorumque ex nostra loquendi consuetudine indicanda est. Vid. Herman. de Emend. ratione Graecae Grammatic. Vol. I. p. 180. Non melius Burm. ad Petron. 28. *erat* pro *esset* vocat elegantem enallagen, dum explicat notam illam dicendi formulam *longum est*. Nam hic locus esse non potest Enallagae, quia veteres Romani nunquam scribebant *longum esset*, sed semper *est*. Petronius ibi dixit *longum erat*, quia verba sunt narrantis. Neque apud Horatium *tempus erat*, significat *tempus esset*, ut vult Burmannus. Tempus *erat* significat, iam dudum tempus erat. Quid ornare cessatis pulvinar? Sed in his me duae res offendunt, prior, quod verba *tempus erat* statim subiunguntur antecedentibus *nunc est bibendum:* altera, quod *nunc tempus erat*, positum sit pro *iam*,

Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria. Sed minuit furorem

iamdudum tempus erat: cuius locutionis non credo inveniri exemplum. Video laudari Propert. II. 8. 14. *Magni nunc erat oris opus.* Sed ibi ex optimis MSS. editur *erit*, quod postulat sententiae ratio. *Nunc tempus erat*, est, nunc *debebamus*, nunc *par erat*, nunc *decebat*. Atque hoc plerumque dicimus, quum contrarium accidit, quam quod iure quodam postulare nobis videmur. Liv. VIII. 5. *Tempus erat, tandem iam vos nobiscum nihil pro imperio agere.* Ovidius IV. Trist. 8. 5. *Nunc erat, ut posito deberem fine laborum Vivere.* Contra de re ipsa praesenti, *nunc est.* Plaut. Capt. III. 3. 1. *Nunc illud est, cum me fuisse, quam esse, nimio mavelim.* Non igitur illa in Horatio amplius ferenda sunt: *nunc est bibendum, nunc tempus erat.* In lectionis varietate nullum invenitur adiumentum. In quibusdam MSS. legitur *erit.* Schraderus corrigit. *Nunc, nunc bibendum.* Ego arbitror Horatium scripsisse: *Nunc Saliaribus Ornate pulvinar Deorum, Tempus erat, dapibus sodales.* Ornate. Dudum tempus erat. Iam diu haec victoria Augusto debebatur. Sic Aristoph. Eccles. 872. *τί ποτ' ἄνδρες οὐχ ἥξουσιν; ὥρα δ' ἦν πάλαι.* Plin. I. Ep. 3. *Quin tu, tempus est enim, humiles et sordidas curas aliis mandas.* Sil. Ital. XI. 395. *Verum aegite, o mea turba, precor, iam tempus, adeste.*

Contaminato cum grege turpium Morbo virorum. In uno MS. vidi *semivirorum*, in altero *eviratorum.* Quae sunt glossae. Bentlei. pro *morbo virorum* legit *opprobriorum.* Alii *morbo Syrorum, orbo virorum.* Puto locum magis esse explicandum, quam corrigendum. Singulae voces *contaminatus, grex, turpis,* habent contemptum vehementissimum. Contemptus eo non parum augetur, quod illi viri non tantum dicuntur turpes, sed etiam turpes *morbo*, hoc est, *natura, studio, vitio, voluntate.* Habent hunc morbum, ut non turpes esse non possint. Horatius quoque acerbe tangit Romanos, qui erant in comitatu Cleopatrae et Antonii. Vide Dion. Cass. I. 28. Talem notavit Plancum Velleius Paterc. II. 83. *Inter hunc apparatum belli, Plancus non iudicio recta legendi, neque amo-*

Vix una sospes navis ab ignibus:
Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Caesar, ab Italia volantem

re reipublicae aut Caesaris, sed morbo proditor, cum fuisset humillimus assentator reginae, et infra servos cliens, cum obscoenissimarum rerum et auctor et minister, cum in omnia et in omnibus venalis, cum caeruleatus et nudus, caputque redimitus arundine, et caudam trahens, genibus innixus, Glaucum saltasset in convivio, transfugit ad Caesarem. Plancus *morbo proditor*, ut h. l. *morbo turpis.* Ruhnken. comparat Ciceron. pro Cluent. 65. ubi Graevium neglexisse dicit laudare Gronov. ad Senecae de Benefic. I. 14. Fecit hoc Graevius ad Offic. I. 15. de quo looo. v. Wyttenb. Biblioth. Critica Vol. III. 4. 62. Catull. Carm. 39. *Renidet ille, quidquid est, ubicunque est, Quodcumque agit, renidet. Hunc habet morbum.* Νόσον ἔχει est apud Epicharmum. Manil. V. 155. *habitat sub pectore coeco Ambitio, et morbum virtutis nomina iactant.* Idem significat *vitium.* Liv. XXVIII. 12. *Mos vitio etiam insitus genti, per latrocinia militiam exercendi.* Minus recte Gronov. volebat *ultro.* Tibull. I. 9. 73. *Nec facit hoc vitio: Sed corpora foeda podagra, Et senis amplexus culta puella fugit.* Ovid. VI. Metam. 460. *Flagrat vitio gentisque suoque.* Curt. VIII. 5. *Non ingenio solum, sed etiam nationis vitio adulator.* Theopomp. apud Athen. XII. p. 531. δοῦλος ὢν φύσει τῶν ἡδονῶν.

Mentemque lymphatam Mareotico Redegit in veros timores. Guietus ad Lucan. pag. 909. ed. Oud. rogat an hic legendum sit *Meroëtico.* Oudend. in Annot. MS. hoc reiicit, quia *Meroë* est aliud. Corruptum Scholion Comment. Cruq. net, *Mareotica fumat comtos.*" ita emendetur: *Mareotica fumat Coptos.* Versus est Statii I. Theb. 264. De hoc vino lege Vlitium ad Gratii Cyneg. 313. *Veri* timores hic opponuntur *vanis*, quos Panicos appellant. Alioquin contrarius *veri* est fictus, simulatus. Liv. XI. 50. *Saepius simulato, quam vero pavore refugerunt.* Val. Flacc. VI. 459. *veros metuens aperire timores.*

Remis adurgens: accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Haemoniae: daret ut catenis
Fatale monstrum: quae generosius
Perire quaerens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentes
Classe cita reparavit oras;

Aut leporem citus Venator. Augustus Cleopatram remis adurguet, ut accipiter adurguet columbas, venator leporem. Withof. emendavit *venatur*. Burgess. ad Aeschyl. Eumen. vs. 229. *canis venatur*. Mea sententia esset lectio elegantior: *aut leporem premit*. Propter similitudinem praecedentium syllabarum *porem*, excidere potuit syllaba prima in *premit*, cuius ultima syllaba *it* mutata est in *citus*, ut metro consuleretur. Non dubito, quin, si vel in uno MS. inveniretur *premit*, hoc omnes vulgatis essent praelaturi. Virgil. I. Aen. 324. *Aut spumantis apri cursum clamore prementem*. III. Georg. 413. *Ingentem clamore premes ad retia cervum*. Ovid. IV. Heroid. 41. *In nemus ire libet, pressisque in retia cervis, Hortari celeres per iuga summa canes*. v. Burm. Seneca de Vita Beata 14. *Ut ferarum vestigia premat*. Seneca Hippol. 938. *Profugum per omnes pertinas latebras premam*. Claudian. I. Rufin. 229. *Hyrcana premens raptorem bellua Parthum*. Schol. Statii Theb. IV. 323. »Venatores cum investigant, *errant*, cum prosequuntur (persequuntur) *premunt*."

Nec latentes Classe cita reparavit oras. Locus difficilis, qui me maxime omnium vexavit. *Classe*, dicunt, pro *una nave*. Hoc ita sit in aliis poëtarum locis, quamquam de multis haud immerito dubitari possit: hoc loco ea significatio admitti non potest. Paullo enim ante Cleopatrae *vis una navis fuit sospes* de magna classe. Nunc eadem non bene diceretur *cita classe* Aegypti interiora petere. Neque *oras reparavit*, pro *adiit*, Latinum est. Ingeniose Bentleius *penetravit*. Contra Bentleium disputat vir doctus in Observ. Miscellan. Novis Vol. II. pag. 422. explicans: *Cleopatra omnem Aegyptum belli*

Ausa et iacentem visere regiam
Vultu sereno, fortis et asperas

sorte amiserat. Sed potuisset citata classe multa victori eripere, et sibi recuperare. Atqui contrarium ex historia apparet. Nihil ex Aegypto amiserat, minime Aegypti interiora. Pugna apud Actium pugnata est initio mensis Septembris anni 31. a Chr. Augustus anno demum sequenti, mense Ianuario, in Aegyptum Alexandriam venit. Igitur Cleopatra satis temporis habuit reparandae classi, et Aegypto muniendae. Taceo sententiam Titii ad Cyneget. Gratii vs. 244. cui videbatur Horatius potuisse scribere *repedavit.* Longe melius L. Bos: *ire paravit oras.* Withof. *reseravit.* Elegans h. l. est Scholion Comment. Cruq. »*Latentes oras*, fines regni: id est, non collegit denuo exercitum ex intimis regni partibus, sibi faventibus. Perditis enim Cleopatra rebus, dum omnis in eius auxilium Aegyptus conspiraret, ne reparato bello ad interiora descendens, aut genti suae exsisteret gravis, aut occasionem mortis gloriosae effugeret, contemsit amorem et studium suae gentis." Comment. etiam laudavit Virgil. VIII. Aen. 713. ubi Servius: »Legitur Cleopatram praesagio mortis futurae oblitam esse recessuq Aegypti petere, in quibus facile poterat bella reparare. De qua re se moriens dicitur increpasse." Ex his Scholiis et ipsa carminis sententia facile intellectu est, quid Horatius voluerit, nempe: *Cleopatra non bellum instauravit auxilio Aegypti interioris.* Quid scripserit, divinatu non facile est.

Ausa et iacentem visere regiam Vultu sereno, fortis et asperas. Perversa distinctio occupavit plurimas editiones, *vultu sereno fortis, et ausa tractare. Fortis*, cum *ausa* et *vultu sereno* coniunctum, languet. Nam et *vultu sereno* multum significat, ut Ambros. T. II. pag. 171. *Dum reus moram supplicio faceret, fideiussor vultu sereno mortem non recusavit.* Et *fortis tractare serpentes* Graecum et Lyricum est: δεινὸς nempe utuntur graeci saepe in rebus non laudandis. Sic Liv. VII. 20. *Nondum erant tam fortes ad sanguinem civilem.* Tibull. III. 2. 5. *Non ego fortis in hoc.* Stat. III. Silv. 2. 125. *Fortis et Eoas iaculo damnare sagittas.* Atque Horatii locum iam eadem ratione distinguebat Bentleius, cui tamen illud in mentem venit, haec iam praetervecto, ad III. Carm. 4. 69. Pro *iacentem* idem Bentleius egregie correxit *tacentem*, quod maxime convenit cum ingenio aulicorum, et confirmatur historia omnium tempo-

Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum;
Deliberata morte ferocior:

rum. Reges soli sunt. Altum circa eos silentium. Qui cogitet, quid Gualterus Raleigius in praefatione historiae suae narret de Carolo V. postquam imperium abdicaverat, quid Franci de morte Ludovici XIV. deque aula Napoleontis iterum deiecti; is optime regiam Cleopatrae *tacentem* intelliget. Emendationem Bentleii paucis commendavit Cort. ad Lucan. II. 693. v. et Markland. ad Statii Silv. I. 3. 36.

Corpore combiberet venenum. Corpore non sine contemtu. Potuisset *pectore*. Et sic legitur in MS. Mentel. sed neque de parte corporis, cui serpentes admoverit, constat. Ponnanus in Anthol. Burm. I. pag. 225. etiam *pectus* nominat. *Picta fuit quondam Pharii regina Canopi, Artifici formata manu, nam vivere serpens Creditur, et morsa gaudens dare fata papilla. O quam vivit opus! quam paene figura dolorem Sentit! et ex ipso moritur pictura veneno!* Tolle ex versibus pulcherrimis ingratam repetionem serpens *vivit*, opus *vivit*, et lege: *O quam spirat opus!* Sil. Ital. II. 429. *At senior Siculis exsultat Hamilcar in arvis: Spirantem credas certamine anhela movere.* Theocrit. Eid. A. 42. *Φαίης κεν γυίων νὶν ὅσον σθένος ἐλλοπιεύειν. Ἴδε οἱ ᾠδήκαντι κατ' ἀνχένα πάντοθεν ἶνες.* Valer. Max. V. 4. *In illis mutis membrorum lineamentis viva ac spirantia corpora intueri credentes.* v. Heinsii Adversar. p. 722. Burm. ad Valer. Flacci II. 465. Oudend. ad Appul. Metam. pag. 789. Corrigendus etiam hic est Stat. Silv. III. 2. 19. *Anguiferamque domum, blando qua mersa veneno Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.* Leg. *morsa veneno*, id est morsa colubris blandi veneni, quod somno hominem extinguit.

Deliberata morte ferocior. Interpretationi sint haec Plinii I. Epist. 22. *Nam impetu quodam et instinctu procurrere ad mortem, commune cum multis: deliberare vero, et caussas eius expendere, ingentis est animi.* Dictum Horatii multis videtur placuisse, qui imitando expresserunt. Lucan. IV. 534. *stabat devota iuventus Damnata iam luce ferox.* Statius XII. Theb. 760. *Iam letale furens, atque audax morte futura.* Tacit. II. Hist. 46. *Operiebatur Otho nuntium,*

Saevis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

nequaquam trepidus, et consilii certus. Seneca Agam. 210. *Non melior Aiax, morte decreta furens.* Ambrosius T. II. pag. 540. *Contemta morte ferocior.* Conf. Cort. ad Lucan. IV. 487.

Saevis Liburnis. Hos volebat Papias, dicens *promptos ad moriendum.* Itaque non recte Cramerus ad Iuvenal. Sat. VI. 744. corrrigit *promptos ad currendum.*

CARMEN XXXVIII.

Persicos odi, puer, apparatus;
Displicent nexae philyra coronae;
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curo: neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arta
Vite bibentem.

CARMEN XXXVIII.

Mitte sectari rosa quo locorum Sera moretur. Mitte sectari rosam, quo locorum moretur. P. Brantsma in Specim. observat. cap. 3. legit *scitari* vel *scrutari*. Minus eleganter, quam vulgatum. Symmach. IV. epist. 28. *Omitte sectari per naturam faciliora.* In MS. D'Orvill. est: *quo moretur sera locorum.* Suetum ordinem servat Victorin. pag. 2604. Rosa *sera* accipiatur de *primis*, non de *hibernis*. Sic et Comment: »*Vetat puerum studiose rosas quaerere, quae non nisi peracto vere solent inveniri. Sera*, tarda. Ut: *Aestatem increpitans seram.* Versus, quem laudat, est Virgilii IV. Georg. 138. *Primus vere rosam, atque autumno carpere poma, Aestatem increpitans seram, Zephyrosque morantes.* Cicero V. in Verr. 10. *Cum autem ver esse coeperat, cuius initium iste non a Favonio, neque ab aliquo astro notabat; sed cum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur.* Luxus poni solet in prima novitate. Laudantur et rosae *hibernae*, flores *alieni temporis*, ut dicit J. Capitolin. in Vero 4. Vid. interpr. ad Flor. II. 8. Sed neque *myrtus* neque *vitis* hiberno tempore gratiam habent. Incidunt in rosas *vernas*, non in hibernas, et arte coactas.

Simplici myrto nihil allabores Sedulus curo. Bentl. *nihil allabores Sedulus, cura.* In MS. Mentel. legitur *curae.* Unde corrigo: *Simplici myrto nihil allabores. Sedulum curae neque te ministrum Dedecet myrtus, neque* sq. Non opus est tibi nec mihi multo florum ornatu. Te myrtus et sedulitas satis ornant.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER SECUNDUS.

CARMEN I.

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique caussas et vitia, et modos,
Ludumque Fortunae, gravesque
Principum amicitias et arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae

CARMEN I.

Nondum expiatis uncta cruoribus. Non dubito, quin Latinum sit *arma sanguine unguere.* Nam Sil. Ital. IX. 13. scripsit: *hostilique unguere primus Tela cruore.* Quem locum tractavit N. Heins. in Advers. pag. 263. Sic Stat. XII. Theb. 701. *adhuc sordentia tabo Spicula.* Longe tamen usitatius est tela *veneno unguere:* v. interpr. ad Lucan. III. 266. sed sanguine *tinguere*, cuius locutionis plurima exempla praebuit Bentleius ad confirmandam emendationem *tincta cruoribus.* Ego potius legerim: *Nondum expiatis uda cruoribus.* Hoc magis est coloris poëtici, et accuratius declarat bellum civile cito iteratum. Lucan. VIII. 853. *scelerique secundo Praestabis nondum siccos hoc sanguine campos.* Manil. I. 908. *Vix etiam sicca miles Romanus arena Ossa vi-*

CARMEN XXXVIII.

Persicos odi, puer, apparatus;
Displicent nexae philyra coronae;
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curo: neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arta
Vite bibentem.

CARMEN XXXVIII.

Mitte sectari rosa quo locorum Sera moretur. Mitte sectari rosam, quo locorum moretur. P. Brantsma in Specim. observat. cap. 3. legit *scitari* vel *scrutari*. Minus eleganter, quam vulgatum. Symmach. IV. epist. 28. *Omitte sectari per naturam faciliora.* In MS. D'Orvill. est: *quo moretur sera locorum.* Suetum ordinem servat Victorin. pag. 2604. Rosa *sera* accipiatur de *primis*, non de *hibernis*. Sic et Comment: »*Vetat puerum studiose rosas quaerere, quae non nisi peracto vere solent inveniri. Sera*, tarda. Ut: *Aestatem increpitans seram.* Versus, quem laudat, est Virgilii IV. Georg. 138. *Primus vere rosam, atque autumno carpere poma, Aestatem increpitans seram, Zephyrosque morantes.* Cicero V. in Verr. 10. *Cum autem ver esse coeperat, cuius initium iste non a Favonio, neque ab aliquo astro notabat; sed cum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur.* Luxus poni solet in prima novitate. Laudantur et rosae *hibernae*, flores *alieni temporis*, ut dicit J. Capitolin. in Vero 4. Vid. interpr. ad Flor. II. 8. Sed neque *myrtus* neque *vitis* hiberno tempore gratiam habent. Incidunt in rosas *vernas*, non in hibernas, et arte coactas.

Simplici myrto nihil allabores Sedulus curo. Bentl. *nihil allabores Sedulus, cura.* In MS. Mentel. legitur *curae.* Unde corrigo: *Simplici myrto nihil allabores. Sedulum curae neque te ministrum Dedecet myrtus, neque* sq. Non opus est tibi nec mihi multo florum ornatu. Te myrtus et sedulitas satis ornant.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER SECUNDUS.

CARMEN I.

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique caussas et vitia, et modos,
Ludumque Fortunae, gravesque
Principum amicitias et arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae

CARMEN I.

Nondum expiatis uncta cruoribus. Non dubito, quin Latinum sit *arma sanguine unguere.* Nam Sil. Ital. IX. 13. scripsit: *hostilique unguere primus Tela cruore.* Quem locum tractavit N. Heins. in Advers. pag. 263. Sic Stat. XII. Theb. 701. *adhuc sordentia tabo Spicula.* Longe tamen usitatius est tela *veneno unguere:* v. interpr. ad Lucan. III. 266. sed sanguine *tinguere*, cuius locutionis plurima exempla praebuit Bentleius ad confirmandam emendationem *tincta cruoribus.* Ego potius legerim: *Nondum expiatis uda cruoribus.* Hoc magis est coloris poëtici, et accuratius declarat bellum civile cito iteratum. Lucan. VIII. 853. *scelerique secundo Praestabis nondum siccos hoc sanguine campos.* Manil. I. 908. *Vix etiam sicca miles Romanus arena Ossa ci-*

Tractas, et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paullum severae Musa tragoediae

rum lacerosque prius superadstitit artus. Ammian. Marcellin. XXIII. pag. 265. *Cuius in gladiis nondum nostrae propinquitatis exaruit cruor.*

Suppositos cineri doloso. Florus in hoc loco variando sibi placuit. v. III. 4. *Multis amissis, dum perfidum glacie flumen equitatur.* III. 5. *Exstincta parum fideliter incendia, maiore flamma reviviscunt.* IV. 2. *Acrius multo atque vehementius Thessalia incendii cineres recaluere.* Horatiana cum Graecis comparavit Ruhnken. Epist. Crit. II. pag. 176.

Paullum severae Musa tragoediae Desit theatris. Interpretes multam operam dederunt, ut sententiam huius carminis explicarent. In eo tamen omnes conveniunt, ut dicant, Horatium suadere Pollioni, ne duas res simul agat, hoc est, ne scribat historiam bellorum civilium et tragoedias. Sed hoc non deceret Horatium, et esset admonitio rustica. Ipse Pollio se melius excusaret, fatens, se non esse parem utrique muneri eodem tempore obeundo. Horatius de ingenio et facultate Pollionis honeste dubitare non poterat. Ita Plinius V. Epist. 8. ad Capitonem: *Dices: potes simul et rescribere actiones et componere historiam. Utinam! Sed utrumque tam magnum est, ut abunde sit, alterum efficere.* Quanto humanius scribit Symmachus amico suo IX. Epist. 101. *Prope est, ut te arguere debeam, quod saeculo nostro Tullianum stilum famae parcens, invideas. Respondebis omnem te operam condendae historiae deputasse. Ignosce avaritiae meae, si utrumque desidero.* Alias difficultates mox attingam. Nunc mihi unus quisque animadvertat, quam apte composita sit universi carminis ratio, his quatuor versibus deletis. »Occupatus es, Pollio, in scribenda bellorum civilium historia. Opus magnum ac difficile! rebus praesertim nondum ita compositis, ut omnia sine multorum offensione tractari possint. Sed periculosa illa difficultas te, pro tua constantia, gravitate, et veritatis amore, a consilio tuo non deterrebit. Equidem praeclara quaevis de labore tuo auguror. Facta dictis exaequabis. Rebus a te narrandis iam nunc mihi interesse videor. Triste argumentum! Nam quantum civilis sanguinis ubique fusum est! Sed quid ego et ipse

Desit theatris: mox, ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,

memoriam rerum moestarum re voco? abhorret ab ingenio Musae meae." Neque illud omittendum, nunc orationem melius procedere »*Tractas opus periculosum et incedis per ignes cineri suppositos, o Pollio, insigne moestis praesidium reis.* Haec oratio impeditur interiectis illis *paullum severae.*

Paullum severae Musa Tragoediae Desit theatris. Interpretantur: careant theatra tuis Tragoediis: hoc est, ni fallor: Cessa paullisper novas Tragoedias componere. Theatra illis aliquamdiu careant. Quasi vero Pollio stans in uno pede Tragoedias effunderet! Novimus, quantum temporis et laboris Romani uni tragoediae impenderent. Magis Latina est haec interpretatio. Musa tragica paullum cesset operam theatris dare, tragoediam aliquam elaborare, paullum in opere suo quiescat. Credo tamen auctorem hoc voluisse: Horatius dixerat Pollionem *incedere per ignes cineri doloso suppositos*, quia nondum tutum erat de bellis scribere, quibus multi etiam viventes, interfuerant. Atque illud *incedis per ignes*, nondum tutum est historiam talem scribere, minime *edere*, his versibus expressit: Desit paullum Musa historiae Tragicae theatris. Repetes grande munus, historiam absolves et in lucem edes mox, ubi cum Augusto, Maecenate et Agrippa res publicas ordinaveris, ut metus novorum bellorum fuerit sublatus. Satis bene historiam bellorum civilium appellavit *Musam Tragoediae.* Ita libri Herodotei nomine Musarum insigniuntur. Et bella civilia sunt res Tragica, et Pollio utebatur tumido scribendi genere, fere ut Plutarch. in Vita Demosth. cap. 21. de Theopompo dicit, ὡς γράφει καὶ τραγῳδεῖ Θεόπομπος. Qualem eloquentiam *cothurnatam* appellat Hieron. Epist. 26. A. Gell. N. Att. II. 23. verba *tragici tumoris.*

Ubi publicas Res ordinaris. Dicere debuerat *rem publicam.* Tum *ordinare* rem publicam tantum fuit eorum, qui ipsi summam potestatem habebant, non amicorum, quales Maecenas, Pollio et Agrippa Augusto aderant. Sueton. Caesar. 40. *Caesar conversus ad ordinandum rei publicae statum.* Flor. IV. 3. *Augustus sapientia sua atque solertia perculsum undique ac perturbatum ordinavit imperii corpus.* Id. IV. 7.

Insigne maestis praesidium reis,
Et consulenti, Pollio, curiae,
Cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures: iam litui strepunt:
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.
Audire magnos iam videor duces

Ordinata in triumviros republica. Et feruntur Orationes Sallustii ad Caesarem de *ordinanda republica:* v. Arntzen. ad Aurel. Vict. Viros Illustr. cap. 55. Interpretes *ordinare* h. l. explicant vel *conscribere*, vel *narrare quomodo res sint ordinatae.* Sed, ut dixi, ordinamus *rem* publicam, non *res* publicas. Scribimus *res Romanas*, res populi Romani, hoc est historiam scribimus, non scribimus *res publicas*, nisi opponantur rebus *privatis:* quae vox vel additur, vel ex sententia loci intelligitur.

Insigne maestis praesidium reis. Auson. Mosella vs. 400. *legumque catos, fandique potentes, Praesidium sublime reis.*

Dalmatico peperit triumpho. Nulla in MSS. esse videtur varietas. Nonnulli fortasse praeferent *Delmatico.* Velius Long. de Orthographia p. 102: *Placet etiam ut* Delmatiam *non* Dalmatiam *pronuntiemus, quoniam a* Delminio, *maxima civitate, tractum nomen existimetur.* Vid. Cort. et Lagum. ad Lucan. II. 402.

Iam fulgor armorum. Lactant. V. 6. *Quis non metueret eum, quem arma cingebant, quem ferri et gladiorum fulgor insuetus circumdabat.* Oudendorpius ad Frontin. Strateg. pag. 186. dicit, in optimo et antiquissimo MS. D' Orvill. esse *fulgur.* Quod praefert, etiam quia apud Homerum saepe invenitur χαλκοῦ στεροπή. Comm. Cruq. quoque habet *fulgur.* Si tamen Cruq. bene edidit.

Audire magnos iam videor duces. Variis modis haec accepta sunt. Bentleius et alii legunt *videro magnos iam videor duces;* laudante et confirmante Arntzenio ad Plinii Panegyr. 17. Ego Horatium dedisse puto: *Sudare magnos iam video duces.* Iam perstringis aures, litui strepunt, fulgur terret equos, video duces. *Video* in tali re iam ipsum me-

Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta,
Praeter atrocem animum Catonis.

lius est, quia rem praesentem magis ostendit, hic autem propter praecedentia, fere requiritur. Sic est etiam in tribus exemplis, quae laudat Bentleius, ut suum *videre videor* tueretur. Virgilii: *bella horrida cerno.* Petronii: *Cerno iam stratos Marte Philippos.* Claudiani: *Iam video Babylona rapi.* Adde Sil. Ital. I. 126. *Ideoque locus stagnantes sanguine cerno. Sudor* autem et *pulvis* fere semper in laude ducum iunguntur. Sallustius B. Iug. 85. *Sudorem et pulverem et alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis iucundiora sunt.* Plin. Panegyr. 13. *Cum in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium pulverem sudoremque misceres.* Idem IX. Ep. 2. *Cum arma vestra, cum castra, cum denique cornua, tubas, sudorem, pulverem, soles cogitamus.* Statius IX. Theb. 710. *Bellantem atque ipso sudore et pulvere gratum.* Qui locus e nostro ductus esse videtur. Ut Eumenii in Orat. pro instaur. Scholis 2. *Sudore et pulvere sordidus.* Sidon. Apollin. III. Epist. 4. *Alii osculis pulverem tuum rapiunt, alii sellarum equestrium madefacta sudoribus fulcra resupinant.* Interpretes ad scriptores laudatos plura dixerunt. *Sudor* etiam et *sudare* in eadem re ponuntur. Ipse Horat. I. Carm. 15. *Eheu! quantus equis, quantus adest viris Sudor.* v. Oudendorpius ad Iul. Caesar. B. Gall. VII. 8. Claudian. III. Cons. Honor. 146. *quem merui, te non sudante, triumphum.* Hoc est *sine tuo sudore.* Nam Burm. ad Anthol. Latin. T. I. p. 230. non recte h. l. explicat, quasi Claudianus dixisset *te sudante triumphum.*

Non indecoro pulvere sordidos. Xenoph. II. Cyrop. 4. ἱδρῶτι καὶ σπουδῇ κεκοσμημένος. Claudianus IV. Cons. Honor. 532. *pulcher sudore palaestrae.* Sidon. Apollin. VIII. Epist. 3. *Venerabili squalore pretiosum.*

Praeter atrocem animum Catonis. Atrox est *animosus*, animi impotens, iras occultare nescius: v. Ernest. ad Tacit. Annal. IV. 52.

Iuno et Deorum quisquis amicior. Nomen Catonis, qui se Uticae ipse interfecit, auctori huius glossae Africam in mentem vocavit. Glossa haec est: »Caesar omnes adversarios ubique subegit, praeter Catonem, qui noluit su-

Iuno, et Deorum quisquis amicior
Afris, inulta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Retulit inferias Iugurthae.
Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia proelia
Testatur, auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?
Qui gurges, aut quae flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniae

perstes esse cladi, qua exercitus Pompeianorum in Africa fere omnis fuit deletus." Talem glossam poëtico ornatu investivit, ut dixerit, Iunonem hos Romanos dedisse inferias Iugurthae. Ad hoc inveniendum non opus erat multo ingenio. Iunonem cognoscebat ex initio Virgilianae Aeneidos. *Cesserat tellure*, ex II. Aen. 351. *Excessere omnes adytis, arisque relictis Di, quibus imperium hoc steterat. Inferias* ex Lucano praecipue, quem Scholastici admirabantur. Lucan. IV. 788. *Excitet invisas dirae Carthaginis umbras Inferiis fortuna novis. Ferat ista cruentus Hannibal, et Poeni tam dira piacula manes.* Ubi legendum *Tyriae Carthaginis.* Nam statim *dira* repetitur. De inferiis istis multa annotavit Cortius ad Lucan. II. 175. quibus adde Iustinum XIII. 3. *Edituros egregium hostibus suis spectaculum, ut quorum armis victos doleant, eorum mutuis caedibus gaudeant, parentaturosque sanguine suo manibus hostium a se interfectorum.* Sed quanto melius Lucanus et alii inferias tulerunt *Poenis*, quorum urbs post tria gravissima bella funditus fuit deleta, quam *Iugurthae*, cui bonus poëta tantum honorem non tribueret? Videtur hic nomen *Iugurthae* tam metri caussa esse positum, quam *retulit* inferias, pro usitato *tulit* vel *misit*, vel *dedit.*

Quisquis amicior. Iones. Var. Lect. *quidquid amicus.* Forte auctor scripserat *quidquid amicius.* Ut Epod. V. 1. *Deorum quidquid in coelo regit.*

Inulta cesserat impotens. MS. Vossii *invita cesserit.* Gogav. Praeterm. p. 27. legebat: *inulta haud cesserat.*

Non decoloravere caedes?
Quae caret ora cruore nostro?
Sed ne, relictis, Musa procax, iocis,
Ceae retractes munera naeniae;
Mecum Dionaeo sub antro
Quaere modos leviore plectro.

Ceae retractes munera naeniae. Ego quid sit *retractare munera Ceae naeniae*, non intelligo. Heins. legit *funera*, Bentlei. explicat vulgatum: »Noli suscipere munus viribus tuis impar, quod graviori Musae magis convenit." Sed Horatius suscipiens munus Simonidis, illud *tractat*, non *retractat*, nisi iam antea tractaviset. Et quid sunt *munera naeniae*? Novimus munera Homeri, munera Simonidis. Homeri erant, canere heroicum carmen; Simonidis, naenias. Iam aliquis recte suscipit munera Homeri, non munera *carminis Homerici*. Quoniam igitur huic loco non conveniant haec *munera retractata*, legamus parva mutatione: *Ceâ retractes vulnera naeniâ. Vulnera* Chabot. in MSS. invenit. Sed non invenerit. Nam Bentleius dubitare videtur. Hae voces propter literarum similitudinem oenties a librariis fuerunt permutatae: v. Markland. ad Statii Silv. V. 3. 45. Conf. Ovid. III. Trist. XI. 19. *Et tamen est aliquis, qui vulnera cruda retractet.* Stat. V. Theb. 30. *immania vulnera Integrare iubes.* Ovid. XII. Metam. 542. *quid me meminisse malorum Coyis et obductos annis rescindere luctus.* Valer. Max. II. 8. bella civilia vocat *vulnera. Piget taedetque per vulnera reipublicae ulterius procedere.* Vid. Heins. ad Ovid. Trist. III. XI. 63. Graev. ad Ciceron. Epist. ad Attic. III. 15. et Ruhnken. ad Terent. pag. 260.

Leviore plectro. Emendandus in hac voce est Statius I. Silv. 4. 36. *Sperne coli tenuiore lyra. Tenuiore*; quod ad metrum attinet, vix explicari potest. Legamus *leviore lyra.* Nemesian. Cyneg. 63. *Mox vestros meliore lyra memorare triumphos Accingar.* Ubi vetus liber habet *maiore.* Quod Barth. recte praefert. Sidon. Apoll. Carm. XIV. 27. *Et Chiron cecinit minore plectro.*

CARMEN II.

Nullus argento color est, avaris
Abdito terris, inimice lamnae
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento Proculeius aevo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.

CARMEN II.

Abdito terris. Haec melius intelligimus, si sciamus Sallustium habuisse metallum. Plin. Nat. Hist. XXXIV. 2. *Aes proximum bonitate fuit Sallustianum, in Centronum Alpino tractu, non longi et ipsum aeri. Successitque ei Livianum in Gallia. Utrumque a metallorum dominis appellatum, illud ab amico Divi Augusti.* v. Lipsium ad Taciti I. Annal. 6.

Nisi temperato splendeat usu. Horatius Graecos imitatur. Sophoclis extat Fragm. LXXII. *Λάμπει γὰρ ἐν χρείσσων ὥσπερ εὐκρεπὴς χαλκός.* Ut supra dixit *nullus color est*, sic vetus poëta apud Plutarch. de vitioso Pudore Vol. III. pag. 148. *οὐκ ἔστ' ἐν ἄνδρος λευκὸς, ὦ ξέν', ἄργυρος.* Imitati deinde alii sunt Horatium. Statius Silv. II. 3. *Idem auri facilis contemtor et optimus idem Condere divitias, opibusque immittere lucem.* Ubi Hemsterh. volebat *promere divitias.* Quod ego melius arbitror, quam Gronovianum *comere.* Appulei. Florid. p. 351. *Gladius usu splendescit, situ rubiginat.* Boëth. Consol. II. 5. *Quid divitiarum potius, aurumne, an vis congestae pecuniae? Atqui haec effundendo magis quam coacervando melius nitent.* Hildebert. in Vita S. Hugonis Oper. pag. 915. *Argentum et aurum melius impensa quam servata rutilare praedicabat.* Sidon. Apollin. Epist. VIII. 7. *Qui sibi de molibus facultatum congregatarum, deque congestis iam nigrescentis argenti struibus blandiebatur.*

Proculeius. Vid. Ruhnken. ad Rutil. Lupum pag. 19.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas, et uterque Poenus
Serviat uni.

Libyam remotis Gadibus iungas. Libyas notatum inveni ex uno MS. veteri. Laudat haec Hildebertus in Philosophia Morali pag. 987. ubi editum est *gradibus ungas.*

Uterque Poenus Serviat uni. Quinam fuerint alteri Poeni praeter Karthaginienses, ignoro. Dicunt *populi sunt origine Poeni.* Sed nusquam legi, hos nominari *Poenos.* Praeterea Poeni Karthaginienses non amplius exstabant. De tali populo dici non potest: *si tibi serviat.* Dicendum erat: si tibi serviret populus, qualis olim fuit Poenus. Horatius in hoc carmine utitur exemplis praesentibus, Proculeii, et Phraatis, adeo ut credibile sit eum h. l. idem fecisse. In MSS. nulla est varietas, nisi quod in uno inveni *Penus. Poenus* etiam est apud Augustin. de Civ. Dei V. 13. ubi hos versus laudavit. Dudum mihi in mentem venerat: *et uterque Phoebus:* vel, *uterque pontus.* Postea vidi *uterque pontus* iam a Schradero fuisse occupatum. Ego hoc ita explicabam: Eris potentior, quam si tibi serviat, quidquid est Romanae ditionis. Nam immensum Romanorum imperium a poëtis indicatur per *utrumque mare*, hoc est regiones mundi, quae sunt in oriente et occidente: v. exempla apud Schraderum, et ex iis dele illud Ovidii Art. Am. I. 173. *Nempe ab utroque mari iuvenes venere.* Hoc enim alio spectat, quod etiam indicavit Burm. ad Virgil. VIII. 100. Ego praeterea annotaveram Senec. Here. Oet. 1698. *meas laudes canit Utrumque Phoebi litus.* et 621. *Cupit hic gazis implere famem. Nec tamen omnis plaga gemmiferi Sufficit Istri; Nec si totus serviat Hebrus.* Mamertin. Genethl. Maximi. 6. *Vobis Rhenus et Ister, et Nilus et cum gemino Tigris Euphrate, et uterque, qua solem accipit et reddit, Oceanus.* Neque alterum illud *uterque Phoebus* auctoritate aliorum scriptorum careret. Phoebus uterque illi servit, in cuius ditione sol oritur et occidit. Claudian. B. Gildon. 48. *Ad solem victrix utrumque cucurri.* Sil. Ital. I. 145. imperium Hispaniae vocat *opes solis occidui.* Sic autem plane Ovid. I. Metam. 338. *Litora voce replet, sub utroque iacentia Phoebo.* Idem Heroid. IX. 16. *Implesti meritis solis*

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi caussa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri solio Phraaten,
Dissidens plebi, numero beatorum

utramque domum. v. Burm. et interpretes ad Rutilii Iter II. 28.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops, Nec sitim pellit. Hydrops sibi indulget. Morbus semper studet crescere, et suas vires augere. Nunquam conatur se ipse pellere. Hoc faciunt natura, illa sui conservatrix, et medicamenta. Interpretantur *hydrops* pro *hydropico.* Hoc fieri non potest. Nam neque aegrotus hic recte diceretur *dirus*, neque *crescere.* Tamen et sic accepit Hildeb. Carmin. pag. 1330. *Plus acquirenti sitis incandet cupienti, Hydrops exhaustis ut magis ardet aquis. Illi potando, sitis huic ignescit habendo.* Vir doctus in Observ. Miscellan. Vol. VIII. pag. 195. Horatium explicat per notam figuram, qua verbum ponitur unum in duobus membris orationis, quod proprie ad unum accommodari possit: tum, per metonymiam, morbo tribui, quod homini conveniat. At quam faciliora et magis Latina haec sunt, si scribas: *Nec sitim pellas.* Forte ita vidit Comment. Cruq. »*Sicut sitis non tollitur, nisi aegritudine fugata.*" *Pellas*, ut supra: *Latium regnes.* I. Carm. 1. *Nunquam demoveas.* Comparationem avaritiae et hydropis multi exemplis illustraverunt. Locum elegantem Polybii XIII. 1. iam indicaverat Nodellus in Notis Crit. cap. 4. Stobaeus in Serm. X. T. 46. retulit simile dictum Diogenis. Multa apud eundem Serm. XCV. T. 31. in hanc rem disputat Teles. Qui liber indigentia seu ipse fieri, seu alterum facere cupiat, is ne quaerat thesauros. Sin, δμοιόν, φησιν ὁ Βίων, ὡς εἴ τις τὸν ὑδρωπικὸν βουλόμενος παῦσαι τοῦ δίψους, τὸν μὲν ὕδρωπα μὴ θεραπεύοι, κρήνας δὲ καὶ ποταμοὺς αὐτῷ παρασκευάζοι. κείμενός τε γὰρ ἂν πρότερον πίνων διαῤῥαγείη, ἢ παύσοιτο τοῦ δίψους. Ubi κείμενος non mutem in ἐκεῖνος si legas ὁ πίνων. Nam ad rem dictum est, ut Phaedrus I. Fab. 25. *rupto iacuit corpore.*

Phraaten. Usitata optimis scriptoribus terminatio, non *Phraatem:* v. Cort. ad Lucan. II. 637.

Dissidens plebi, numero be-

Eximit Virtus, populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus; regnum et diadema tutum
Deferens uni, propriamque laurum,

atorum. *Plebi* tuetur Burm. ad Vellei. Paterc. II. 80. Alii *plebis*. Pro *beatorum* nonnulli e MSS. *beatum*. Quid, si legamus *beato*? Ovid. III. Am. 9. *Auxisti numeros, culte Tibulle, pios*. Cicero pro Archia 12. *Hunc ad tuum numerum adscribito*.

Populumque falsis Dedocet uti Vocibus. Hildeb. Mor. Philos. pag. 975. *Qui autem errore imperitae multitudinis pendet, in magnis viris non est habendus*. Ibi male in margine coniicitur *ex ore*. Nam ut totus iste Hildeberti libellus fere conflatus est ex dictis philosophorum, poëtarum, historicorum, ita hoc desumtum est ex Cicerone I. Offic. 19. *Etenim qui ex errore* sq.

Quisquis ingentes oculo irretorto Spectat acervos. Ioseph. Scaliger Epist. 195. nihil certius esse putat, quam Horatium graeca expressisse, quando invidorum et cupidorum oculi dicuntur *διαστρέφεσθαι* et *σκαμβοῦσθαι*. Ego, cum aliis, hoc puto simplicius: Homo non cupidus, praeterit thesauros, eos spectat, sed oculos non retorquet, ut facere solent, qui aliquid mirantur et taciti optant. Boeotus quidam, de quo Phavorinus apud Stobaeum Serm. CXV. *ἐντυχὼν θησαυρῷ, ἐπάρας τὸ σκέλος, ὀπεματάϊσε, καὶ παρῆλθεν, ὡς οὐκέτι οὐδὲν ὄντα πρὸς αὐτόν*. Epictet. in Enchir. cap. 12. *Ἐαν ὁ κυβερνήτης καλέσῃ, τρέχε ἐπὶ τὸ πλοῖον, ἀφεὶς ἐκεῖνα πάντα, μηδὲν ἐπιστρεφόμενος*. Persius Sat. V. 111. *Inque luto fixum possis transscendere nummum. Ingentes acervi*, non addito *auri argentive*, cuius mentio longius hinc est remota, mihi non placent. Alia ratio est I. Sat. 1. 44. *quid habet pulchri constructus acervus*. Nam brevi ante legitur: *immensum argenti pondus et auri*. Virgil. I. Georg. 158. *Heu, magnum alterius frustra spectabis acervum*. Praecedit *frumentis labor additus*, et oratio in eodem argumento continuatur. Quod in Horatio secus est. Itaque Virgil. I. Georg. 185. *ingentem farris acervum*. Cicero II. Philip. 38. *Tanti acervi nummorum construuntur, ut iam appendantur, non numerentur pecuniae*. Cinna in Propemptico Pollionis apud Charisium pag. 99. *Nec tam donorum ingentes mirabere acervos, In-*

Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

numerabilibus congestis undique saeclis. Ubi vir doctus legit *congestos* in annott. MSS. Neque recte in una sede ponuntur *diadema* et *laurus*, et *regnum* et *diadema* idem sunt. Ego magis agnoscerem elegantiam Horatianam, si legeretur: *regnum proprium atque tutum Deferens uni, diadema et auri Quisquis ingentes oculo irretorto Spectat acervos.* Hoc est Paradoxum concinnum. Regnum habet, qui regnum et aurum contemnit. De diademate vide dictum Antigoni apud Stobaeum. Hic quum ipsum anus quaedam felicem praedicabat: *Εἰ ᾔδεις, ἔφη, ὦ μῆτερ, ὅσων κακῶν μεστόν ἐστι τουτὶ τὸ ῥάκος, δείξας τὸ διάδημα, οὐκ ἂν ἐπὶ κοπρίας κείμενον αὐτὸ ἐρράστασας.*

CARMEN III.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus ac bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli,
Seu maestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni.
Qua pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant

CARMEN III.

Servare mentem, non secus ac bonis. Dellius tacito moerore vexabatur, moestus vivebat. Eum Horatius hortatur, ut tristitiam abiiciat, dicens: »Quum omnia tibi ex voto fluebant, habebas mentem ab insolenti laetitia temperatam. Nunc in rebus minus iucundis et arduis, non minus ostende aequam mentem, nec plus dolori indulge, quam decet et operae pretium est. Quam enim utilitatem habet illa dolendi cupiditas? Mortem non ita redimas. Aderit illa aliquando, sive moestus semper, sive laetus vixeris. Vive igitur laetus et fruere bonis tuis." Haec mihi huius carminis esse videtur sententia. Distinctionem verborum hanc facio: *Aequam memento rebus in arduis Servare mentem non secus, ac bonis* sq. In vulgatis minor est praecepti humanitas, nec tam bene cum reliquis convenit. Nam res Dellii erant arduae. Dellium igitur non tam monet ut mentem aequam servet a laetitia insolenti temperatam, quam a nimio dolore. Recepi cum Bentleio e MSS. Lambini *ac* pro *in bonis*. *Ac* habet etiam Hildeb. Mor. Philos. p. 979. Ruhnkenius ad Vellei. Paterc. II. 84. appellat Horatium Dellii nebulonis adulatorem. Nebulo erat Dellius, tam varius in mutandis rei publicae partibus, ut nihil supra. Adulationes vidi quidem maiores.

Albaque populus. Alii *altaque*. Aptius hic est epitheton *alba*, ad indicandam arboris pulchritudinem.

Ramis, et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo:
Huc vina, et unguenta, et nimium breves
Flores amoenae ferre iube rosae,
Dum res et aetas, et sororum
Fila trium patiuntur atra.

Altitudo ipsa intelligitur ex eo quod umbram sociat cum *ingenti pinu*. De colore populi nonnulla dixit Burm. ad Ovid. Heroid. IX. 64. In Philoxeno, qui multa vocabula ex Horatio interpretatus est, etiam legitur: *Populus alba*. *Λεύκη*. *τὸ δένδρον*.

Ramis, et obliquo laborat. MSS. *ramis quid et*, *ramis quoque*. Et hoc in Vinar. invenit Cort. ad Lucan. V. 801. Ut alios MSS. errores taceam, Bentleius legit *Ramosque*, *et obliquo*. Mihi magis placet *ramis*, *et obliquo*. *Qua* sive *que* profectum est e glossa. Post *et* h. l. grammatici addebant *qua*, ex superiore *qua pinus ingens*, repetentes.

Lympha fugax. Prudentius Cathem. V. 116. *Fundit fonticulis uda fugacibus*.

Dum res et aetas, et sororum Fila trium patiuntur atra. Parcae habent *atra* fila, habent *candida*. Cui nent atra, is infelix est, cui candida, felix. Ovid. IV. Trist. I. 64. *Hic quoque concecco natalis stamina nostri*, *mina de nigro vellere facta mihi*. Stat. III. Theb. 240. *nigraeque sororum Iuravere colus*. Igitur Horatius dixisset: Indulge hilaritati, dum occasio, florens aetas, et miseriae, in quibus vivis, tibi permittunt. Nonnulli hoc ita evitari posse arbitrantur, ut *atra* accipiatur tamquam perpetuum et commune rerum infernarum epitheton; et sic vir doctus in Observat. Miscellan. Vol. VIII. p. 195. Audirem, si *Parcae* vel *Sorores* appellarentur *nigrae*: quamquam vel sic esset ambiguum. Nam et tum pro *infelicibus* plerumque sumuntur, ut Stat. VI. Theb. 376. *Sic Iovis imperia, et nigrae voluere sorores*. Praeterea *fatum* et *Parcae* homini vitam et facultatem vitae hilariter transigendae relinquentes, ut relinquebant Dellio, non possunt dici *atrae* neque *tristes*. Quale epitheton nunquam in tali formula additum legi. Virgil. IV. Aen. 651. *Dum fata Deusque sinebant*. XII. 147. *Qua visa est fortuna pati, Parcaeque sinebant*. Tibull. I. 1. *Interea, dum fata sinunt, iun-*

Cedes coëmptis saltibus et domo,
Villaque, flavus quam Tiberis lavit,
Cedes, et exstructis in altum
Divitiis potietur haeres.
Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, et infima
De gente, sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.

gemus amores. Val. Flacc. III. 184. *Si fata sinent, si prosperа Iuno.* Seneca Herc. Fur. 176. *Dum fata sinunt, vivite laeti.* Schraderus suo exemplo annotaverat, sibi legendum videri *fila trium patiuntur alba.* Equidem Horatii esse arbitror: *Fila trium patiuntur arta.* Dum brevia Parcarum fila sinunt. Brevitas vitae imprimis hilaritatem commendat. Tali adhortatione plena sunt poëtarum et ipsius Horatii scripta. *Fila arta, brevia, longa*, dicuntur. Ovid. V. Trist. 10. 45. *O duram Lachesin, quae, tam grave sidus habenti, Fila dedit vitae non breviora meae.* Iuvenal. Sat. X. 251. *quantum de legibus ipse queratur Fatorum, et nimio de stamine.* Ausonius locum Horatii Graece expressit in Epist. XIII. 44. *Dum res et aetas et sororum Νήματα πορφύρεα πλέκοντας.* Legit et ille *atra.* Nam hoc est πορφύρεα.

Divesne prisco natus ab Inacho. Non omnes nobiles sunt divites, neque omnes pauperes ex infima gente. Malim: *Divesne prisco et natus ab Inacho.* Ita haec melius opponuntur sequentibus *pauper et infima de gente.* Sic etiam videtur legisse Comm. Cruq. »*Nil interesse post mortem, utrum dives fueris, an pauper ex humili genere.*" Idem coniecit Cuningh. et probavit Sanadonus.

Sub divo moreris. Perverse in Philos. Moral. Hildeberti p. 988. *morieris.* Totum ego locum sic legere et distinguere mallem: *Divesne prisco et natus ab Inacho, Nil interest, an pauper et infima De gente: Sub Divo moraris Victima nil miserantis Orci.* Pulchre *moraris*, quia, ut Cicero dicit, *Natura hic nobis locum dedit morandi, non habitandi.* Et *morari* pro *vivere* usitatum. Ovid. X. Metam. 32.

Omnes eodem cogimur: omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura, et nos in aeternum
Exilium impositura cymbae.

Omnia debemur vobis: paulumque morati, Serius aut citius sedem properamus ad unam. Unde scelestus Neronis iocus de morte Claudii, *morari eum inter homines desiisse*, producta prima syllaba. Vid. Suetonius Nerone 25. Munckerus ad Hyginum Fabula 52. et Cort. ad Plin. VI. Epist. 18.

Versatur urna serius ocius Sors exitura. Sors versatur in urna. Docuit etiam Gronovius ad Senecae Herc. Fur. 191. Idque iam fecerant Douza Comm. cap. 6. et Rutgers. Lect. Venus. 5. Ambrosius Oper. T. I. p. 595. *Sortem dicitis, quod debetur. Etenim velut urna ferali sors volvitur, perituri debitoris luenda supplicio.* Ammian. Marcellin. XIV. pag. 33. *Haec, ut regina caussarum, et arbitra rerum, haec disceptatrix urnam sortium temperat.* Schol. Statii Theb. VII. 6. »Plato inducit scelera hominum in *urna* versari: et *urna* dicitur, in qua mortuorum hominum ossa conduntur." Quem locum ita facile emendabis: *Horatius dicit, sortem hominum in urna versari.*

CARMEN IV.

Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu! Prius insolentem
Serva Briseïs niveo colore
Movit Achillem.
Movit Aiacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmessae:
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta;
Barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo victore, et ademptus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.

CARMEN IV.

Barbarae postquam cecidere turmae. Non est, quod te, o Xanthia Phoceu, amoris tui pudeat. Ita amarunt antiqui heroës, et ipse Agamemnon in medio triumpho. Illud *in medio triumpho* sufficit. Nihil attinet caussas illius triumphi commemorare. Hoc et ab argumento, et tam brevi atque concinno carmine alienum est. Hoc additamentum plane olet glossam. *In medio triumpho:* »postquam, mortuo Hectore, Graecis facile fuit Troiam capere.'' Diceres Troiam statim post mortem Hectoris fuisse captam, et Agamemnonem statim amasse Cassandram. Quod non ita accidit. Nam aliquoties etiam pugnandum erat, antequam Graeci urbem dolo expugnaverant. Turmae *cecidere*, pro *gravissima clade affectae sunt*, non dicitur. Qui in proelio *cadunt*, hi mortui sunt. *Thessalus victor*, ambiguum est. Iam Scholiastae dubitant, *Achilles* an *Pyrrhus* intelligendus sit. Quomodo *mortuus tradit* urbem inimicis tolli leviorem? Ferrem *praebuit, reliquit*, vel simile. Melius etiam *faciliorem* quam *leviorem* praebet. Lucanus II. 656. *Roma capi facilis.* v. Cort. Dresemius ad Ioseph. Iscan. V. 529.

Nescias, an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes:
Regium certe genus, et Penates
Maeret iniquos.
Crede non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam; neque sic fidelem,
Sic lucro aversam potuisse nasci
Matre pudenda.
Brachia et vultum teretesque suras
Integer laudo: fuge suspicari,
Cuius octavum trepidavit aetas
Claudere lustrum.

tutore peremto, *Facturae Phrygiam licito maiore ruinam:* credit ea ad imitationem Horatii esse scripta. Sed primum ipse multis exemplis ostendit, communem esse hanc omnium poëtarum sententiam, Hectorem solum fuisse belli moram. Deinde nulla inter Horatiana et Iscani versum est similitudo, nisi quod hic legatur *Hector ademtus*, illic *tutor peremtus*. Et corruptela Horatii antecessit Iscanum.

Penates moeret iniquos. Apollonius Rhodius IV. 35. *βλεφάρων δὲ κατ' ἀθρόα δάκρυα χεῦεν. Οἴη δ' ἀφνειοῖο διειλυσθεῖσα δόμοιο Αἰήτας, ἥν τε νέον πάτρης ἀπενόσφισεν αἶσα.* Plautus Truculento II. VI. 49. *Adduxi ancillas tibi eccas ex Syria duas: Iis te dono. Adduce hoc tu istas. Sed istae reginae domi suae fuere ambae: verum patriam ego excidi manu.*

CARMEN V.

Nondum subacta ferre iugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Aequare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tuae
Campos iuvencae, nunc fluviis gravem
Solantis aestum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Praegestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvae: iam tibi lividos
Distinguet autumnus racemos
Purpureo varius colore.

CARMEN V.

Nondum subacta ferre iugum valet Cervice. Usus poëtarum et consuetudo Horatii postulant, ut haec ita accipiamus: Nondum valet cervice, subactâ ferre iugum. Nondum habet robustam cervicem, quae subigi potuit, ut iugum ferret. Et *valet* tam refertur ad *cervice*, quam ad *aequare*. Eadem comparatione utuntur Graeci, inter alios Menander apud Aelian. de N. Anim. XII. 10. ὡς δάμαλις, ὡς παρθένος, ὡς πῶλος ἀδμής.

Circa virentes est animus tuae Campos iuvencae. Hoc Graecum et antiquum est. Cratinus ed. Runkel. p. 50. πρὸς ἑτέραν γυναῖκ' ἔχων τὸν νοῦν. Aristoph. Pace: Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἦν τότ' ἐν τοῖς σκύτεσιν.. Equitibus: Τῷ χεῖρ' ἐν Αἰτωλοῖς, ὁ δὲ νοῦς ἐν Κλωπιδῶν. Plaut. Pseud. I. 1. *Nam istic meus animus nunc est, non in pectore.* Quintil. I. 3. *Erectae circa studia mentis fore.* Sulpit. Sever. de Vita S. Martini cap. 1. *Animus aut circa monasteria aut circa ecclesiam semper intentus.*

Distinguet autumnus racemos Purpureo varius colore. Bentleius de coniectura *varios*. Ita iam in quibusdam MSS. legebatur,

Iam te sequetur: currit enim ferox
Aetas, et illi, quos tibi dempserit,
Apponet annos: iam proterva
Fronte petet Lalage maritum;

quod ille nesciebat. Alii varians. Alii alio modo vulgata explicant, quae stare non posse indico. Uva, dicit, etiam nunc immatura est. Brevi autumnus eam colore distinguet. Hoc est, brevi color uvae, qui nunc est viridis, aliquid de purpureo trahet, nondum tamen erit matura. Hoc clare apparet ex Ovid. III. Metam. 483. *Non aliter quam poma solent, quae candida parte, Parte rubent; aut ut variis solet uva racemis Ducere purpureum nondum matura colorem.* In Horatio aliquid requiritur, quod magis contrarium est *uvae immiti*, et hoc erit, ni fallor, *distendet. Iam tibi lividos Distendet autumnus racemos Purpureo varians colore.* Autumnus, qui sensim uvas variavit, eas distendet, et maturas faciet. Uva *distenta*, ut Horat. Epod. 2. *distenta siccet ubera.* Aristoph. Pace: τόν τε φήλητ' ὁρῶν οἰδαίνοντα. Ovidius IV. Trist. 6. *Tempus ut extentis tumeat facit uva racemis.* XV. Metam. 77. *tumidaeque in vitibus uvae.* Vid. Heinsius ad XIV. Metam. 661. Gunther Ligur. X.

1. *dum plena turgeat urna ua, et arboreis redeant* *sua numera ramis.* Ubi legendum: *dum plena turgeat uva Bacchus.*

Currit enim ferox Aetas, et illi, quos tibi demserit, Apponet annos. In uno MS. Leid. *curet*, addito supra *r*. In eodem MS. in margine notatum *feras.* Quod nonnihil iuvat Wakefieldi *fugax.* In caeteris locus est difficillimus. Scholiastae *annos* interpretantur vires, aetatis florem, vigorem et voluptatem. Et tale aliquid requiritur. Nam si *annos* proprie accipias, significat: Aetas tibi de maiore annorum tuorum copia nonnullos adimet, eosque annis Lalages adiiciet. Hoc est te faciet iuniorem, illam aetate provectiorem. Ut v. c. Liv. III. 32. *Demtum de vi magistratus, populi libertati adiiceret.* Talis interpretatio quam inepta sit, nemo non videt. Significare quoque poterit: Aetas faciet tuam vitam breviorem, Lalages longiorem. Sic interdum optabant, ut de suis annis dare alteri possent, quem praecipue amabant. Quale est illud Propertii IV. 11. 95. *Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.* Ambrosius Tom. II. p. 1186. *Nec ego abnuo imma-*

Dilecta, quantum non Pholoë fugax,
Non Chloris, albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiusque Gyges;

ture obisse aetate, quem nostrae vitae temporibus fulcire cuperemus, ut de nostris annis viveret, qui fungi non potuit suis. Atque eo sensu rectum est *apponere annos*, ut Aristoph. Avibus: ἀλλὰ τριακόσιν' αὐτοῖς Ἔτι προσθήσουσ' ὄρνιθες ἔτη. Sed etiam illud a mente poëtae alienum est. Vide Bentleium. Superest et alia ratio, ut anni sine amore praetereuntes, *demti* dicantur, hoc est *perditi*, ut Titus in re meliore dicebat: *Diem perdidi.* Sunt in hoc loco praeter has aliae difficultates, quas enumerare longum est. Bentleius ingeniose, ut solet, coniicit: *et illi, quod tibi demserit, Apponet annus.* Vel: *et illi, quot tibi demserit, Apponet annos.* Hoc est: Quantum tu consenesces, tantum illa adolescet. Illud tamen postremum non puto verum, quia Lalage in eo erat, ut maturesceret. Et in priore coniectura *annus* omnino accipiendus erat de *uno anno.* Ibi in mentem venit: *et illi, quod tibi demseris, Apponet annus.* Lalage nondum matura est. Tolle cupidinem uvae immitis. Nega tibi nunc et deme fructum; annus, breve tempus, duplici suavitate tibi rependet, quod nunc cupis. Differ cupidinem tuam. Tempus Lalagae maturae et suam dabit cupidinem, et tuam, qua nunc ardes, apponet. Duplici Lalage flagrabit, et te ipsa petet. Ab hac ratione non multum abit Comm. Cruq.: *quantum tibi iam urgentibus* (leg. *vergentibus*) *annis voluptatis ademerit, tantum matura voluptatis reponet.*

Renidet. In MSS. D'Orvill. *renitet.* Vid. Oudendorpius ad Appulei Metam. pag. 108. Vox nihili, et metro repugnans.

Quem si puellarum insereres choro. Hi versus ad argumentum plane non faciunt. Lalage esse debet initium et finis. Nunc per ineptum Gygae praeconium, Lalages obliviscimur. *Crines soluti et ambiguus vultus*, non soli decipiunt hospites. Accedere oportet vestitum. Iam sive dicas *mire sagaces* sive *mire falleret*, utrumque hic est insipidum, et versui supplendo adiectum. Et quare hospites *sagaces*? *Sagax* fallitur, qui fraudem suspicatur et cavere studet. Igitur hospites prius *admoniti* sunt, iuvenem in choro puellarum latere; quod tam

Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus ambiguoque vultu.

additum oportuisset, quam alterum illud de *vestitu*. Libuit, credo, alicui non indocto Grammatico pulchritudinem Gygae amplius declarare, ita ut eum, hic simul cum Lalage, Pholoë et Chloride laudatum, ostenderet revera puellam videri posse. Locus P. Statii I. Achill. 332. eum adiuvit: *fallitque tuentes Ambiguus, tenuique latens discrimine sexus.* Locum iam comparavit Markland. ad Statii Silv. II. 6. 39. Idem Stat. V. Theb. 437. *Ambiguo visus errore lacessunt Oebalidae gemini.* Columella de Re Rust. I. Praefat. p. 389. *Attonitique miramur gestus effeminatorum, quod a natura sexum viris denegatum muliebri motu mentiantur, decipiantque oculos spectantium.* Eleganter in similitudine vultus Virgil. X. Aen. 390: gemini erant simillima proles: *Indiscreta suis, gratusque parentibus error.* Unde explicandus Ambrosius T. II. pag. 1124. qui et fratrem habebat fratri simillimum: *Quam gratus error.* Vid. interpr. ad Val. Flacc. I. Argon. 368. Caeterum Scholiasta Iuvenalis usus est verbis poëtae nostri ad explicanda Sat. XV. 137. *cuius manantia fletu Ora puellares faciunt incerta capilli:* dicens »*ut sagaces falleret hospites discrimen obscurum.*" Ubi Cramerus annotavit: »Sed magis obscurum quid hic velit glossographus. An *iudices* loco *hospites* scripsit? Sed nec sic clara est." Et vero obscura sunt verba Scholiastae, nisi sciamus, unde sumta sint.

CARMEN VI.

Septimi, Gades aditure mecum, et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra, et
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Aestuat unda:

CARMEN VI.

Non est consilii mei disputare de tempore, quo Horatius singula carmina composuerit. Interdum tamen accidit, ut hoc non facere non possim, si Horatium inde melius intelligi arbitrer. Refero hoc carmen ad finem anni XLI. vel initium XL. ante Chr. Fuerit adeo unum e primis, quae scripsit. Nondum habebat praedium in Sabinis sive agro Tiburtino (nam illud praedium erat in confiniis utriusque agri) quod a. XXXVIII. a Maecenate accepit, cui a. XXXIX. commendatus, et in amicitiam receptus erat. Itaque et Maecenas voto, hic significato, tum satisfecit. Horatius aliquamdiu post pugnam Philippensem, ut etiam Septimius, Romam rediit. Septimius fideli amicitia et amore Musarum Horatio coniunctissimus, Horatium videtur consuluisse de loco, ubi inposterum essent habitaturi: se habitaturum, ubi Horatius vellet, neque ab eo discessurum. Haec ratio optime convenit cum argumento carminis, et difficultates recidit, quae in Chronologia interpretum inveniuntur.

Septimi Gades aditure mecum. Bene Comm. »*Dicit Septimium sibi tanta gratiae necessitudine adstrictum, ut, si velit, vel ad ultimas mundi partes proficisci possit.*" Illud *possit* non vulgatum est. Propert. I. 6. 3. *Tecum Riphaeos possim conscendere montes.* Quod non bene sollicitat Burmannus. Hic similia poëtarum loca de simili magnae amicitiae documento comparavit. Addam tantum Theocriti Fragmentum: *Νῦν μὲν δὴ κἠπὶ τὰ χρύσεα μᾶλ' ἔνεκεν σέθεν Βαίη, καὶ φύλακον νεκύων πέδα Κέρβερον.*

Cantabrum indoctum iuga ferre nostra. Interpretantur: »Cantabri victi quidem, sed non in fide permanentes." Ita nimirum eos interpretari coegit sua ratio Chronologica, referentes hoc carmen ad annum fere XX. Sed Augustus iam a. XXV Cantabros

Tibur, Argeo positum colono,
Sit meae sedes utinam senectae;
Sit modus lasso maris et viarum,
Militiaeque.

vicit, cui non gratum esset, Cantabros hic appellari *invictos*. Nam hoc est *indoctos iugum ferre*. *Indoctus est*, adhuc *docendus*. Augustus autem iam docuerat. Quidquid rebellarent, iam aliquando didicerant. Florus II. 17. *Ferocissimas et ad id tempus liberas gentes servire docuerunt*. Val. Max. IV. 1. *Marcellus, qui primus et Hannibalem vinci, et Syracusas capi posse docuit*. Seneca Herc. Oet. 260. *Serpens ignara vinci*. v. Arntzen. ad Aurelium Victorem de Viris Illustribus cap. 45. Sic Graeci ἀδίδακτος. Quam v. c. Horatius alicubi appellat *nuptiarum expertem*, hanc illi γάμων ἀδίδακτον: v. Schrad. ad Musaeum pag. 142.

Sit modus lasso. Haec etiam refutant aliorum Chronologiam. Nam dici non potuerunt ab eo, qui iam novem fere annos in otio et quiete vixisset. Verba sunt hominis haud ita diu in patriam reducis. Neque Horatius, haec scribens, habebat praedium in agro Tiburtino. Loquitur de Tibure, tamquam peregrino loco, quem reliquae vitae sedem habere cupit. Deinde agrum Tarentinum ita laudat, ut haud in magno discrimine ponere videatur, ubi esset habitaturus. Dicit ergo: Utinam possem Tibure a laboribus et nunc requiescere, et senectutem quoque degere! Sed quid de illis faciamus: *Tibur sit modus lasso maris et viarum*? Non dico de ambiguitate, utrumne *modus viarum*, an *lasso viarum* sint iungenda. *Lasso viarum*, favet usus Horatii, poëtarum, et fortasse locus Taciti II. Annal. 14. *Si taedio viarum ac maris finem cupiant*. Ovid. V. Trist. 4. *Lassaque facta mari, lassaque facta via*. Illud rogo, qui tandem Tibur dicatur *modus* Horatio laboribus fesso? Nulla profecto ratione nisi hac: Fessus sum laboribus, quos tuli, et etiam nunc fero. Nondum eorum inveni finem. Utinam postremos inveniam Tibure, Tibur sit finis et modus. Sic Horat. I. Serm. V. 204. *Brundusium longae finis chartaeque viaeque*. Via non prius finita est, quam Brundusium pervenit. Hoc de Tibure non valet. Horatius quippe post Philippos in Italiam redux, et Augusto conciliatus, statim habuit *finem* et *modum* laborum et militiae. Sed iis laboribus fessus, Tibure in otio

Unde si Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus Galaesi
Flumen et regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro.

vivere optabat, et mori. Ego omnino legendum puto: *Sit domus lasso maris et viarum.* Facillima emendatio, literis transpositis. Scholia, quae hodie exstant, sunt reliquiae variorum veterum commentariorum, quos alii subinde atque alii excerpserunt, et mutilarunt. Non temere accidit, quod in Comm. Cruq. remansit: *ut in eadem domo et senectam ageret, et vitam finiret.* Et Horatius deinde Tibur *otium suum* dicebat, quod narravit idem Comm. Cruq. ad IV. Carm. 3. Bene autem et poëtice Tibur appellatur *domus.* Apposita sunt Plauti Mercat. III. 4. *Quis modus tibi exsilio tandem? eveniet qui finis fugae? Quae patria aut domus tibi stabilis esse poterit, dic mihi.* Virg. III. Aen. 85. *Da propriam, Thymbraee, domum.* V. 638. *Hic quaerite Troiam. Hic domus est.* V. 122. *Hic domus, haec patria est.* Ovid. I. Trist. 5. 67. *Nec mihi Dulichium domus est, Ithaceve Sameve.* I. Metam. 514. *Haec domus, haec sedes, haec sunt penetralia magni Amnis.* III. 637. *Illa* (Naxos) *mihi domus est.* Val. Flacc. IV. 26. *Hoc nemus, haec fatis mihi iam domus.* Stat. XII. Theb. 549. *domus Argos erat.* Auson. Claris Urb. 14. *nec enim mihi barbara Rheni Ora, nec Arctoo domus est glacialis in Haemo.* Quod de facilitate emendationis per transpositas literas dicebam, libet mihi hoc uno e multis exemplo confirmare. Ambrosius Oper. T. II. pag. 896. *Mutavit ergo vocabulum. Sed perfidiam non mutavit. Exuit lupum. Sed induit lupum.* Quis hoc intelligit? Lege: *Exuit pilum, sed induit lupum.* Respicit, credo, proverbium: ὁ λύκος τὴν τρίχα, οὐ τὴν γνώμην ἀλλάττει.

Unde si Parcae prohibent iniquae. Si Horatius iam haberet praedium Tiburtinum, Parcae eum inde eiicere poterant, sed ita *pro-*

Ver ubi longum tepidasque praebet
Iupiter brumas: et amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus et beatae
Postulant arces: ibi tu calentem
Debita sparges lacryma favillam
Vatis amici.

hibere, ut hic legitur, non poterant. Et semel in amicitiam Augusti et Maecenatis receptus, Parcas nunquam habuit iniquas.

Amicus Aulon Fertili Baccho minimum Falernis Invidet uvis. Nihil pulchrius vidi, quam Heinsianum *amictus*. Ipse multa contulit exempla ad Ovid. I. Fast. 153. *Et modo formatis amicitur vitibus arbos.* Ubi tamen de Horatio emendando nondum cogitavit. Virgilius II. Georg. 38. *Olea magnum vestire Taburnum.* Claudian. Fescen. 52. *Subitisque se rosetis Vestiat Alpinus apex.* Vide interpretes ad Claudianum Rapt. Proserp. 188. Florum I. 16. et Arntzen. ad Plinii Panegyr. 30. Aulon amictus fertili *Baccho*, pro *vitibus*, quae fertiles sunt. Bentleius legit: *apricus Aulon*, *Fertilis Baccho.* Quod qui propter duo epitheta *apricus fertilis* reiiciunt, hi non cogitant hoc a poëtis satis usitatum esse, quod saepe eorum interpretes docuerunt. Eleganter porro *non invidet uvis.* Stat. VII. Theb. 274. *novis Haliarthos aristis Invidet.* Val. Flacc. II. Argon. 608. *nec Inoïs noster sinus invidet undis.* Vide Burmannum.

Debita sparges lacryma favillam Vatis amici. Heinsius *spargas.* In margine MS. Voss. annotatum est: »legitur et *Orati vatis.*" Hoc est *vatis Horati.* Idem Porphyrio. Ex hac lectione emendandum puto Serenum Sammonicum de Medicina 533. *Quodque satis melius verbis dicemus Horati.* Legerim: *Quod vatis melius verbis dicemus Horati.*

CARMEN VII.

O saepe mecum tempus in ultimum
Deducte, Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis, Italoque caelo,
Pompei, meorum prime sodalium?
Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula;

CARMEN VII.

Quis te redonavit Quiritem. ...m. Cruquianus: »*Notandum* ...iritem *singulariter positum*, ...n *pluraliter tantum veteribus* ...usurpatum Quirites, *teste Do*...*to*, *sicut* manes." Schol. ad ...a. Sat. V. 75. »Quiritem *sin*...*gulariter abusive dixit licentia* ...*tica*. *Nam sicut* pater con...*ptus non dicitur*, *ita nec* Qui...*m dicere possumus*." Diome... pag. 315. »*Sed Flaccus in* ...*yra* Quiritem *dicit*." *Quiri*...*m* tamen ex h. l. citat Cledon. ... 1898. Facit autem non tam ...ntium Grammaticorum, qui hu... loci meminissent, si *Quiritem* ...issent, quam elegantior sententia versus, ut in Horatio legendum putem *Quiritum*. Nam non video, quae vis sit in voce *Quiritem*. Satis erat *quis te redonavit*. Et *Quiris* saepe est unus e plebe. Vide Oudendorpium ad Sueton. August. cap. 2. Gravius sonat *Dis patriis Quiritum*. Virgil. VIII. Aen. 715. *Dis Italis votum immortale ferebant*. Forte etiam ex antiquiore formula, ut *respublica*, *populus Romanus Quiritum*. Comparetur hic Sallust. Fragm. p. 501. *Vos*, *Quirites*, *rursus mihi patriam*, *Deos penates*, *cum ingenti dignitate dedistis*.

Sensi, *relicta non bene parmula*. Schraderus *reiecta*. Sed parmula *reiecta* aliud Latine si-

Quum fracta virtus, et minaces
Turpe solum tetigere mento.

gnificat, quam *relicta* et *abiecta*. Parmas nempe post tergum *reiiciunt* fugientes quidem, sed se defendentes, et arma servantes. Homerus Iliad. *Λ*. 544. *Στῆ δὲ ταφὼν, ὄπιθεν δὲ βάλεν σάκος*. Vid. Larcher. ad Xenoph. Anab. V. § 10. Virgil. XI. Aen. 618. *Extemplo turbatae acies, versique Latini Reiiciunt parmas*: vid. Servius. Hinc Cicero II. de Oratore, 72. *Confiteorque me, si qua premat res vehementius, ita cedere solere, ut non modo non abiecto, sed ne reiecto quidem scuto fugere videar, sed adhibere quandam in dicendo speciem atque pompam, et pugnae similem fugam.* Atque huic verbo *reiicere*, opponitur *proiicere*: v. Cuper. Observ. pag. 89. In pugna Philippensi clypeos non reiiciebant, sed abiiciebant fugientes, et Archilochus, ut est apud Strabonem, scripserat *ἀσπίδα κάλλιπον οὐκ ἐθέλων*.

Quum fracta virtus, et minaces Turpe solum tetigere mento. Interpretes volunt *solum mento tangere*, idem significare quod *terram dentibus mordere*, *occidi*. Mihi longe aliter videtur. Nam si hoc ita esset, *minaces* intelligendi forent *fortissimi*, quod ab usu vocis, praecipue cum *virtute fracta* coniunctae, abhorret. Neque eleganter solum, sanguine madens fortiter pugnantium, *turpe* diceretur, imo potius *triste*, ut Prudent. I. Peristeph. *Tunc et ense caesa virtus triste percussit solum.* Ideo quoque multi *turpe*, ut in parenthesi positum, accepere, quando nempe est pro *o rem turpem!* atque hoc iam annotatum est in MS. Voss. »Turpe, *esse potest nomen et adverbium.*" Alii Scholiastae: »Turpe, *pro* turpiter." Sed hoc sententiae Horatianae plane contrarium est. Non enim turpe, sed gloriosum habetur pro caussa mori, in qua Bruti et Cassii erant. Sed excutiamus illa veterum dicta de militibus caesis. Exempla collegerunt interpretes ad Virgil. X. Aen. 488. Silii Italici V. 526. Burm. ad Anthol. Lat. T. I. p. 88. et Heins. Advers. p. 522. Terram *ore mordent*, *feriunt*, *caedunt*, *petunt ore cruento*, *calcibus caedunt*, *vertice pulsant*, *ore appetunt*, *mandunt humum*, *morsu appetunt*, *mordent arenam*, *tellurem morsu apprendunt.* Haec poëtae. Qui *mentum* in hac re posuit, inveni neminem. Et sic est apud Graecos. Quare non dubito quin verba Horatii ita legenda et interpretanda sint: *et minaces, Turpe! solum tetigere mento.* Virtus eorum, qui veram for-

Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre:
Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit aestuosis.

titudinem ostenderunt, fuit fracta. Illi autem, qui suam fortitudinem verbis iactabant, sese, o rem turpem, ad genua victoris prostravere, eumque adorantes et terram mento tangentes, vitam supplices rogarunt. Honestius saltem erat capessere fugam, quam statim post cladem et in ipso proelio ad humiles preces descendere. Ita etiam multi in bello Caesariano cogitabant. Quid nunc acciderit, vide vel ex Appiano V. Bell. Civ. 7. ubi memoratur Lucius, frater Cassii, *καὶ ὅσοι ἄλλοι τῶν δεδιότων ἱκέται προσήεσαν τῷ Ἀντωνίῳ.* Sic *fracta virtus* eleganter opponitur *minacibus* et timidis. Horat. II. Carm. 12. *Regum colla minacium.* Cicero pro Fonteio 12. *Si illi bellum facere conabuntur, excitandus nobis erit ab inferis C. Marius, quo Induciomaro illi minaci atque arroganti par in belligerando esse possit.* Superest ut dictionem ipsam *solum mento tangere* exemplis illustrem. Liv. XXXV. 38 *Osculo limen curiae contingere.* Martialis X. Epigr. 22. *Et turpes humilesque supplicesque Pictorum sola basiate regum.* Seneca Oedip. 479. *Ore deiecto petiere terram.* Arnob. Adv. Gentes VII. p. 249. *Aesculapius est serpentis forma, solum mento radit, et pectore.* Curt. VIII. 5. *Alexandrum venerantibus Persis, Polysperchon, qui cubabat super regem, unum ex iis mento contingentem humum, per ludibrium coepit hortari, ut vehementius id quateret ad terram.* Ammianus Marcellin. XVIII. pag. 139. *Desiluit equo, curvatisque membris humum vultu pene contingens, salutavit, patronum appellans et dominum.* Atque hunc locum Horatii iam olim ita fuisse expositum, apparet ex Acrone. Acro: »*Turpe solum*, aut cruentatum, aut quo turpiter prostrati precarentur."

Denso paventem sustulit aëre. Liv. IV. 28. *An Deum aliquem profecturum, vos rapturumque hinc putatis?*

Unda fretis tulit aestuosis. Iungunt interpretes: »unda resorbens rursus te tulit fretis in bellum." Quod durum Mitscherlichio videtur, qui malebat: Unda, fretis aestuosis, te resorbens rursus in bellum tulit. Atque hoc altero melius est. Tamen Horatium dedisse arbitror: *Unda fretis*

Ergo obligatam redde Iovi dapem,
Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea, nec
Parce cadis tibi destinatis.
Oblivioso levia Massico
Ciboria exple: funde capacibus
Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrto? Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego sanius

tulit aestuosi. Sententia Latina admodum et rotunda. Unda freti aestuosi te rursus in bellum reserbens, tulit. *Tulit*, pro *abstulit*, proprium de undis. Liv. IV. 33. *Alios in aquam compulsos gurgites ferunt.* Ovid. II. Am. 16. *Verba puellarum Irrita, quo visum est, ventus et unda ferunt.* Vid. Heins. ad Virgil. III. Aen. 268. *Ferimur spumantibus undis.* *Auferre* in eadem re, praeter alios, breviter illustrant Ruhnken. ad Terent. p. 260. et Burm. ad Calpurnii Eclog. V. 48.

Dicet bibendi. *Dicit*, magis appositum esset ad rei praesentis laetitiam. Ita coniecit Withofius, et legitur in Serviana annotat. ad Virgil. III. Georg. 125. »*Dixere*, pro *designavere*. Cicero de republica: *Sic de accusatore lege quinta dicta*: id est, *designata*. Et Horatius II. Oda VII. *Quem Venus arbitrum Dicit bibendi*, pro *designat*." Servius ex Philargyrio ita corrigendus est: *de republica sic*: Dictatore L. Quinctio dicto, *id est*, designato. Vid. Heins ad II. de Republ. 37.

Non ego sanius Bacchabor Edonis. Edoni sunt Thraces. Sed furere in convivio ut Thraces, Horatio in mentem venire non poterat. Ipse dicit I. Carm. 27. *Natis in usum laetitiae scyphis Pugnare Thracum est.* Et I. Carm. 18. *Bacchum Sithoniis* propterea *non levem* appellavit. Qui igitur profitetur se in convivio Bacchaturum ut Edonos, is profitetur se cum amicis in convivio esse pugnaturum. Comment. Cruq. et Acro: *Edonis*, *Bacchis Tracibus*. Intelligunt igitur Bacchas, feminas. Atque ea comparatio hic est honestior, et apud poëtas tam frequens, ut fere in

Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est amico.

proverbium abierit. In MS. Voss. *Edoniis*: sed in margine annotatum: »*Edonis*, libri prisci.'' Forte fuit *Edona*. Nam terminatio feminina tam est *Ἠδωνὴ* quam *Ἠδωνίς*. Vid. Steph. Byzant.

CARMEN VIII.

Ulla si iuris tibi peierati
Poena, Barine, nocuisset umquam;
Dente si nigro fieres, vel uno
Turpior ungui,
Crederem. Sed tu, simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis

CARMEN VIII.

Barine. Nomen Graecis et Romanis inauditum. Faber legebat *Earine*. Bentleius *Larine*, *Nerine*. Withofius *Iberine*. Ego esse credo nomen Barbarum, sed ita scribendum, *Barcine*. Ita appellabantur nobiles apud Persas mulieres, inter alias amica Alexandri M. Iustin. XI. 2. *Tum Alexander Barcinem captivam diligere propter formae pulchritudinem coepit.* Pro coniectura mea sunt MSS. van der Bourg. in quibus legitur *Barrine*. Erant autem Romae multae mulieres pulcherrimae ex Oriente, servae et libertae. Vid. Horat. I. Carm. 29. *Quae tibi virginum sponso necato barbara serviet.* II. Carm. 4. *Ne sit ancillae tibi amor pudori.* Talis esse potuit *Barcine*, et nomen *Iuliae*, quod in MSS. adiicitur, a domina assumtum.

Crederem. Scilicet, tale iusiurandum tuum Diis esse cordi. Carminis exordium scenicum, quod est ex abrupto, ita explicandum puto: Dei rident periuria aman-

Pulchrior multo, iuvenumque prodis
Publica cura.
Expedit, matris cineres opertos
Fallere, et toto taciturna noctis
Signa cum caelo, gelidaque Divos
Morte carentes.
Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
Simplices Nymphae, ferus et Cupido,
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.

tum. Non credo Deos illa curare. Si vel minima tibi poena propter periuria accidisset, crederem Deos periuria non negligere. Nunc pulchrior fis, et prodest fallere. Bene Scholiasta: Crederem *Deos esse vindices periurii*. Si locum interpreteris *crederem tibi*, nihil scenici et abrupti est in exordio, quod veteres Scholiastae ita indicaverunt: *Scenicum principium: intelligendum nempe aliquos sermones praecessisse* seq. Si interpreteris *crederem Deos esse*, obstant sequentia *Ridet hoc Venus*. Erat enim, quae rideret. Alia est ratio versus Ovidiani III. Amor. 3. *Esse Deos, i, crede, fidem iurata fefellit. Et facies illi, quae fuit ante, manet.* Horatius negat Deos periuria in amore curare, quia Barine non turpior fiebat, Ovidius eadem de caussa negat Deos esse. Utrumque iunxit Liv. III. 56. *Dum pro se quisque, Deos tandem esse et non negligere humana fremunt.* Claudianus quoque in praeclaro Rufini exordio haec probe distinxit. Et Ovidius quidem tragice in re levi. Nam gravissima erat illa veterum exclamatio: *Sunt Dei, estis Dei*, et contra; quam formulam Brissonius et alii diligenter illustraverunt. Statius I. Silv. 4. *Estis, io, superi. Nec inexorabile Clotho Volvit opus, videt alma pios Astrea, Iovique Conciliata cadit, dubitataque sidera cernit.* Ubi Hemsterhusius eleganter emendat: *videt alma pios Astrea, Iovique Conciliat. Credit, dubitataque sidera cernit.* Credit, nimirum esse superos, qui pios curent.

Pulchrior multo. Canneg. ad Avian. Fab. XL. citat *multis*.

Cineres opertos fallere. Auson. Prof. Burdig. VIII. *Vos levis*

Adde, quod pubes tibi crescit omnis,
Servitus crescit nova; nec priores
Impiae tectum dominae relinquunt
Saepe minati.

cespes tegat, et sepulcri Tecta defendant cineres opertos.

Pubes tibi crescit omnis. Seneca Herc. Fur. 870. *tibi crescit omne Et quod occasus videt, et quod ortus.* Plin. Paneg. XXVI. *Crescerent de tuo, qui crescerent tibi.* Schol. Iuvenal. ad Sat. IX. 133. *Multos imberbes habes, tibi crescentes.*

Tua ne retardet Aura maritos. Iam olim laborabant in h. l. explicando. Acro: *Aut facilitas, qua in amorem trahuntur, aut unguentorum odor, ut ipse superius aurae fallaces.* Ubi leg. »aut, ut ipse superius, *aurae fallacis.*" Respicit enim Horat. I. Carm. 5. Illud de odore unguentorum etiam proposuit Burman. ad Valer. Flacci V. Argon. 589. Neque displicuisse videtur Broukhusio, laudanti locum Plinii XIII. 3. *Summa commendatio unguentorum, ut, transeunte femina, odor invitet etiam aliud agentes.* Quamquam ampliandum censet vir doctissimus. Mitto alios veterum et recentiorum conatus. Bentleius legebat *cura.* Schraderus: *tua ne retardent Ora maritos.* Ego Horatium ex Horatio interpretabor. Dixit IV. Carm. 14. de Cynara: *quae spirabat amores, Quae me surpuerat mihi.* Ubi Comm. Cruq: *quae ita pulchra erat, ut amores exhalaret, emitteret.* Talis quoque erat Barcine. Vel aura illius et spiritus novos istos maritos amore incendebat, et frigidos in uxoribus faciebat. Forte idem voluit Acro, dicens: *facilitas, qua in amorem trahuntur.* Amor per auram afflatur. Aristoph. Lysistrata: *Ἀλλ' ἥνπερ ὁ γλυκύθυμος Ἔρως, χ' ἡ Κυπρογένει' Ἀφροδίτη Ἵμερον ἡμῶν κατὰ τῶν κόλπων καὶ τῶν μηρῶν καταπνεύσῃ.* Theocrit. Eidyll. XVII. 51. de Beronice: *Πᾶσιν δ' ἤπιος ἠδὲ βροτοῖς μαλακοὺς μὲν ἔρωτας Προσπνείει.* Apollon. Rhod. III. Argon. 972. *Μέλλον ἅλις φθέγξασθαι ὑπὸ πνοιῇσιν Ἔρωτος.* Val. Flacc. VII. 488. *facilis nam cantibus illum Flexerat, et simili iam dudum afflarat amore.* Stat. X. Theb. 135. *Illius aura* (somni) *solo volucres, pecudesque Explicat.* Propert. II. 19. *Si modo clamantis revocaverit aura puellae, Concessum nulla lege redibit iter.* Vel aura puellae, amicum nomine vocantis, ei vitam restituet. Sunt apud Propertium eaedem fere interpretum

Te suis matres metuunt iuvencis,
Te senes parci, miseraeque nuper
Virgines nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

contentiones de significatione auræ, quæ hic apud Horatium. Pulchre Virgilius I. Aen. 687. *Quum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet, Occultum inspires ignem.* Quod miror Heynio durius videri potuisse. Nam ignis ibi inspiratur per auram et animum.

CARMEN IX.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros: aut mare Caspium
Vexant inaequales procellae
Usque; nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes; aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.

CARMEN IX.

Hispidos Manant in agros. Scholiastae et interpretes recentiores dubitant quo modo *hispidos* accipere debeant. Quum Horatius procellas maris *Caspii*, hyemes *Armeniae* ventos *Gargani* memoraverit, mirum nisi et imbribus suam regionem tribuerit. Forte legendum: *Istricos Manant in agros.* Constat ex Strabone sub Augusto fines Italiae fuisse prolatos ad Polam, μέχρι Πόλας, Ἰστρικῆς πόλεως.

Vexant inaequales procellae. Pro *vexant* alii ex MSS. edidere *versant*. Et vix unus est poëtarum locus sine illa varietate. Iudicium nostrum in vera lectione constituenda iuvabit observatio A. Gellii N. Att. II. 6. dicentis, oriri a *vehere*, in quo iam est vis alieni arbitrii. Et qui fertur et raptatur, atque huc atque illuc distrahitur, is *vexari* proprie dicitur. Adde Ascon. Pedian. p. 46. In Propert. II. 21. *vexatae per multa pericula vitae*, male Burm. emendat *versatae*. Nec melius egit in Claudiano I. Ruf. 65. *Iam cupio — laxare profundo Frena mari, ruptis fluvios immittere ripis, Et rerum vexare fidem.* Reponit *turbare*, optans ut interpretes explicuissent quid esset *vexare*. *Vexare* idem significat quod *turbare*, sed verbum est vehementius. *Vexare* autem, tempestatibus proprium est. Vid. Burmannus ad Quintilianum Declam. XII. 23.

Armeniis in oris. Qui correxit *Aemoniis in oris*, quasi in Armenia hyems et glacies non essent, iam ab aliis, ex itine-

Tu semper urgues flebilibus modis
Mysten ademtum; nec tibi Vespero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem.
At non ter aevo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos: nec impubem parentes
Troilon, aut Phrygiae sorores
Flevere semper. Desine mollium
Tandem querelarum: et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris, et rigidum Niphaten,
Medumque flumen gentibus additum
Victis, minores volvere vortices;
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

rum recentiorum descriptionibus, refutatus est. Et magnum ibi frigus iam Xenophon, et deinde Lucullus cum copiis suis senserunt. Vid. Anabas. IV. 4. et Plutarch. in Lucullo 32.

Mysten ademtum. Reisk. in Notit. poëtar. Anthol. pag. 243. legit *Muiscum.* Sine caussa.

Volvere vortices. In uno MS. *vertere.* Aberravit librarius propter initium vocis sequentis.

CARMEN X.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urguendo, neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Litus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.
Saepius ventis agitatur ingens
Pinus: et celsae graviore casu

CARMEN X.

Tutus caret obsoleti Sordibus tecti. Pauperrimi fere sunt tutissimi. Tacitus III. Hist. 31. *Gregarius miles, futuri socors, et ignobilitate tutus.* Phaedr. II. Fab. 7. *Hoc argumento tuta est hominum tenuitas. Magnae periclo sunt opes obnoxiae.* Sed, qui amat mediocritatem, adeo ut in neutram partem conspiciatur, is etiam tutus est, quamvis non habitet in sordibus tecti obsoleti. Pro *obsoleti* in margine MS. Voss. legitur *obsoletis.* Conf. Plin. II. Epist. 7. *Atrium frugi, nec tamen sordidum.* Auson. Epiced. patris 17. 7. *Non opulens nec egens, parcus sine sordibus, egi.* Idem in Gratiarum Actione p. 717. laudat: *frugalitatem sine sordibus.* Et brevi ante: *Quodsi Principi honoris istius temperata, et, quae vocatur aurea, debet esse mediocritas.* Schol. Statii Theb. III. 246. »Unde est illud Graecum ΑΝΝΟΤΑΤΕ CAPETA id est *aurea mediocritas.*" Graeca corrupta ita restitui: *ΑΙ ΜΕΣΟΤΗΤΕΣ ΑΡΙΣΤΑΙ.* Est enim nota sententia, ut *μέτρον ἄριστον*, ita *ἡ μεσότης*, et *αἱ μεσότητες ἄριστα*: quo ipso utitur Bassus Analect. Brunkii II. 161. quem locum iam alii interpretes cum Horatiano comparaverunt.

Saepius ventis agitatur ingens Pinus. Saepius omnia MSS. Hildebert. Mor. Philos. p. 992. *Saepius ventis agitatus.* Vincent. Bellovacensis in Speculo Historiali

Decidunt turres: feriuntque summos
Fulgura montes.
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum

pag. 63. *Saepe.* Burm. ad Ovid. XIV. Heroid. 39. emendat *saevius ventis agitatur ingens Pinus.* Speciosam emendationem multi laudarunt et receperunt. Arrisit quoque L. Santenio, et forte aliis etiam nunc arridebit, quibus ipse ostendo locum Frontonis in Principiis Historiae Fragm. III. ed Mai. »*Sicut arbores maximas vehementius ventis quati videmus, ita virtutes maximas invidia criminosius incessit.*" Et tamen credo *saepius* esse Horatii. Comparatio scilicet in hac voce non nimis est explicanda. Quod si in *saevius* facias, in multo maiorem difficultatem te induis. Venti, inquit, perflant altissima, ideo celsae arbores saepius, plerumque, semper agitantur, quum arbores humiliores eos facile ferant, et vix moveantur. Sententia pulcherrima et antiquissima, quam nonnullis exemplis illustrabo, iis praecipue unde vulgata apud Horatium lectio simul defendatur. Herodot. VII. 10. *Ὁρᾷς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα ὡς κεραυνοῖ ὁ θεὸς, οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι, τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέν μιν κνίζει; ὁρᾷς δὲ, ὡς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιστα αἰεὶ καὶ δένδρεα τὰ τοιαῦτ' ἀποσκήπτει βέλεα;* Ubi observes *ἀεί.* Lucret. V. 1130. *Invidia quoniam cum fulmine summa vaporant, Plerumque, et quae sunt aliis magis edita cumque.* v. et Heinsii Adversar. pag. 72. Sallustius, ut fertur, Orat. II. ad Caesarem de Ord. Republ. pag. 568. *Nam vivos interdum fortuna, saepe invidia fatigat.* Livius XLV. 35. *Intacta invidia media sunt. Ad summa ferme tendit.* Seneca in Tragoediis non semel Horatium imitando expressit, praecipue in Octavia, si tamen ea sit Senecae, vs. 895. *Bene paupertas Humili tecto contenta latet. Quatiunt altas saepe procellae, Aut evertit Fortuna domos.* Stat. II. Silv. VII. 91. *Cur plus, ardua, casibus patetis?* Denique et illud tenendum, *saepe*, ut Graecum *πολλάκις*, interdum maiorem rei vim indicare: eoque nomine locum Horatianum contra emendationem Burmanni tuetur Handius ad Statii Silvas pag. 276.

Feriuntque summos Fulgura montes. Fulgura etiam habet Hildebert. p. 992. Alii *fulmina.*

Alteram sortem. Ut Graeci *ἕτερος δαίμων.* Sic in Fragm.

Pectus. Informes hiemes reducit
Iupiter, idem
Summovet. Non, si male nunc, et olim
Sic erit: quondam cithara tacentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.

Callim. XCI. *Οὐ πάντες, ἀλλ' οὓς ἴσχεν ἄτερος δαίμων.* Vid. Hemst. ad Xenoph. Ephesii I. 10. *Alterum* in tali formula est diversum ab illo quod habemus vel optamus. Vide dictum aruspicis ad Iulium Caesarem, in Plut. Caes. 43. *εἰ μὲν εὖ πράττειν ἡγῇ στεαντὸν ἐπὶ τῷ παρόντι, τὴν χείρονα προσδόκα τύχην· εἰ δὲ κακῶς, τὴν ἀμείνονα.* Asinius Pollio apud Senecam Suasor. II. *Utinam moderatius secundas res, et fortius adversas ferre potuisset. Namque utraeque quum venerunt si, mutari eas non posse rebatur.* Iustin. XXXI. 2. laudat Hanibalem: *non minus in secundis adversa, quam in adversis secunda cogitantem.*

Non si male nunc, et olim Sic erit. Apud Hildebertum Mor. Philos. pag. 976. nonnulla perverse ita leguntur. » *Sperat in adversis. Easdem summovet. Nec si. Et olim semper erit. Male est*, et similia, Graeco more, ut Theocrit. Eid. IV. 41. *τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.* Sueton. Domit. 23. » *Cornix in Capitolio elocuta est: ἔσται πάντα καλῶς. Nec defuit, qui ostentum sic interpretaretur:* Nuper Tarpeio quae sedit culmine cornix, *Est bene*, non potuit dicere, dixit: *erit.*" Neque video, cur in Menandreo *μένει γὰρ κακῶς*, apud Athen. X. 65. aliquid mutemus. Latinam formulam restituendam arbitror Sallustio B. Iug. 41. *Ita, quod in advorsis rebus optaverant, otium, postquam adepti sunt, asperius acerbiusque fuit.* Tolle *otium*, ut manifestam glossam. Olim, dicit Sallustius, metus hostilis civitatem in bonis artibus retinebat. Ubi illa formido decessit, lascivia atque superbia incessere. Ita, postquam adepti sunt, quod optaverant in rebus advorsis, non melius, imo peius fuit. Afranius apud Charis. pag. 185. *Nemini nimium bene est.* Idem apud Priscian. pag. 804. *Cum salvus venis, meliusque tibi est.* Ovid. Heroid. XV. 177. *Quidquid erit, melius quam nunc erit.* Adde Ruhnken. ad Terent. p. 50. et 200.

Quondam cithara tacentem

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare: sapienter idem

Suscitat Musam. In uno MS. *suscitavit.* Unde Burman. conjiciebat *suscitit*, productis ultimis syllabis, ut in *abit*, *petit*, pro *abiit*, *petiit*. Sed hoc non convenit cum sequenti *tendit*. Ne dicam de insolita forma, quam ipse Burm. ad Virgil. III. Aen. 3. damnavit, ubi Probus volebat ad discernendum tempus ultimam verbi *fundit* circumflectere, refragante etiam Servio. Bentleius e MS6. legit *citharae*, ut Musa *citharae* sit ipsa cithara: et sic fere alii interpretes, quamquam *citharae* servantes. Ego omnino legendum arbitror: *cithara tacentes Suscitat Musam.* Horatius hanc imaginem sumsit ex Homeri Iliad. A. ubi iratus Apollo, noeti similis, Graecos sagittis petit, δεινὴ δὲ κλαγγὴ γένετ' ἀργυρέου βιοῖο. Tunc igitur *arcum tendebat* Apollo. Sed non *semper*. Nam brevi post idem Apollo in convivio Deorum, sua cithara Musas tacentes suscitat. Erat magna incunditas φόρμιγγος περιφαλλίας, ἣν ἔχ' Ἀπόλλων, Μουσῶν τ', αἱ ἄειδον ἐμειδόμεναι ἀπὸ καλῆς. Eodem respicere putant Pindar. I. Pyth. 1. ubi alloquitur citharam Apollinis, cuius citharae πείθοντας δ' ἀοιδοὶ σάφαιν. Clarius Appul. Met. pag. [illegible]. Musae voce canora personabant. *Apollo* sustulit ad citharam. Ubi similia quaedam sumsisse Oudendorpius. Adde Pausan. V. 18. Πεποίηται δὲ καὶ εἰδωλον Μούσαις, καὶ Ἀπόλλων ἐξηρτῆσθαι τῆς ὠδῆς, καὶ ἀρμόσαι ἐπιχρεμπῆ γίγραπται. Δεκτικὸς αὐτὸς ἐχ' ἑκαὶ ἐπιφρονος Ἀπόλλων· Μοῦσαι δ' ἄρ' αὐτὸν χορὸς χορὸς, αἶψα κιθάρας. Stat. Thebaid. VI. 355. *Interea* cantu Musarum nobile mulcens Consilium, citharaque manus inservitus Apollo Spectabat. Himerius Orat. pag. 689. sententiam veram Simonidei ita retulit: Ἀεὶ μὲν αἱ Μοῦσαι χορεύουσι, καὶ φιλεῖν ἐστὶ τοῖς θεοῖς, ἐν ὁδοῖς τε εἶναι καὶ κρείττοσιν. ἐπεὶδὴ δὲ ἴδοιεν τὸν Ἀπόλλωνα τῆς χορείας ἡγεμόνα ἐρχόμενον, τότε ἥλιον ἢ πρότερον τὸ μέλος ἐπτείνοντο ἦχον τινὰ παρρόμενον παθ' Ἑλικῶνος ἐκπέμποντες. Idem pag. 720: Ὁ Ἀπόλλων ἐπεὶδὴ εἰς μέλος ἁρμόσῃ τὴν λύραν, περιστήσαντα μὲν αὐτὸν κυκλόθεν αἱ Μοῦσαι, καὶ χορὸς τῇ λύρᾳ γίνονται. Gogav. Praeterm. pag. 28. volebat *cithara* tacentem.

Fortis appare. Sis fortis. v. Ruhnken. ad Rutil. Lupum I. p.

Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

62. Male Scholiastae *obtempera*. *Contrahes vento nimium secundo*. Totum locum citat Hildeb. Philos. Moral. pag. 979. sine ulla varietate. Imitatur Marbodus Ep. 1. *Memor igitur conditionis humanae, impetum fervidae iuventutis compesce, et inflata nimium secundae fortunae vento vela contrahe.*

CARMEN XI.

Quid bellicosus Cantaber, et Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet, Hadria
Divisus obiecto, remittas
Quaerere: nec trepides in usum

CARMEN XI.

Carmen Horatio indignum. Voluit aliquis experiri, quid in imitando argumento valeret, quod Graeci Romanique poëtae, Horatius praecipue, diversis modis tractaverunt. Sed tam ieiunum, tam a suavitate et urbana illa hilaritate remotum, nihil apud Horatium legimus. Et universum male cohaeret. Sunt laciniae, hinc inde consarcinatae.

Hirpine Quincti. Ad Quinctium scripsit Epistolam 16 Libri I. Si Quinctius iste fuisset noster Hirpinus, dixissent saltem Scholiastae. Et Hirpini in gente Quinctia adhuc ignoti sunt.

Hadria Divisus obiecto. Sive *divisus* referas ad Quinctium, sive ad Cantabrum et Scythen, non commode dictum est. Nam Hispani Romanis oppositi sunt in occidente, mare Hadriaticum est in oriente. Quod ad Scythas, hos totae regiones, Illyricum et Pannonia, a mari Hadriatico separabant.

Remittas Quaerere. Pro *mittas.* Necessitate metri. Non credo esse Latinum, nec vidi exemplum. Alii, iam admoniti, quaerant.

Nec trepides in usum Pos-

Paucis ævi pauca. Fugit retro
Levis iuventas, et decor: aridæ
Pellendæ lascivos amores
Canitiæ, facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honor
Vernis; neque uno Luna rubens nitet
Vultu: quid æternis minoribus
Consilia animum fatigas?
Cur non sub alta vel platano vel hac
Pinu jacentes sic temere, et rosa

centis ævi pauca. Trepidare ævi, insolentior Graecismus, neque comparandus cum illo *desine querelarum* et similibus. *Trepidare in usum ævi*, ratio scribendi non est aetatis Augustae. Sed vide, quam non conveniat sententia cum sequentibus. Homo sobrius pauca poscit, philosophus nimirum de pane et aqua vivere contentus potest. Sed vinum Falernum, Syra nardus, rosae, Lyde cum cithara, non sunt pauca. Nunc igitur hoc dicit poëta: »Paucissimis in brevi vita opus est. Ergo indulgeamus genio, et corpus probe curemus." Sequi debuisset: »ergo vitam agamus frugalem, et, ut Socrates, dicamus, quam multa non desidero!"

Fugit retro Levis iuventas. Hoc Horatius neque de se, neque de amico dicere potuit, qui non imberbes iuvenes, sed iam viri essent. Praeterea medium tempus est inter iuventutem imberbem et *canitiem aridam*. Hic autem legimus: Quando canities venit, iuventus imberbis, (sua hoc est *laevis*) retro fugit. Nelius antiqui poëtae adhortari solebant pueros et puellas: »Ludite, anni eunt. Iuventus praeterit, iam veniet senectus, quae amores odit." Iuventas in viro non praeterit, sed iam praeteriit.

Facilemque somnum. Ex Horatii Carmine: *Seu geris facilem pia testa somnum.* Inepta vero sententia: »Iuvenis amare potest, et melius dormire. Senibus autem tardus venit somnus." Ne Cato quidem apud Ciceronem hoc ad senectutis incommoda retulit: imo cap. 13. dicit: *caret senectus epulis, extructisque mensis et frequentibus poculis? Caret ergo etiam vinolentia, et crudilate et insomniis.*

Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo,
Potamus uncti? Dissipat Evius
Curas edaces. Quis puer ocius
Restinguet ardentis Falerni
Pocula praetereunte lympha?
Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? Eburna, dic age, cum lyra

Canos odorati capillos. MS. Franck. *odoranti.* Cur autem hic capilli dicantur *cani*, non potest explicari. Explicant *albescentes.* Mittamus discrimen quod est inter capillos *albescentes* et *canos.* Horatius igitur et Quinctius habebant capillos albescentes? Quomodo hoc convenit cum antecedentibus: »Non semper erimus iuvenes, ut floribus vernis non semper est idem honos."

Assyriaque nardo. Horatius nempe dixerat *nardum Achemaeniam.* Et utuntur poëtae hoc genere in hac voce. Vide Heinsium ad Ovidii XV. Heroidum 76. et Adversar. pag. 562.

Quis puer ocyus. Horatius potius scripsisset: *Quis, pueri, ocyus.*

Quis devium scortum eliciet domo Lyden? Eliciet, et mox *dic maturet* non conveniunt. *Scortum* Horatius nusquam nisi in contumeliam posuit, neque hac aetate aliter ponebatur: Romani iam a Graecis didicerant mulieres, non omnibus vacantes, honestis nominibus appellare. Olim erant simpliciores. Ad Lyden scriptum est III. Carmen 11, ubi rogat Mercurium ut modos diceret, *quibus Lyde aures applicaret.* In III. Carm. 28. cum eadem festum Neptuni diem hilariter exigit. Hanc Lyden cur hic appellaret *scortum*, et, quod etiam turpius, *devium?* Erat haec consuetudo interpretum Christianorum, ut *amicas*, libertinas, servas formosas, et omnino omnes feminas liberius viventes, appellarent *scorta* et *meretrices.* Sic Comm. Cruq. ad II. Carm. 8. »In Barinen *meretricem:*" et *tectum* exponit *lupanar.* Quid autem sit *devium scortum*, de eo interpretes plane contraria sentiunt, alii accipientes *omnibus venale*, alii, et in his primus, ut videtur, Salmasius ad Tertull. de Pallio pag. 177. *non omnibus venale*, sed *κατάκλειστον.* Sed *devius* est a via

[illegible]

[illegible]

CARMEN XII.

Nolis longa ferae bella Numantiae,
Nec dirum Hannibalem, nec Siculum mare
Poeno purpureum sanguine, mollibus
Aptari citharae modis:
Nec saevos Lapithas, et nimium mero
Hylaeum; domitosve Herculea manu
Telluris iuvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus.

CARMEN XII.

Nec dirum Hannibalem. Bentleius ex pluribus MSS. *durum.* In tam parvo literarum discrimine non MSS. curamus. Et centies haec sunt confusa. v. Burm. ad Val. Flacc. III. 610. Oudendorp. ad Appul. Metam. pag. 121. Markland. ad Statii Silv. II. 6. 80. Erat Hannibal et *durus* et *dirus.* Videndum modo, utrum huic loco sit aptius. Credo *dirum;* nam hoc plus est quam *durum*, et melius convenit cum *fera* Numantia, mari *sanguine* purpureo, et *saevis* Lapithis. Horatius hoc epitheton in Hannibale amat. III. Carm. 6. *Pyrrhumque et ingentem cecidit Antiochum, Hannibalemque dirum.* Hinc auctor IV. Carm. 4. *Dirus per urbes Afer ut Italas.* Ubi eadem est in MSS. varietas, sed numero et auctoritate longe minoribus. Recentiores interpretes Bentleium non intellexerunt. Nam Bentleius *durum* eadem ratione accipi volebat, qua *dirum*, ut apparet ex appositis ab eo Virgilii locis. Hi vero explicant Hannibalem *durum*, cuius nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci potuit. Igitur dixisset Horatius: Nolis citharae aptari *laudes* Hannibalis. Nam est ea significatio in voce *durus.* Ideo quoque Serv. ad II. Aen. 7. operae pretium duxit annotare: »*Duri*, non *laboriosi*, quia non laudaret eum, cum esset hostis, sed *duri*, id est *crudelis.* Nam Virgilius pro negotiorum qualitate dat epitheta." Vitemus ergo et in Horatio illud ambiguum, et legamus: *Nec dirum Hannibalem.*

Nimium mero. Nimium, intolerabilem, impotentem. Vide interpret. ad Vellei. Paterc. II. 32.

Saturni veteris: tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius, ductaque per vias
Regum colla minacium.
Me dulcis dominae Musa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos, et bene mutuis
Fidum pectus amoribus:
Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare ioco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus, sacro
Dianae celebris die.
Num tu, quae tenuit dives Achaemenes,
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes

Licymniae. Terentiam vult. Ita iam veteres Scholiastae ad h. l. Poëtae in tali nominum mutatione servabant plerumque eandem syllabarum quantitatem et numerum, sed non semper servabant. Egregie de illa consuetudine disputavit Huschkius in Analectis Literariis pag. 303.

Lucidum Fulgentes oculos. Oculi *fulgentes* non desiderant, opinor, adiectum illud *lucidum*. Mallem ego *lubricum fulgentes*. Horatius I. Carm. 20. *Et vultus nimium lubricus adspici*. Sunt adeo oculi *lascivum et mobile fulgentes*.

Quam nec ferre pedem dedecuit choris. Ferre pedem choris, significat ad choros accedere, venire. Virgilius I. Georg. 1[illegible] *Ferte simul Faunique pedem*[illegible] Mox *brachia dare ludentem* ita expressit Stat. I. Achill. 31[illegible] *Hasne inter simulare choros* [illegible] *brachia ludo Nectere, nate grave est?*

Dianae celebris die. Celebr[illegible] dicitur quodvis numen, cuius festum celebratur. Tibull. IV. 4. 2[illegible] ad Phoebum: *Iam celebor, ia*[illegible] *laetus eris, cum debita redde*[illegible] *Certatim sanctis laetus uterque focis.* Et II. 1. 83. *Vos celebrem cantate Deum.* Non mutandum in *celerem*.

Aut pinguis Phrygiae. In Schol Stat. Theb. II. 162. legitur *pingues*

Permutare velis crine Licymniae,
Plenas aut Arabum domos;
Dum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem, aut facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupat?

Dum flagrantia detorquet ad oscula. Alii *fragrantia.* Quae perpetuo fere permutantur. Vide interpretes ad Virgilii IV. Georgicorum 169. et Oudendorpium ad Appuleii Metam. pag. 201. qui hoc loco *flagrantia*, etiam ex duobus MSS. D'Orvillianis tuetur. Notandum autem, Scholiastas haec ita accipere: *Detorquet se ab osculis amatoris, ut magis incitet.* Quod mihi placet, modo legamus: *et facili saevitia negat.*

Quae poscente magis gaudeat eripi. Interdum rapere occupat. Cervicem reflectit et negat, (quum tamen magis, quam is qui poscit, oscula sibi eripi gaudeat) interdum rapit oscula.

CARMEN XIII.

Ille et nefasto te posuit die,
Quicumque primum, et sacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi.
Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem, et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis: ille venena Colcha,
Et quidquid usquam concipitur nefas,
Tractavit, agro qui statuit meo
Te triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

CARMEN XIII.

Ille et nefasto te posuit die. Guietus etiam quatuor versus sustulit. Neque haec tam perturbato verborum ordine a bono scriptore dici potuerunt. Viri eruditi variis coniecturis magnam obscuritatem illustrare tentarunt. Bentleius: *Illum, o, nefasto* sq. Buttman. in Miscell. Crit. Friedemanni pag. 48: *Illum, nefasto* sq. Ut sit: Illum, quicunque te primum posuit die nefasto, et manu sacrilega produxit, illum crediderim sq. Cogitavi aliquando de verbis ita transponendis: *Quicunque primum te posuit, die Ille et nefasto, et sacrilega manu Produxit.* Sed versus sunt spurii, et propter intricatam illam constructionem, et ineptas rei eiusdem sine ulla gravitate repetitiones. Quis enim aequo animo haec ferat: Quicunque *te posuit, produxit, o arbos*, qui te *statuit* agro meo, *o triste lignum*?

Fregisse cervicem. Annotarunt Comm. Cruq. et Acro, hic: »*novo verbo*, ille, *nova dictione*, execratur parricidam." Horatius Epod. III. idem scripsit: *Parentis olim si quis impia manus Senile guttur fregerit.* Ubi nihil Scholiastae. Ego, quid novi sit

Quid quisque vitet, numquam homini satis
Cautum est in horas. Navita Bosporum
Poenus perhorrescit, neque ultra
Caeca timet aliunde fata:
Miles sagittas et celerem fugam
Parthi; catenas Parthus et Italum
Robur: sed improvisa leti
Vis rapuit rapietque gentes.

in *cervicem frangere*, non video: quo utantur Cicero et alii. v. et Burm. ad Serv. Virg. II. Aen. 707.

Quid quisque vitet. Notanda hic sunt verba Comment. Cruq. » *Et hoc loco incipit disputare de diversis casibus vitae humanae, adeo ut vix aliquis eo casu moriatur, de quo magis est sollicitus: qui, dum de gladio sibi cavet, incidit in morbum aut aliud malum, quo abripitur e medio.* Fieri potest ut hoc Scholion sit ex MS. in quo hic legebantur vs. 13. et tres sequentes Carm. 14. huius libri.

Navita Bosporum Poenus perhorrescit. Sumit exemplum nautae et militis. Cur nautae *Poeni*, non intelligo. Si *Poenus* servetur, vix aliter facere possumus, quin *miles* etiam *Poenus* accipiatur. Scilicet: »Navita Poenus perhorrescit Bosporum, miles Poenus perhorrescit Parthos.'' Scio quomodo hoc evitari posse videatur: nempe *miles Italus* assumendum e sequentibus *Italum robur*. Sed naturalis verborum ordo, ut nunc leguntur, ipse, invitis etiam, ostendit *navitam Poenum*, et *militem Poenum*. Pro importuna voce *Poenus* mihi aliquid requiri videtur, unde intelligamus, quid in Bosporo nautis praecipue sit timendum. Si v. c. legeretur *navita Bospori Aestus perhorrescit*, vel simile aliquid, esset simplex et perspicua sententia. Mercatores nostri timent saevum impetum Bospori, milites nostri timent fugam simulatam Parthorum, Parthi timent milites nostros. De Bosporo ipse Horat. II. Carm. 20. *Visam gementis litora Bospori*, et III. Carm. 4. *Insanientem navita Bosporum tentabo.*

Miles sagittas et celerem fugam Parthi. Bentleius legit *reducem*. *Celerem* enim fugam, utpote veram, non timeri. Sed Horatius coniunxit *sagittas et fugam*, quod significare poterit' *sagittas in fuga remissas*. Ita et

Quam paene furvae regna Proserpinae,
Et iudicantem vidimus Aeacum,
Sedesque discretas piorum, et
Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus;
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.
Utrumque sacro digna silentio
Mirantur umbrae dicere; sed magis

coniunxit Virgil. III. Georg. 31. *Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis.* Sic certe cogitatio timoris, quo ipse Parthus esse videretur correptus, minuitur. Ea vero plane tollitur, si legamus: *et celeris fugam Parthi.* Timet fugam Parthi, celeris non minus in fugiendo, quam ex fuga revertendo, remittendisque sagittis. Ovid. III. Art. 687. *Ut celer aversis utere Parthus equis. Celeris* est in Var. Lect. apud Iones. Vulgatam lectionem defendit Arntzen. ad Aurel. Victor. Vir. Illustr. cap. 43.

Quam paene furvae regna Proserpinae. Animadvertit Broukh. primam in *Proserpina* ab aliis produci, corripi etiam a Seneca Herc. Fur. 548.

Sedesque discretas. Cum Bentleio praeferendum videtur alteri *descriptas.* Quod tamen probat Broukhus. inventum quoque in MS. Graev. Broukhusius laudat Gifan. in Indice Lucret. Ovid. I. Metam. 96. Plinius II. Epist. 6. Victor. ad Ciceron. XII. Epist. I. et Graev. ad Epist. ad Atticum II. 1. Addo e multis Prudent. Hamartig. 953. *Multa in thesauris Patris est habitatio, Christe, Disparibus discreta locis.*

Sacro digna silentio. Veram interpretationem servavit Acro et Comm. Cruq. *Quae carmina sic facta sunt, ut adyti alicuius putarentur digna secreto.* Conf. Serv. ad Virgilium VI. Aen. 264. *Umbraeque silentes.* Secreta inferorum, semper silentia. Nam hominum umbrae loquuntur. Hinc est: *Quae sacra silentia norunt.* Haec Servius. Sunt igitur Alcaei et Sapphonis carmina digna tali silentio, quale esse solet in locis sanctissimis inferorum, quod certe

Pugnas et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum? ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps

maius est, quam vel maximum silentium, quod regnat in sacris, quae in terra fiunt. De dicendi formula, similis est haec Virg. VI. Aen. 662. *Phoebo digna locuti.* Lucan. IX. 564. *Effundit dignas adytis e pectore voces.* Iuvenal. Sat. XIII. 205. *Vocem adyti dignam templo, veramque probavit.* Pers. Sat. I. 56. *Cedro digna locuti.*

Densum humeris bibit aure vulgus. Heinsius *densum hilari.* Bentleius *avida.* Sed *aure bibere*, sine adiecto substantivi epitheto, bene Latine dicitur: v. c. Ovid. III. Trist. 5. *Et lacrimas cernens in singula verba cadentes, Ore meo lacrimas, auribus illa bibi.* Vide Pricaeum ad Appul. Metam. I. pag. 1. *Vulgus humeris densum*, quale olim bella gessit, et nunc libens audit. Simul indicare potest *robustum*, *μείζονες εἰσιδέειν καὶ πάσσονες*, et *εὐρέες ὤμοι* apud Homerum, *ingentes*, et *lati humeri* apud Romanos poëtas militem commendant. Vid. Markl. ad Statii Silv. III. 1. 36.

Demittit atras bellua centiceps Aures. Modo legimus: *bibit aure.* Quem non offendit statim iterata eadem vox? Neque est ea laus Sapphonis et Alcaei, si Cerberus ad carmina tam pulchra *aures* demittat. Nam *aures demittere* habetur indicium inertiae et timoris, ut *tollere* vigoris et virtutis. Horat. I. Serm. 9. *Demitto auriculas ut iniquae mentis asellus.* Statius XI. Theb. 745. de leone iam aetate confecto: *Et si demissas veniat mugitus ad aures, Erigitur.* Claudian. I. Eutrop. 136. *quum tardior idem Iam scabie laceras deiecit sordidus aures.* Contrarium huic est aures *tollere*, *arrigere*, *acuere.* Horat. Epod. VI. 5. *Nam qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon, Agam per altas aure sublata nives, Quaecunque praecedat fera.* Ubi Comm. »alioqui timentium aures demissae sunt.'' Burmannus ad Phaedri I. Fab. XI. dubitat an Latine dicere liceat *aures tollere*, pro *erigere.* Horatius docuit. Quamquam *arrigere* et *erigere* magis usitatum sit. Virg. XII. Aen. 618. *Arrectas impulit aures.* Propert. III. 5. *Suspensis auribus ista bibam.* Aures *acutas* dixit Horat. II. Carm. 19. Plura huc pertinentia leguntur apud Ou-

Aures, et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues:
Quin et Prometheus, et Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono;

dendorpium ad Appuleii Metam. p. 477. et Drakenb. ad Liv. II. 54. Homer. Odyss. Ῥ. 291. Ἀν δὲ κυὼν κεφαλήν τε καὶ οὔατα κείμενος ἔσχεν. Callim. Hymn. Del. 228. Κυὼν ὡς Ἀρτέμιδος, ἥτις τε θοῆς ὅτε παύσεται ἄγρης, Ἴζει θηρήτειρα παρ' ἴχνεσιν, οὔατα δ' αὐτῆς Ὀρθὰ μάλ' αἰὲν ἑτοῖμα θεῆς ὑποδέχθαι ὁμοκλήν. Vide Ruhnkenium Epist. Crit. II. p. 159. Apollon. Rhod. I. Argon. 513. Orpheo cessante canere, ἔτι προὔχοντο κάρηνα Πάντες ὁμῶς, ὀρθοῖσιν ἐπ' οὔασιν ἠρεμέοντες Κηληθμῷ. Cerberus ergo ad dulcissimos plectri sonos debebat aures non *demittere*, sed, ut Pamphilus Terentianus, *arrigere*. Equidem puto legendum: *demittit atras bellua centiceps Fauces*. Animal, quod assiduo latratu loca inferna personat, nunc capita et fauces demittit, stupet et auscultat. Virgil. IV. Georg. 483. Orpheo canente: *tenuit inhians tria Cerberus ora*. Boëth. Consol. III. Metr. 12. *Stupet tergeminus novo Captus carmine ianitor*. Ennodius in Vita Epiphanii pag. 373. *Cui et belluae rabidae colla submittunt*. Et *faucium* in latratu praecipue fit mentio. Virgil. VI. Aen. 417. *Latratu regna trifauci Personat*. Silius Ital. II. 551. *Formaque trifauci Personat insomnis lacrimosae ianitor aulae*. Interpretes vulgatam in Horatio lectionem ita explicant, ut Cerberus auribus demissis feritatem exuisse, et mitior factus esse intelligatur. Sed hoc, nisi audito carmine et arrecta aure, fieri non potuit. Nec vero arbitror quemquam mihi esse obiecturum illa Homeri Odyss. Ῥ. vs. 301. ubi Argus, agnito Ulysse, Οὐρῇ μέν ρ' ὅγ' ἔσηνε, καὶ οὔατα κάββαλεν ἄμφω. Nam imago Cerberi blandientis, qualem Horatius proposuit III. Carm. 11. huic loco et his verbis non convenit.

Intorti capillis Eumenidum recreantur angues. Plerique poetae *anguem* feminino genere efferunt. Hoc observant iam Nonius et Charisius. Hic pag. 70. afferit exempla Tibulli, Ovidii, et Varronis Atacini: *Cuius ut adspexit torta caput angue revinctum*. Et sic Virgilius IV. Georg. 482. *Coeruleasque implexae crinibus angues*. v. Heins. ad Ovidium IV

Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

Metam. 494. Omnia MSS. ut videtur, servant *intorti*, praeter MS. Van der Bourg *intortis*. Credo Horatium scripsisse *intortae*.

CARMEN XIV.

Eheu! fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni; nec pietas moram
Rugis, et instanti senectae
Afferet, indomitaeque morti.
Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris; qui ter amplum
Geryonen, Tityonque tristi

CARMEN XIV.

Instanti senectae. Plutarch. Sympos. Tom. III. p. 664. προσεπιχόμεθα αὐτῇ λέγοντες ἐν τοῖς τῶν θεῶν ὕμνοις· Ἀνάβαλε ἄνω τὸ γῆρας, ὦ καλὰ Ἀφροδίτη.

Amice, places illacrymabilem Plutona. Modo dixit: *Postume, Postume.* Cur eundem nunc iterum alloqueretur, non video. Inveniunt tamen hic interpretes nescio quem animi affectum. Credo, si in poëta recentiore legerent, necessitati versus absolvendi tribuerent. Meo iudicio longe venustius est: *Non si trecenis, quotquot eunt dies Annique, places* sq. In MSS. saepe scribebatur *annice* pro *annique*, quod ab *amice* nihil differt. Non si quotidie tauros trecenos mactes per totum annum, idque singulis annis repetas. Si omni tempore sacrifices: ὅσαι ἡμέραι καὶ ὅσα ἔτη. Homerus Odyss. XIV. 92. Ὅσσαι γὰρ νύκτές τε καὶ ἡμέραι ἐκ Διός εἰσιν. *Dies et anni, horae et menses* interdum

Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicumque terrae munere vescimur,
Enaviganda; sive reges,
Sive inopes erimus coloni.
Frustra cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Hadriae;
Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.

coniunguntur ad indicandam temporis longitudinem, et celeritatem. Cicero Senect. 19. *Horae quidem cedunt, et dies, et menses et anni.* Horat. II. Carm. 18. v. 15. *Traditur dies die Novaeque pergunt interire Lunae.* Ammian. Marcell. XXX. p. 451. *Cum dies cesserint, et menses et anni.* Pluto autem *illacrymabilis*, qui nullis lacrymis movetur; quam vocem restituendam puto Statio Silv. II. 1. 139. *Subitas inimica levavit Parca manus. Quo Dira feros gravis exseris ungues? Non te forma movet? Non te lacrymabilis aetas?* Legendum: *Non te, illacrymabilis, aetas?*

Quicumque terrae munere vescimur. Simonideum Εὐρυεδοῦς δσοι καρπὸν πίνομεν χθονός, illustravit Valck. ad Eurip. Hippol. vs. 131.

Frustra cruento Marte carebimus. *Marte carere*, est bello vel pugnae non interesse: non pugnare. Val. Flacc. VI. Argon. 750. *Essedoniaeque phalanges Marte carent, solisque iuvant clamoribus agmen.* Sic Virg. IX. Aen. 540. *In partem quae peste caret.* Partem turris nondum ardentem. Sed longe plurimi mortalium Marte carent, nihil facientes ut careant. Significandus autem hic erat hominum timor et voluntas carendi, ut mox *metuemus.* Quare verissimam iudico coniecturam Waddelii: *Frustra a cruento Marte cavebimus.* Credo Horatio ante oculos fuisse orationem Sarpedonis apud Homerum in Iliade M. 322. *Εἰ μὲν γὰρ πόλεμον περὶ τόνδε φυγόντε*, essemus immortales, ego a pugna abstinerem, et caverem: *Νῦν δ' ἐμπῆς γὰρ κῆρες ἐφεστάασιν θανάτοιο Μυρίαι, ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν οὐδ' ὑπαλύξαι.* Quam sententiam ex Homero Demosthenes, ex Demosthene alii sunt imitati: v. Bergler. ad Alciphron. I. 25. *Ζῆν μὲν γὰρ καὶ τεθνάναι μεμοίραται*

Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, et Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.
Linquenda tellus, et domus, et placens
Uxor; neque harum, quas colis, arborum
Te, praeter invisas cupressus,
Ulla brevem dominum sequetur.
Absumet haeres Caecuba dignior
Servata centum clavibus: et mero
Tinguet pavimentum superbo,
Pontificum potiore coenis.

ἡμῖν, καὶ οὐκ ἔστι τὸ χρέος φυγεῖν, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις καθείρξας αὐτὸν τηρῇ. Iam a *Marte cavere*, ut *cavere bella* Stat. Silv. II. 6. 30. *qualem nec bella caventem Litore virgineo Thetis occultavit Achillem.* Et sic videntur legisse Scholiastae, interpretantes: *vitamus pugnas.*

Ulla brevem dominum sequetur. MS. Voss. *Vita brevem dominum sequemur.* Addita glossa: »Pro *brevis vitae.*" *Sequemur* alia manus correxit in *sequetur.*

Tinguet pavimentum superbo. Alii e MSS. *superbum.* Alii e coniectura *superbis.* Iunianus Maius de Verborum Significatione: »*Pavimentum*, solum. Horatius: *et mero Tinget pavimentum superbo.*" Sic etiam laudat Scaliger ad Manilium pag. 455. et morem pitysmatis exponit. Pro *tinguet* MS. Voss. *tingent.*

CARMEN XV.

Iam pauca aratro iugera regiae
Moles relinquent: undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu: platanusque caelebs

CARMEN XV.

In nonullis MSS. hoc carmen a superiori non est divisum. Hoc ego in alia causa non memorarem, nunc memorandum indicavi, quia universa ratio, dispositio, sententia et exitus eiusmodi sunt, ut Horatio indignum putem. Tiberius apud Tacitum III. Annal. 53. et 54. ad Senatum de *reprimendo luxu* scripsit longe maiore cum vi et maiestate. Nominavit inter alia, *villarum infinita spatia, leges Augusti spretas; ac, nisi provinciarum copiae et dominis et servitiis et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostraque villae tuebuntur. Cur olim parcimonia pollebat? Quia sibi quisque moderabatur.* Haec et alia Tiberius gravissime in epistola, et oratione soluta. Quid non expectes a poëta Lyrico, et ab Horatio? Excute quid in hoc carmine lateat reconditum. Invenies nihil, nisi hanc sententiam: »Res rustica brevi plane erit deserta. Non ita faciebant maiores nostri — publice divites, privatim pauperes." Cuius sententiae altera pars alteri non plane respondet.

Regiae moles. Moles significant et *aedificia*, et *aggeres* maxime oppositos. Ingrata ambiguitas. Tum *moles* potius hic dicendae erant *regales*. Festus: »*Regium* est, quod aut est, aut fuit regis, *regale* est dignum rege." Cum Fronto: »*Regium*, quod regis, *regale*, quod rege dignum est."

Relinquent. MS. Graev. *relinquunt.*

Platanusque caelebs Evincet ulmos. Versus poëtae negligentia, et qui parum consuluit perspicuitati. Nam neque facile reperias exemplum, in quo illud *caelebs*, nulla addita *vitium* mentione, ita solum ponitur: neque *evincet* est verbum huic loco accommodatum. Nemo quidem cum Scholiastis interpretabitur *numero vincet.* Latine significat: »platanus tam frequens et late crescit, ut propter diffusas radices et ramos ulmi opprimantur et moriantur.

Evincet ulmos. Tum violaria, et
Myrtus, et omnis copia narium,
Spargent olivetis odorem,
Fertilibus domino priori:

tur.'' Sed hoc tantum fieri potest in locis incultis, non in hortis, quos manus artifex quotidie ornare potest. Mitscherlich. putat huius locum Quinctiliano ante oculos fuisse, scribenti Institut. Orat. VIII. 3. § 8. *An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia et violas, et amoenos fontes surgentes, quam ubi plena messis, aut graves fructu vites erunt? Sterilem platanum, tonsasque myrtes, quam maritam ulmum, et uberes oleas praeoptaverim?* Quod si verum est, Quinctilianus vitiosa in his versibus egregie emendavit. Nam quae scripsit, sunt Latina et venusta. *Violas* et *lilia* dixit. Quae varietas in tali re mirifice delectat. Noster nihil praeter *violaria*. Adiecit quidem *copiam narium*. Sed omnis illa copia non tantum apud legentes efficit, quantum sola *lilia*. Multo etiam elegantius, nam caetera non persequar, *sterili platano* opposuit *maritam ulmum*.

Tum violaria, et Myrtus, et omnis copia narium. Particulae *tum tum* hic plane otiosae sunt. Dixerat *iam* moles pauca iugera relinquent. Illud *iam* sufficiebat toti sententiae. Et cur, si notat luxuriem sui temporis, utitur futuro tempore, *spargent*, *excludet*? Consuetudo flores habendi, myrtos et lauros damno agriculturae plantandi, iam diu ante Horatium viguit. Quid autem dicam de *copia narium*? Significat vel *multitudinem narium*, vel *copiam*, *quam nares habent*. Quia praecessit *violaria et myrtus*, faciamus copiam florum bene olentium. Tum hoc accipimus: »et omnis copia florum, quam nares habent.'' Atqui nares non habent eam copiam in sua potestate, sed Romani serunt et colunt suis naribus, ut nares accipiant. Et cui homini, sano iudicio, unquam in mentem venire poterit, ut extra Satyram vel iocosum epigramma, flores appellet *copiam narium*? Vel ipsa rei cogitatio est ridicula. Bene Catullus ad Fabullum de unguento suavissimo: *Quod tu cum olfacies, Deos rogabis, Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.* Tales ioci longe absint a graviori carmine, et Lyrico, quale hoc auctor facere voluit.

Spargent olivetis odorem. Ergo myrtus, violaria et omnis copia narium inter olivas planta-

Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli
Praescriptum et intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque norma.
Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton:

bantur. Quod alienum ab istorum hominum elegantia, et arborum natura. At oliveta, dicunt interpretes, sunt agri olim olivis consiti. Putabam agrum, erutis olivis, non amplius esse olivetum.

Fertilibus domino priori. Gogav. Praeterm. pag. 28. *priorem.* Hoc est, *potiorem* odorem olivetis.

Fervidos Excludet ictus. Hoc vere affirmari potest, neminem, neque Graecum neque Romanum βολὰς et *ictus* ita usurpasse sine addito nomine *solis*, *Phoebi*, caeteris. Hinc Scholiastae etiam de ictu fulminis cogitarunt, cui laurus esse videbatur apta defendendo.

Non ita Romuli Praescriptum et intonsi Catonis Auspiciis. Quantum aetatis vitaeque discrimen inter Romulum et Catonem! *Auspiciis Romuli* nihil praescribi potuit. Leges enim sumtuariae tum demum factae sunt, quum Romani modum excesserant. Et Romanos tempore Catonis non adeo a luxu abhorruisse, satis indicant illius orationes et querelae. *Auspicia* nonnulli pro *exemplo* sumunt. Contra Latinitatem.

Commune magnum. Nempe *illis erat.* Igitur et pauperi Romulo. Et dicere debuerat *communis magnus.* Non potuit metri causa. Quanto melius scripsisset: *communis ingens.* Quod nunc legimus *commune magnum* significat: *civitas erat magna et potens.* Sed hoc fuit respublica Romana in paupere aerario. Elegantius eandem sententiam expressit Sallust. Catil. 9. *In suppliciis Deorum magnifici, domi parci.* v. Cort. Adde Val. Maxim. lib. IV. cap. 4, de paupertate laudata.

Decempedis Metata privatis. In antiquissima editione Prisciani, h. l. citantis, est *mutata.* Forte iam Hieronymus hunc versum legit: nam scribit Epist. V. *Tu amplas porticus et ingentia tectorum spatia metiris.* De porticu, idem dixit Sidon. Apollin.

Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumtu iubentes et Deorum
Templa novo decorare saxo.

Carm. XXII. 179. *Porticus ad gelidos patet hinc aestiva Triones.*

Nec fortuitum spernere cespitem Leges sinebant. Fere omnes, quos novimus, tertiam syllabam in *fortuitus* corripiunt. Quae in contrariam partem afferuntur, valde suspecta sunt. Serv. ad VI. Aen. 169: »Hinc est quod *fortuitus i* et producit et corripit. Iuvenal. XIII. 225. Contra Horat. II. 15. Hic enim, nisi *i* litera longa sit, non stat versus.'' Broukhusius ad hunc locum citavit virorum doctorum ea de re disputationes, Douzae Praecid. Petron. II. 16. Barthii Advers. XVI. 1. Becman. Apolog. pag. 182. Voss. de Arte Gramm. pag. 297. Adde Burman. ad Phaedri II. Fab. 4. Iam vero quot verbis et ambagibus opus est, ut tandem intelligamus, hunc versum. Exponunt: *Leges iubebant domibus exstruendis adhiberi cespites ubique obvios.* Sed, obsecro vos, quaenam leges, cuius aetatis? Veterum et Catonis, non dixeris. Itaque superest Romulus. Sed ipse Romulus habitabat in casa de stramine et cespitibus facta. Nec melius habitabant caeteri Romani. Idque faciebant non consilio, non lege, non exemplo, sed necessitate. Omnes erant pauperes. Et si hae leges referendae sint ad aetatem Romuli, quomodo illud explices, quod eaedem leges iusserint oppida et templa novo saxo decorare? Romani non habebant oppida, quae decorarent, praeter Romam. Templa autem non magis ornabantur, quem aedes privatae. Ovid. I. Fast. 201. *Iupiter angusta vix totus stabat in aede, Inque Iovis dextra fictile fulmen erat.* Propert. IV. 1. *Fictilibus crevere Deis haec aurea templa.* v. Burm. et multa fragmenta ex libro Varronis de *Vita populi Romani*, apud Plinium et Augustinum de Civitate Dei.

CARMEN XVI.

Otium Divos rogat in patenti
Prensus Aegaeo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:

CARMEN XVI.

Iam Homius declaravit, se non perspicere, quomodo sententiae huius carminis essent connexae. Post Homium interpretes frustra conati sunt illud explicare. Mitscherlichius v. c. non ille infelix in hoc genere, postquam argumentum bene exposuit, in annotatione ad singulos versus, ea, quae dixit, tueri non potest, et Horatium culpat, quod notionem *otii* parum accurate constituit, primum de *vita secura*, deinde de *animi tranquillitate* accipiens. Ego dudum suspicatus sum librarium aliquem, in MS. suo, unde nostra originem ducunt, quatuor versus imprudentem omisisse, post versum: *Otium Medi plaustra decori*. Hi fuerunt Sapphicus, Adonius et duo Sapphici, hac fere sententia: *Sed nesciunt quid sit otium. Nam Dei non dant, sed sibi quisque parat. Non tamen potentia nec divitiis.* Ita demum eximius rerum ordo elucescit, et omnia egregie cohaerent. Hanc opinionem mirifice confirmat Comm. Cruq. » *Indicat hac Ode, otium nemini non sese gratum, et optabile: nascritque a Diis id homines stulte precari, cum sibi id praestare possunt, si cupiditatibus modus ponatur, nullis praeterea divitiis aut opibus parari posse.*" Hoc Scholion non esse potuit hominis, qui non plures versus legit, quam nunc legimus. Illud autem: *otium sibi quisque dat*, est elegantiae poëticae et philosophicae. Seneca in noto Thyestae choro: *Nescitis cupidi arcium, Regnum quo iacent loco. Rex est qui metuit nihil, Rex est qui cupiet nihil. Hoc regnum sibi quisque dat.*

In patenti Prensus Aegaeo. Franck. MS. *impatenti*. Et sic alia. Unde Gesnerus legit *impotenti*. Non necessarium. Nam et facilius in magno mari *deprehendimur*, et minor est opportunitas evadendi. *Patens* Aegaeum, ut alibi *magnum*. Statius III. Theb. 433. *Magnoque volantes Iniicit Aegaeo.*

Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpura venale, nec auro.
Non enim gazae, neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis, et Curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum:
Nec leves somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

Vivitur parvo bene, cui paternum. Explicant: *Bene illi, ob illo vivitur, cui salinum splendet, et cui timor non adimit somnos.* Dura constructionis ratio! Magis etiam apparet, si dicam: *Bene vivitur, cui sua placent.* Melius illud est III. Carm. 16. *Bene est, cui Deus obtulit Parca, quod satis est, manu.* Rutgersius locum ita distinxit: *Vivitur parvo bene: Cui paternum* sq. Et sic diu post Rutgersium voluit Kohlius in Comment. Crit. p. 105. Ita durities constructionis quidem tollitur; nam ea nunc talis est: Cui salinum splendet, *illi* timor non adimit somnos: ut III. Carm. 1. *Destrictus ensis cui super impia Cervice pendet, non Siculae dapes Dulcem elaborabunt saporem.* Sed sententia quae ex tali constructione redit, non vera est. Nam non omnes, quibus in mensa tenui splendet salinum, contenti sunt, neque liberi sordida cupidine. Parva mutatione Horatio suam manum restituamus: *Vivitur parvo bene, ubi paternum.* Ibi bene vivitur parvo, ubi aliquis in re tenui et mundo Lare nihil timet, nihil cupit. Hoc est illud otium, quod non Dei nec thesauri, sed sibi quisque, si velit, parat. Comm. Cruq. laudat versum ex Lucani Pharsalia V. 527. *o vitae tuta facultas Pauperis angustique Laris.* Hic locus Cortium et alios latuit, qui apud Lucanum pro *Lares* bene correxerunt *Laris.* Et sic legitur in Hildeberto Moral. Philos. pag. 988.

Nec leves somnos timor aut cupido Sordidus aufert. Somni

Quid brevi fortes iaculamur aevo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriae quis exsul
Se quoque fugit?

leves, lenes, faciles, sunt *securi*. Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 1051. locum Horatii de memoria videtur promsisse, neque adeo cogitasse, quid rerum sententia postularet. Nam interpretatur: *Leves somni eorum, qui non secure dormiunt ac supine.* Pro *sordidus* in MS. inveni *sordibus.*

Quid brevi fortes iaculamur aevo. Fortes, ut Mosschus in Epitaphio Bionis 109. *Ἄμμες δ' οἱ μεγάλοι, καὶ καρτεροὶ, ἢ σοφοὶ ἄνδρες, Ὁππότε πρῶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ, Εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον.* Translationem *iaculandi* Graecam illustravit Wyttenbach. ad Plutarch. Moral. T. I. Animadv. pag. 282.

Quid terras alio calentes Sole mutamus? Patriae quis exsul Se quoque fugit. Bentleius haec non ita expediit, ut nihil, quod nos moretur, remanserit. Si probasset, cum scriptores dicunt *muto sedem*, eam sedem intelligi tam futuram quam praesentem, ipsi concederem. Sed in eo mihi non persuasit. Quoties enim loquimur de terra, regione, quam mutamus, neque addimus nomen proprium, nemo aliam intelliget, quam quae nostra est. Hoc rei ipsius natura audienti et legenti tacita ostendit. Horat. Carm. Saecul. vs. 39. *Iussa pars mutare Lares et urbem.* Ibi Bentleius putat nihil referre utrum interpreteris Romam, quo ituri essent, an Troiam, unde ituri. Sed *urbs*, quo ituri essent, nondum erat. Et quo tempore Troiam relinquebant, de regione, ubi consistere iis liceret, deque urbe, an unquam habituri essent, omnia erant incerta. Iussi igitur sunt mutare *suam urbem*, sed *qua urbe* non quaeritur. Exempla Plinii quoque non ita, ut vult Bentleius, accipienda sunt. Plin. v. c. Nat. Hist. II. 37. *Volucres sedem ex sede mutantur.* Vir magnus luce clarius arbitratur, *mutare sedem*, quo nondum venerant, *ex sede*, ubi tunc erant. Ego dicerem: *sedem*, *quam nunc* ex altera sede, post priorem sedem tenent, iterum mutare cum nova. *Ex* in his et similibus notat fere *post*. Terent. Eunuch. V. 5. 17. *Aliud ex alio malum.* Sallust. Fragm. Hist. p. 947. *Tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt.* Liv. IV. 2. *Alis ex aliis bella serere.* Sententia igitur versus Horatiani huc redi-

Scandit aeratas vitiosa naves
Cura: nec turmas equitum relinquit,

ret: Quid mutamus terras calentes alio sole, quid, habitantes in terris peregrinis non nostro sole calentibus, eas terras continuo relinquimus, et alias peregrinas petimus? Sic Hieronym. Ep. 87. *Quid necesse est obsidere Propontidem, mutare loca, diversas lustrare regiones?* Ita vero apud Horatium non instituitur comparatio regionis externae cum patria, sed locorum peregrinorum cum peregrinis. Quae quam aliena sint a consilio Horatii, nemo non videt. Sed vulgata lectio alteram admittit, imo suadet, eamque elegantem interpretationem, hanc nempe: »Quid calentes terras mutamus alio sole:" hoc est, quid cedimus ex locis calidis in frigidiora, ex coelo meridionali in septentrionale. Elegans, inquam, interpretatio, sed a sententia loci etiam magis abhorrens, quam illa altera. Quidni potius recidimus istas difficultates, legendo: *Quid terras alio calentes Sole, mutamus patria?* Ingeniose, quisquis auctor sit huius emendationis. Claudian. Bello Gildon. 118. *Palatinis mutasti collibus Idam.* Paullin. Carm. pag. 43. *Mutavit patrias externo cespite terras.* v. interpr. ad Horat. I. Carm. 17. 2. Diceres ita quoque legisse Ianum Secundum et Ianum Douzam, excellentis iudicii et elegantiae poëtas Batavos. I. Secundus Carm. p. 155. *Et dicat: patria quis te mutare relicta Ferventes alio sole coëgit agros.* Douza Carm. p. 103. *Incauto iuveni patria mutare relicta Flagrantes alio sidere iussit agros.* Oudendorpius ad Lucanum VIII. 217. vulgatam lectionem defendit. Burman. etiam in Anthol. Latin. Vol. II. p. 528: plane immemor eorum, quae scripserat ad Lotichii Poëmat. p. 48. et, quod mireris, in ipsa Anthol. Vol. II. p. 291. Neque vereor, ne amittamus antitheti gratiam, quam esse dicunt in vulgatis *quis, qui patriam fugit, se quoque fugit.* Nam *exsul*, et *exsul patriae*, plane idem sunt. Et, si velis, *patriae* repetere poteris ex antecedentibus. Quamquam idem facere liceat in sola voce *exsul.* Quis, qui solum paternum fugit, se quoque fugit? Caeterum, quin *exsul patriae* et *patria* recte dicatur, non dubitandum est. Sallustius Iugurth. 14. *Exsul patria, domo.* Hieronym. Epist. 39. *Quis enim monachorum exsul patriae, non exsul est mundi.*

Scandit aeratas vitiosa naves. Puppes excerpta Bodleian. Quod mihi elegantius videtur. Nam locus in puppibus honoratior, ibique sunt domini et duces.

Ocior cervis, et agente nimbos
Ocior Euro.
Laetus in praesens animus, quod ultra est,
Oderit curare, et amara lento
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus:
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.

Laetus in praesens animus, quod ultra est, Oderit curare, et amara lento Temperet risu. Bentleius *animi*, *oderis*, *temperes*. Probat, ut videtur, Runhk. ad Vellei. Patero. II. 93. Nemo autem illud *laetus animi* accuratius illustravit Heinsio ad Ovid. VII. Metam. 435. ad Virgil. I. Aen. 441. et in Adversar. p. 229. Ego vulgata non moveam, nisi mutato *temperet* in *temperes*. Nam animo *risum lentum* non tribuerim. Bentleius et hoc mutat, scribens *leni risu*. Sed *lenis risus* est ex animi sententia. Ex animi autem sententia in rebus amaris nemo ridet. At, inquit Bentleius, *risus lentus* sine exemplo est. Neque ego aliquod inveni. Si tamen omnes animi affectus ridendo significamus, ridentes *leniter*, *acerbe*, *amare*, quidni et animum in rebus adversis *lentum*, risu lento indicemus? Qualis sit homo *lentus*, exposuerunt Gronovius ad Herc. Oetei vs. 1281. Heins. ad Ovid. Heroid. XV. 169. et Ernestus ad Tacit. Annal. III. 70.

Et mihi forsan, tibi quod negarit, Porriget hora. Hoc Horatius ne ioco quidem dixisset: humanitas enim postulat, ut in tali de futuris rebus coniectura, nobis ipsi adversa, amicis prospera esse eventura auguremur. Legendum: *Et tibi forsan, mihi quod negarit, Porriget hora.* Quae aliter, atque fieri video, interpretanda iudico. Nempe: *nihil, nemo plane beatus est. Hic brevi, ille diu vivit. Forte te longior, me brevior vita manet.* Porrigere est *extendere*. v. Burm. ad Rutil. Itin. I. 133.

Te greges centum Siculaeque circum
Mugiunt vaccae; tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis Afro
Murice tinctae
Vestiunt lanae: mihi parva rura, et
Spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit, et malignum
Spernere vulgus.

Te greges centum. Quintilian. Declam. XIII. 13. *Tibi omne armentis mugiet nemus, tu gregibus arva sulcabis.*

Spiritum Graiae tenuem Camenae. Hieron. Epist. 107. *Tenuis mihi est spiritus ad implendam eius tam magnificam dicendi tubam.*

Parca non mendax. Tertullian. de Pallio cap. 2. *Sibylla non mendax.*

CARMEN XVII.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec Dîs amicum est, nec mihi, te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus, columenque rerum.
Ah! te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera,

CARMEN XVII.

Carmen pulchrum, si plus quam dimidiam partem demseris. Nunc enim turpiter atrum desinit in piscem mulier formosa superne. Antiqui Scholiastae non videntur postrema cognovisse. Ex antiquis autem fluxerunt Commentarii hodie superstites. Vide hoc argumentum Comm. Cruq. »*Maecenati scribit, conquerenti de periculo suo, et pro praesenti statu optanti mortem; pro cuius affectu et amore, dicit se ei mortuo nolle supervivere, sed quodam quasi sacramento devinctum, in morte sociandum, cui fuerat in vita coniunctus.*" Nihil hic de constellatione illa Horatii et Maecenatis, altera totius carminis, ut nunc legitur, parte. Si vidissent Scholiastae antiqui, sine dubio addidissent vel haec, vel his similia: *Quod confirmat similitudine utriusque genituraе.*

Obire Maecenas. Hic ego mallem *abire.* Dictum in re tristi mitius, praecipue Maecenati, qui mortem tantopere timebat. Melius etiam convenit cum sequentibus: *utcumque praecedes, ibimus, parati comites carpere iter supremum.* De verbo *abire* pauca dicemus ad Carm. IV. 7.

Quid moror altera. Burman. ad Val. Flacci VI. Argon. 733. legit: *quid moror alteram*, et ad Virgil. II. Aen. 647. *quid morer alteram:* usus in utroque loco iisdem fere ad confirmandam coniecturam exemplis. *Moror* efficacius est, quam *morer*, et melius etiam propter praecedens *si te rapit.* Quid moror *alteram partem*, dictum esset argutius: et intelligenda forent *ad te ire cupientem.* In qua re inepte lusit Auson. Epigr. 105. Mallem: *Ah! te meae si partem animae rapit Maturior vis, quid moror? alterâ Nec carus aeque.*

Nec carus aeque, nec superstes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcumque praecedes, supremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimaerae spiritus igneae,
Nec, si resurgat, centimanus Gyges,

Morte tua dimidiam animae meae partem tecum feres. Quid ego amplius vivam, qui in altera parte nec mihi ipse tam carus sim futurus, quam eram integer, nondum avulsa meliore parte. Ovid. VIII. Metam. 406. *O me mihi carior, inquit: Pars animae consiste meae.* Anthol. Lat. I. pag. 439. *Nunc pars optima me mei reliquit.* v. Heins. ad Ovid. I. Pont. VI. 17. *Altera parte* dictum, ut Ovid. XV. Metam. 875. *Parte tamen meliore mei super alta perennis Astra ferar.* Martialis X. Epigr. 2. *Et meliore tui parte superstes eris.* Quintilian. IX. 23. *Video senem meliore sui parte praesepultum.* Gunther. Lig. IV. 195. *Parte sui maiore vacat.* Bothius etiam coniecit *alterâ.*

Ille dies. Quaedam MSS. *illa.* Quod non spernendum. Ovid. XV. Metam. 873. *Cum volet illa dies.*

Carpere iter comites parati. Ovid. III. Metam. 58. *aut ultor vestrae mortis aut comes ero.* Tacit. III. Annal. 15. *Se comitem exitii promittebat.* Valer. Max. V. 5. *Comes fraternae neci non defuit.* IX. 3. *Accipe me fati tui comitem.* Quintil. Declam. IX. 8. *Utrum vicarium mallem habere mortis, an comitem. Carpere iter* illustrant interpretes ad Appulei. I. Metam. pag. 57.

Me nec Chimaerae spiritus igneae. Horatius vere et ex animi sententia scripsit, se mortuo Maecenati futurum esse comitem. Ridiculae sunt in tam gravi sententia aniles fabulae, Chimaera, et Gyges. Virgil. VI. Aen. 286. dixit in foribus Orci stabulare Briarea centumgeminum, et armatam flammis Chimaeram. Credo poëtam inde *Gygen*, nam *Briareo* locus non erat a metro, *centimanum*, et *spiritum* igneae Chimaerae sumsisse.

Nec, si resurgat, centimanus Gyges. Vere Bentleius *Gyges*, pro *Gigas* vel *Gyas.* v. et Suidam in *Τριτοπάτορες*, et Vales. ad Har-

Divellet unquam. Sic potenti
Iustitiae, placitumque Parcis.
Seu Libra, seu me Scorpius adspicit
Formidolosus, pars violentior
Natalis horae, seu tyrannus
Hesperiae Capricornus undae:

pocration. p. 224. Non autem metus erat ne resurgeret, qui fulmine ad imum Tartari fundum esset deiectus. Mirum, ni cogitaverit Enceladum Virgilii sub Aetna *latus mutantem.*

Iustitiae, placitumque Parcis. *Iustitia* poëtarum Romanorum est eadem quae *Astraea*, curans ius et leges: cuius imaginem ex Chrysippo depinxit A. Gellius N. Attic. XIV. 4. Quomodo talis Iustitia una cum Parcis Horatio suam sortem destinaverit, intellectu difficile est. Dea, quae singulorum hominum, eorumque sceleratorum, facta videt et punit, non Iustitia, sed *Nemesis* vel *Poena* appellatur. Graeci, utramque, et Iustitiam et Poenam, vocant *Δίκην*.

Seu Libra, seu me Scorpius adspicit. Viderunt haec figmenta Serv. ad I. Georg. 336. et IV. Aen. 180. Scholiasta Persii Sat. V. 45. Priscian. pag. 1157. et alii. Sed hi suas aures in notandis huiusmodi versibus non exercuerant, et ipsi, nullo monente, nihil tale suspicabantur. At suspicionem movere iam debuit sententia, quae ex additamento redundat: »Quaecumque sidera natalitia mihi obtigerint, egregie cum tuis conveniunt. Nam tu et ego olim feliciter in praesenti vitae periculo servati fuimus. Ergo Diis solve vota. Ego faciam agna." Longa disputatione opus est, ut ostendas, quomodo haec cum altera parte carminis, quam genuinam putamus, conveniant. Sed exploremus singula.

Seu libra seu me Scorpius adspicit. Horatius artem Mathematicam contemnebat. Ostendit I. Carm. 11. Sed homines, dicit aliquis, mutamus opiniones. Audio. Et iam Horatius multum tribuerit Astrologiae. Sed quomodo, si iam multum tribuerit, ignorare potuit suum thema? Scripsisset: »*Libra me adspicit*:" vel »*Scorpius me adspicit.*" Hoc ab astrologis indicatum, Romani probe memoria tenebant. Augustus, apud Suetonium 94: *Agrippa consulvit Theogenem Mathematicum. Is Agrippae magna et pene incredibilia praedixit. Au-*

Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. Te Iovis impio

gustus reticebat suam genituram, metu ac pudore ne minor inveniretur. Tandem edita, Theogenes exsiluit, adoravitque eum. Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota sideris Capricorni, qua natus est, percusserit. An igitur Augustus unquam dixisset: *Seu me Capricornus, seu Libra adspicit?* Novit Horatius thema Maecenatis, de suo, quasi nullius momenti, dubitat, et tamen affirmat, utrumque incredibili modo convenire. Praeterea ista stellarum recensio contraria est disciplinae astrologicae, quam interpretes hic dicunt Horatium vel parum curasse, vel non novisse. Non novisse poëtam constat, an curare debuerit, vidimus. Sed fac non curasse. Nihil iam superest, quod dicamus, nisi haec eum ioco scripsisse. Ioco autem? In re tam seria, ad amicum, et Maecenatem aegrotantem? Multa iam dixi contra unum hunc versum. Neque tamen omnia. Nam contendo *adspicit* in hac re non esse tolerandum. Nihil enim refert, quae sidera aliquem adspiciant, sed quae *nascentem* adspexerint. Scribere debuisset versificator *adspexit*. Non tulit metri ratio.

Utrumque nostrum incredibili modo Consentit astrum. Incredibili modo humile, et indignum carmine lyrico, magis etiam, quam *utrumque nostrum astrum.* Sed haec dudum alios offenderunt. Iam astrum Horatii et Maecenatis *incredibili modo* consentit, est, nati sunt uno et eodem temporis puncto, in eadem omnino siderum positione. Hinc autem, ut dicit Cicero de Divin. II. 42. *utcumque tum aër esset temperatus, ita pueri orientes animabantur, atque formabantur, ex eoque ingenia, mores, animus, corpus, actio vitae, casus cuiusque, eventusque fingebantur.* Atqui horum nihil simile erat in Maecenate et Horatio, si exceperis, utrumque olim magnum aliquod periculum evasisse, et Musas, sed diverso modo, amasse. Caeterum, quae res in Horoscopo praecipue notabantur, Horatius erat ignobilis, pauper, bona valetudine, Maecenas nobilis, dives, tenui valetudine. Tali argumento motus Augustinus in Confession. VII. 6. hanc artem contemsit. *Hera et serva cum enixae essent ambae simul, ita ut easdem constellationes, usque ad easdem minutias, utrique nascenti facere cogerentur. Alia positio siderum, aliae particulae momentorum notari non poterant. Et tamen ul-*

Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque Fati
Tardavit alas, quum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit sonum:
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra levasset, Mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas

ter fiebat dives et honoratus, alter manebat servus et pauper.

Te Iovis impio Tutela Saturno refulgens. Non dubito poetam haec petiisse e Persio V. 45. *Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo Consentire dies, et ab uno sidere duci. Nostra vel aequali suspendit tempora Libra Parca tenax veri. Seu nata fidelibus hora Dividit in Geminos concordia fata duorum, Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una, Nescio quod certe est, quod me tibi temperat astrum.* Haec Persius ad Cornutum amicum, de illa sua animorum studiorumque coniunctione, quae vix esse posset fortuita. Itaque fere in eam adducor opinionem, inquit Persius, ut credam nobis nascentibus idem astrum affulsisse, quodcumque demum illud fuerit, seu Libra, seu Gemini, seu Iupiter et Saturnus. Compara iam cum illa pulchrorum versuum perspicuitate obscuros et intricatos Horatianos, in quibus ne eadem quidem utrique tribuuntur sidera, et dices verba Persii Romano esse digna, Horatii autem stolido furto ex iis derivata.

Ter crepuit sonum. Titius ad Calpurn. VII. 29. accepit *ter* de tribus spectatorum ordinibus. Sed debemus illud metro, et imitationi Propert. III. 8. 3. ubi Camenae: *Natalis nostrae signum misere puellae, Et manibus faustos ter crepuere sonos.*

Faunus ictum Dextra levasset. Levasset pro *avertisset.* Contra naturam vocis. Mirum quoque hic salutem tribui Fauno, in Carmine ipso de hoc casu arboris II. 13. nullam fieri mentionem Fauni, et in III. 8. servatorem appellari *Liberum.*

Reddere victimas. Quare Maecenas redderet, qui etiam morbo laborabat, adeo ut amicum suis querelis exanimaret, certo sibi esse moriendum? Quare Horatius

Aedemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

feriret agnam? Maecenati nondum restituta valetudine? An quia ipse olim, Fauno ictum arboris avertente, servatus erat? Sed hoc facere solebant ipso die redditae salutis revertente. v. Carm. III. 8.

CARMEN XVIII.

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas

CARMEN XVIII.

Mea renidet in domo lacunar. Stephanus talem lectionem vidit: *Meis in aedibus nitet lacunar.* Istiusmodi variationes, a librariis factas, saepe, et in aliis poëtis, deprehendimus. Vulgata elegantior, et probata quodammodo ab Arnobio VI. pag. 191. *Sint ergo haeç licet ex molibus marmoreis structa, laquearibus aut renideant aureis.* Seneca ad Helvidiam 10. *Quorum tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis nitebant.* Ubi e MSS. nostris legendum *renidebant.* Hieron. Epist. 34. *Auro splendent laquearia.* Quintil. Declam. IX. 17. *Non me aurata laquearia, non radiantes marmore columnae, nec graves crustae fecerunt immemorem frugalitatis.*

Non trabes Hymettiae. Marmor Thebaicum, dicunt Acro et Comment. Cruq. Sed legendum est, ut in Porphyrione, *Achaicum.* Nonnulli recentiores hunc errorem latius propagarunt, addentes quoque fuisse candidi coloris. Coloris diversitas eos alia docere potuerat. Nam marmor *Hymettium* seu *Achaicum* (Grae-

Africa: neque Attali
Ignotus haeres regiam occupavi:
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestae purpuras clientae.
At fides et ingenî
Benigna vena est, pauperemque dives
Me petit: nihil supra
Deos lacesso, nec potentem amicum

cia tunc dicebatur Achaia) erat candidi coloris, *Thebaicum*, ex Aegypto, nigri vel ferrei. Caeterum marmoris *Achaici* nullam apud veteres scriptores inveni mentionem, neque apud recentiores, qui de marmoribus scripsere, Caryophilum, Bottigerum, Beckium, alios.

Ignotus haeres regiam occupavi. Ita Graecus poëta apud Plutarch. Moral. T. II. p. 1021. dixisse videtur ἀγνοούμενος κληρονόμος. *Regiam occupat*, quia, qui haeres ex asse scriptus est, domum quoque occupat.

Nec Laconicas mihi Trahunt honestae purpuras clientae. Locus etiam hanc interpretationem admittit, quae tamen, ni fallor, haud nova est. *Pulchrae clientae non mihi, mei honoris causa et ut mihi placeant, in longis purpureis vestibus incedunt, et ad me veniunt. Honesta* saepe est idem quod *formosa*: v. Ruhnk. ad Terentium pag. 19. *Mihi*, ut Tibull. IV. 1. *Sulpitia est tibi culta.* Propert. I. 15. *Nec minus Eois pectus radiare lapillis, Ut formosa novo quae parat ire viro. Trahunt purpuras*, ita ipse Horat. Art. Poët. 215. *Traxitque vagus per pulpita vestem.* Ambrosius, T. II. pag. 153. *Per humum trahitur vestis aurata.* Valer. Max. VII. 8. *Togamque, velut tragicam vestem, in foro trahens.* Anaxilas apud Athen. XII. 70. Ξανθοῖς τε μύροις χρῶτα λιπαίνων, Χλανίδας θ' ἕλκων, θλαύτας σύρων.

Pauperemque dives Me petit. Contra, ac vulgo fit. Fragment. Nepotis p. 724. *Qui habet, ultro appetitur: qui est pauper, aspernatur.*

Potentem amicum. Qui gratia apud Augustum valebat. Vide Ruhnkenium ad Rutil. Lupum II. pag. 73. et Burmann. ad Quintil. Instit. V. 12.

Largiora flagito,
  Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
  Novaeque pergunt interire Lunae:
Tu secanda marmora
  Locas sub ipsum funus; et, sepulcri
Immemor, struis domos;
  Marisque Baiis obstrepentis urgues
Summovere litora,
  Parum locuples continente ripa.

Marisque Baiis obstrepentis urgues Summovere litora. Qui parum locuples est continente ripa, cui litora non sufficiunt ad domos novas aedificandas, adeo ut in ipso mari struat, quomodo is litora *summovet*? *Litus* et *mare* in hac re opposita sunt. Mari *summoto*, *crescit* litus. Litore *summoto*, *crescit* mare. Altero aucto, alterum contrahitur. Legendum puto: *Marisque Baiis obstrepentis urgues Promovere litora.* Quasi terra ei deficiat, in qua aedificare possit, litora promovet, extendit, mare summovet. Vide quantopere ista emendatio his exemplis, ad ipsam illam aedificandi insaniam pertinentibus, confirmetur. Strabo V. p. 169. *Τῇ χέλικι καταμίξαντες τὴν ἀμμοκονίαν, προβάλλουσι χώματα εἰς τὴν θάλατταν.* Manil. IV. 265. *Litoribusque novis per luxum illudere ponto.* Seneca de Tranq. An. cap. 8. *Incipiemus aedificia alia ponere, alia subvertere, et mare submovere.* Rutil. Itiner. I. 527. *Inde Triturritam petimus, sic villa vocatur, Quae iacet expulsis insula paene fretis.* Cassiod. IX 6. Variar. *Quantis ibi molibus marini termini decenter invasi sunt. Quantis spatiis in visceribus aequoris terra promota est?* Seneca Thyest. 460. *retro mare Iacta fugamus mole.* Sidon. Apollin. Carm. II. 57. *itur in aequor Molibus, et veteres tellus nova contrahit undas.* Adde Gronovium Diatribe Stat. IV. pag. 253. qui tamen loca Horatii inter aliena exempla posuit, et Cortium ad Plinii Epist. VI. 20. et VIII. 20.

Quid, quod usque proximos
  Revellis agri terminos, et ultra
Limites clientium
  Salis avarus? Pellitur paternos
In sinu ferens Deos
  Et uxor, et vir, sordidosque natos.
Nulla certior tamen,
  Rapacis Orci fine destinata

Revellis agri terminos. Clientes habebant suum quisque agrum. Parvi agri non ab una parte vicini erant magnis patroni opulenti. Hinc: *Revellis agris terminos.* De expoliandis istis vicinorum v. Bauer. ad Flor. III. 14. Sueton. Octavian. 4. Lactantius V. Institt. 2. *Et confines suos, quos sudibus agriique pulsabat, a suo repetendo retardaret.* Adde Capitolinum in Pertinace 9. Ambros. Oper. Tom. I. pag. 565. *Quis opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem civili ruris claudere finibus! Hoc metu pervitum hominum genus cedit iam suis terris, migrat cum parvulis pauper, omnibus pignore suo. Sequitur uxor illacrymans, tamquam ad bustum procequatur maritum.* Ex Augustino de Civitate Dei XXI. 4. discimus eos, qui limites figebant, *subterrere carbones*, ad convincendum litigatorem. Quia carbones nec humore nec aetate corrumpuntur.

In sinu ferens. Tacitus I. Annal. 40. *Incedebat profugo ducis uxor, parvulum sinu filium gerens.*

Rapacis Orci fine destinata. Orcus h. l. est Deus, Pluto. Itaque dicitur rapax, et mox *Satiiro* Orci memoratur. Bentleius legit caparis, eique videtur favere Rubnkenius ad Hymn. Cereris vs. 9. Sedes Orci, et ipse Orcus (locus, non persona) dicitur capax, sed quando ingens umbrarum multitudo memoratur, sive Plutonis potentia intelligitur, qui tantum habent imperium. Horat. III. Carm. 1. *Omne capax movet urna nomen.* Sil. Ital. XII. 761. *Umbrarum hac agitur torrens, rectatque caparis Aquina nato Charon, et sufficit improba puppis.* Seneca Oedip. 166. *Quique capaci turbida cymba Flumina servat durus senio Navita crudo, vix assiduo Brachia conto lassata refert, Fessus*

Aula divitem manet
Herum. Quid ultra tendis? Aequa tellus
Pauperi recluditur,
Regumque pueris: nec satelles Orci

turbam *vectare novam*. Herc. Fur. 658. *Fas omne mundi, teque dominantem precor Regno capaci*. Horatius autem loquitur de *uno hero*, ad quem recipiendum, non sane operae erat, dici orcum *capacem*. Et, ut vidimus, *Orcus*, vel propter *satellitem* suum, nisi de *Plutone* accipi non potest. Propter *finem* rursus, uti et Bentleius urguet, aptius est epitheton *capacis*. Itaque in eo vitium verti arbitror. Pro *fine* MSS. quaedam, et Serv. ad Virgil. VI. Aen. 152. habent *sede*. Hinc forte scribendum: *Rapacis Orci lege destinata*. Non certior aula manet herum divitem, quam quae illi destinata est lege Orci rapacis. Callim. Epigr. II. *Αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες, ἧσιν ὁ πάντων Ἁρπακτὴρ Ἀΐδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ*. Inscriptio apud Gruterum pag. 689. *Orcus eripuit mihi*. Petron. cap. 34. *nos auferet Orcus*. Frequens in titulis sepulcralibus *ἥρπασε Λαίμων*. *Aula* etiam Graece de sede mortuorum. Eurip. Alcest. 268. *ἄγει μέ τις νεκρῶν ἐς αὐλάν*. *Leges* et *sedes* in MSS. mutatae, et alterum pro altero a Criticis saepe repositum est. *Lex* et *leges* de regno inferno frequentantur. Albinov. Eleg. I. 360. *Omnia sub leges mors vocat atra suas*. Propert. IV. 11. 3. *Quum semel infernas intrarunt funera leges*. Seneca Thyest. 74. *Quicunque poenas lege Fatorum datas Pati iuberis*. Ovidius X. Metam. 203. *Fatali lege tenemur*.

Aequa tellus Pauperi recluditur, Regumque pueris. Interpretes parum curasse videntur verba Comment. Cruq. »*Frustra spolias, avare, pauperes, et divitiarum moles congeris, cum sis mortalis, et sepeliendus aequali terrae mensura cum pauper*." Talis interpretatio optime convenit sententiae Horatianae. Perstrinxerat divitem, qui, quamvis latissimos agrorum fines complexus, vicinos pauperes de suis quoque agellis expellebat. Et tamen post mortem nihilo plus terrae accipiebat, quam pauperrimus. Dicti acumen a multis adhibitum est. Leonidas in Anthol. lib. III. cap. 6. *Ὁ πρὶν καὶ Γύγη παρισεύμενος ὄλβον, ὁ τὸ πρὶν Βουπάμμων, ὁ πρὶν πλούσιος αἰπολίοις, Ὁ πρὶν, τί πλείω μυθεῦμ', ἐπὶ πᾶσι μακαρτὸς, Φεῦ, οὗτος*

Callidum Promethea
Revexit, auro captus. Hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coërcet; hic levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus atque non vocatus audit.

γαίας ὅσον ἔχει κόσμον. Arrianus Exped. Alex. VII. p. 462. fecit Indos sapientes Alexandro dicere: Ἀλλ' ἐνταῦθα τοσοῦτον κεφάλαιον τῆς γῆς, ὅσον ἔχομεν, ἐπεδείξαμεν τὸ τοσοῦτον. Vellei. Paterc. II. 53. *Cui modo ad victoriam terra defuerat, decerat ad sepulcrum*: v. Rubnken. Ante omnes fuvet locum Ovid. V. Metam. 134. de Dorda, quo nemo latius possederat. Huic occiso hostis sic insultans: *Hoc, quod premis, inquit, habeto De tot agris terrae.* Stat. Theb. XII. 328. *proiectus cespite nudo. Hoc patriae telluris habes.* Ambrosius Oper. Tom. I. pag. 565. videtur Horatium ante oculos habuisse: *Terra necavit fines possessionum sepulcro includere. Cespes angustus aeque et pauperi abundat et diviti.* Philarg. ad Virgil. Eclog. III. 105. narrat Cornificium ab ipso Virgilio audivisse, quod illo versu Coelium Mantuanum quendam tetigit, qui, consumtis omnibus facultatibus, nihil sibi reliquit, *nisi locum trium ulnarum ad sepulturam.* Gualter. Alexandr. X. pag. 223: *Cui non suffecerat orbis, Sufficit exiguo de fonte marmore terra Quinque pedum fabricata domus.*

Revexit auro captus. MSS. *revinxit, revirit, remisit. Remittere* est Orci ipsius, non tutelatis. Lact. V. Instit. 14. *Apud Lucilium disserens Neptunus de re difficillima, ostendit non posse id explicari, nec si Carmenden ipsum Orcus remittat.*

Vocatus atque non vocatus audit. Non vocatus, quando pauper finem laborum non palam erat, sed tacite optat. Heliodor. IV. Aethiop. p. 194. Τὸ θεῖον ἐπίκουρον γίγνεται καὶ ἄκλητον, εὐπρεπείᾳ πολλάκις φθάνον τὴν αἴτησιν. Boëthius Consol. Philos. I. Metr. I. *Mors hominum felix, quae te nec dulcibus annis Inseris, et precibus saepe vocata venis. Audit vocatus*, ut Virgil. IV. Georg. 7. *Auditque vocatus Apollo. Functus laboribus*, est ut in noto versu apud Plutarchum Moral. Tom. I. pag. 136. θανόντα καὶ πόνων κεκαμμένον: quem Cicero I. Tusc. Quaest. 48. vertit: *qui labores morte finisset graves.*

CARMEN XIX.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite posteri!
Nymphasque discentes; et aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Evoë! recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Laetatur. Evoë! parce, Liber!
Parce, gravi metuende thyrso!
Fas pervicaces est mihi Thyiadas,
Vinique fontem, lactis et uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapsa cavis iterare mella:
Fas et beatae coniugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei
Disiecta non leni ruina,
Thracis et exitium Lycurgi.

CARMEN XIX.

Vidi docentem, credite posteri. Sil. Ital. XIII. 642. *Vidi, crede, Iovem.*

Evoë! recenti mens trepidat metu. Guietus quatuor versus delet. Nec sane elegans est repetitio *Bacchi*, et *Bacchum vidi*. An Commentarius legerit *Bacchi*, nescio. Interpretatur: *praesentiae numinis.*

Fas pervicaces est mihi. Sil. Ital. I. 19. *Tantarum causas irarum Fas aperire mihi, superasque recludere mentes.* Ausonius Mosell. 443. *fas mihi sacrum Perstrinxisse amnem tenui libamine Musae.* In quibus exemplis verbum *est* omittitur. Bentleius hic volebat: *fas pervicaces sit mihi.*

Fas et beatae coniugis additum Stellis honorem. Nulla prae-

Tu flectis amnes, tu mare barbarum:
Tu separatis uvidus in iugis
Nodo coërces viperino
Bistonidum sine fraude crines.
Tu, quum Parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis
Unguibus, horribilique mala;

cessit mentio *coronae*. Ideo obscurum est, quid sit *honos coniugis*. Melius apud Avienum *Ariadnaei capitis honos*. Ex addito enim *capite* facile *coronam* intelligimus. Sic Serenus Sammon. de Medic. 180. capillos, de quibus locutus erat, vocat *capitis honorem*. Credo Horatium scripsisse *additam Stellis coronam*. Quamquam magis poëticae esset consuetudinis: *Fas et coronam coniugis additum Stellis honorem*. Virgilius VIII. Aen. 307. *Salve vera Iovis proles, decus addite Diris*. Auson. Mosellae 149. de pisce qui est *magno honor additus amni*.

Bistonidum sine fraude crines. Interpretes faciunt Bacchum crines Bistonidum coërcere nodo viperino. Maior virtus et laus Bacchi est, si suos ipse crines viperis coërceat. Verba sic ordinanda puto: Tu coërces crines nodo viperino Bistonidum, qualem nodum gestant Bistonides. Erant et Baccho longi crines, quos furens, coërcet.

Rhoetum retorsisti leonis Unguibus, horribilique mala. Bentleius *horribilisque*. Facies orationem magis poëticam, legendo: *Rhoetum retorsisti in leonis Unguibus horribilique mala*. Pugnans in forma leonis, in unguibus et mala leonis, in leone. Ovid. V. Metam. 329. *Delius in corvo latuit*. XV. Metam. 670. *In serpente Deus praenuntia sibila misit*. Seneca Octav. 207. *Aureus idem fluxit in imbri*. Appuleius VI. Metam. pag. 440. *Quod si vere Iupiter mugivit in bove*. Ubi tamen Oudendorpius malebat *in bovem*, probante, ut videtur, Ruhnk. in Praefat. Lexici Scheller. p. IX. Tamen et Ambros. Oper. T. II. pag. 834. *Ubi tunc erat Iupiter? An in ansere loquebatur*. Eodem fere pertinent illa scenica, v. c. ap. Ovidium Rem. Amor. 384. *Peccat, in Andromache Thaida si quis agat*. v. Gronov. ad Senecae Herc. Fur.

Quamquam, choreis aptior et iocis
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnae ferebaris; sed idem
Pacis eras, mediusque belli.
Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, et recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

initium, et interpret. ad Ausonii Epigr. 84.

Quamquam, choreis aptior et iocis. Quatuor versus sapiunt glossam, in metrum redactam. Glossa erat fere huiusmodi: »quamquam Bacchus caeteroquin aptior esse dicatur iocis et ludis, neque satis idoneus pugnae." Ovid. III. Metam. 554. *Quem neque bella iuvant, nec tela, nec usus equorum, Sed madidus myrrha crinis mollesque coronae, Purpuraque et pictis intextum vestibus aurum.* Vis est in repetitione pronominis: *Tu* flectis, *tu* coërces; *tu* retorsisti, *te* vidit. Ardor orationis, interiectis quatuor versibus, refrigescit. Displicuerunt etiam Sanadono, et sustulit Guietus.

Te vidit insons. Serv. ad III. Aen. 93. *insomnis.* Ad IV. Aen. 654. recte quidem legitur *insons*, sed *curru* pro *cornu*.

Caudam, et recedentis. Bene Uptonus ad Arrian. pag. 222. legit: *Cornu decorum, et leniter atterens Caudam, recedentis* sq. Caudam alicui atterunt animalia, alludunt. Ovid. II. Metam. 864. de tauro: *Et nunc alludit, viridique exsultat in herba.* Hieronym. in Vita Paullini Eremitae: *Leones directo cursu ad cadaver beati senis substiterunt, adulantibusque caudis circa eius pedes accubuere.*

CARMEN XX.

Non usitata, non tenui ferar
Penna biformis per liquidum aethera
Vates; neque in terris morabor
Longius: invidiaque maior

CARMEN XX.

Suspicor Horatium scripsisse hoc carmen omnium ultimum, paullo ante mortem. Eam mortem sibi ipse conscivit, fortasse veneno, qui Maecenati iam mortuo superesse nollet nec posset. Hoc professus erat in II. Carm. 17. ad Maecenatem morbo, qui ei fatalis fuit, decumbentem. Hic se ipse excitat Horatius ad mortem deliberatam, et consolatur certa spe immortalitatis. Maecenas obiit ante Christum anno nono iam ad finem vergente: Horatius eiusdem anni die XXV Novembris: et tam subito obiit, ut ne testamentum quidem signare potuerit. Narrat Suetonius iu Vita: *Augustum palam nuncupavit haeredem, cum, urgente vi valetudinis, non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas.* Hoc quod ego in alia causa et in alio homine casum et fortunam appellarem, hic non appellaverim. Horatius enim sancte iuraverat: *Ibimus, ibimus, Utcumque praecedes, supremum Carpere iter comites parati.* Et iam olim Epod. I. testatus est. *Nos, quibus te vita sit superstite Iucunda, si contra, gravis.* Credibile est Horatium paucos dies, qui inter mortem Maecenatis et suam intercesserint, in tanto tamque muto dolore transegisse, ut eum dolorem ne in carmine quidem de obitu amici exprimere potuerit. Tandem, consilii certus, ingenti animo hoc composuit, composito venenum hausit, clam omnibus, ut in intimo dolore, et ne precibus suorum ad vitam revocaretur. Venenum primo lente, mox celerius vim ostendit, Horatius nihil mandare potuit, nisi haereditatem Augusto, et sepulturam iuxta tumulum Maecenatis. Ad hanc rationem omnia in toto carmine aptissime explicari possunt.

Neque in terris morabor Longius. Non diutius vivam. Ambros. T. II. p. 1123. *Quid diutius in hac vita degere iuvat, atque in terris morari.* Nonnulla diximus ad II. Carm. 3.

Urbes relinquam. Non ego, pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Maecenas, obibo;
Nec Stygia cohibebor unda.

Non ego, quem vocas, Dilecte Maecenas, obibo. Hunc versum nemo adhuc intellexit. Variae interpretum sententiae huc redeunt: *Quem vocas*, hoc est, quem vocas et alloqueris *o dilecte*, quem vocas *ad coenam*, quem vocas *sanguinem pauperum* parentum, quem *in certamen* vocas *amoris*, ut alias taceam. Multi coniecturis locum tentarunt: ut *non ego, quem vocant, quem vocans, quem notant, quem foves*, quod est. Nodelli Coniect. Criticis cap. 4. Ex nostra carminis explicandi ratione prodit haec simplex et vera sententia: »Nolo amplius in terra morari. Corpus meum sine pompa et luctu sepeliatur. Ipse, melior mei pars, vitabo Libitinam, et cygni instar, quasi in conspectu humani generis, ad Maecenatem in campos Elysios vel coelum evolabo. Audio vocem tuam, dilecte Maecenas. Me vocas. Veniam." *Vocare* in tali re valde usitatum est, praecipue a Tragicis, ut videtur. Hinc Socrates in Phaedone pag. 93. *Ἐμὲ δὲ νῦν ἤδη καλεῖ, φαίη ἂν ἀνὴρ τραγικὸς, ἡ Εἱμαρμένη.* Non enim verosimile est Socratem certum aliquod Tragici poëtae dictum in mente habuisse, ut putat Wyttenbach. ad Plutarchi Moral. Animadv. p. 791. Eurip. Alcest. 259. *δίκωπον ὁρῶ σκάφος, νεκύων δὲ πορθμεὺς μ' ἤδη καλεῖ.* Qualia respiciens Aristophanes in Lysistrata, dixit: *Χώρει εἰς τὴν ναῦν, Χάρων σε καλεῖ.* Dictum Zenonis legitur apud Lucian. in Macrob. T. II. ed. Graev. p. 473. Zeno habens annos octo et nonaginta, prodibat in concionem. Offenso pede, exclamabat: *τί με βοᾷς;* Ovidius VII. Heroid. 101. *Hic ego me sensi noto quater ore citari. Ipse sono tenui dixit: Elissa veni. Nulla mora est. Venio, venio, tibi debita coniux.* Ex Virgilio nempe, qui IV. Aen. 460. de eadem Didone: *Hinc exaudiri voces, et verba vocantis Visa viri.* Livius X. 28. *Gallos Samnitesque Telluris matris ac Deorum manium esse. Rapere ad se ac vocare Decium devotam secum aciem.* Seneca Phoeniss. 37. *genitor vocat. Sequor, sequor.* Omitto notum illud *fata vocant*, de quo vide Burmann. ad Virgil. X. Aen. 471. et interpr. ad Sil. Ital. XVI. 699.

Iam iam residunt cruribus asperae
Pelles, et album mutor in alitem
Superne; nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.
Iam Daedaleo ocior Icaro

Iam iam residunt cruribus asperae. Iterum quatuor spurii versus. Est thema poëticum *Metamorphosis cygni.* Rei ipsius repraesentatio abhorret ab hoc carmine, neque verba Horatio digna sunt. Imago aliqua, quae sola exstitit in cogitatione mentis, divino quo correptus, non esse debet minus corporea, neque per omnia minutius depingenda. Figura cygni tam satis intelligitur e verbis *Non tenuis genuas ferar sed liquidum aetherea, et visam sola Hyperboreos campos.* Horatius se terra levans alas accipit, et iam volat. Quis in ea cogitationis celeritate, manum quam ad crura deducit, pellem aspera tentat, digitos et humeros contemplatur, suamque ipse transformationem describit, tamquam spectator aliquis, vel poëta Ovidio similis? Sed quod praesertim in tali imagine indicat pinnarum incptam et agrestem, sunt *aspera pelles in cruribus.* Res plena vitii et vastitiae. Suavissime! dicunt interpretes, qui aestheticis studentur. Nam est secundum naturam. Concedimus, sed alia res, alia tempora. Et multa sunt secundum naturam, quae tamen vestimento obtegimus. Iam *pelles* intelligi credo pellem in dextro, et pellem in sinistro crure. Parum apte. Et scribere debuit *pellis.* Non potuit propter metrum. Et tamen auctor metrum violavit in *superne*, ut est in plurimis et optimis MSS. Ultimam syllabam Horatius non corripuisset. Porro deest in Metamorphosi aequalitas quaedam. Inceperat Grammaticus a *cruribus.* Progreditur ad *superne.* Hic primum humeros, mox digitos exspectaveram, ut *perque humeros digitosque.* Denique, si Horatius hic dixisset *mutor in alitem*, non statim repetivisset *Ales eisem Hyperboreos campos.* Graeci poëtae non semel usi sunt tali imagine, nemo tam inepta Metamorphosi. Testor vel Euripidem, cuius fragmentum servavit Clemens Alexandrinus: Κρηναίας δὴ μοι πτέρυγες πέρα ποτὶ, καὶ τὰ Σκυθῶν ἱππόβοτα πεδία ἐφικέσθαι. Βοσκόμενος δ' ἐς αἰθέρα πάλιν ἐκφέρεις. Ζηνὸς ἀγκοίτου.

Iam Daedaleo ocior Icaro. Lectio corrupta, et metro adversa. Non velis admittere hiatum valde

Visam gementis litora Bospori,
Syrtesque Gaetulas, canorus
Ales, Hyperboreosque campos.
Me Colchus, et, qui dissimulat metum
Marsae cohortis, Dacus, et ultimi
Noscent Geloni: me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.

durum. MSS. habent *ocyorque*, et *notior*. Bentleius coniicit *tutior*, alii *ornatior*, *cautior*, *laetior*. Horatius, puto, scripsit: *Iam Daedaleo audacior Icaro*. In optimo MSS. Leidensi est *Daedalea*. Supra literam *a* manus recentior pinxit *o*. *Daedalea* in MSS. venire vix potuit, nisi vox sequens a simili litera inciperet. In facto Icari praecipue *audacia* cernebatur. *Audacia* optime convenit cum ingenio carminis. Ovid. Art. Am. II. 22. *Audacem pennis reperit ille viam*. IV. Metam. 599. *alis Aetherias ausus iactatis ire per auras*. VIII. Metam. 223. *Cum puer audaci coepit gaudere volatu*. Sil. Ital. XII. 92. *Aetherias aliena tollere in auras Ausus se penna*. Seneca Oedip. 907. *Icarus, comes audacis viae*. Ausonius Epist. 19. *Audax Icario qui fecit nomina ponto*.

Me peritus Discet Iber. Serv. ad VII. Aen. 605. *Arabisve parat*, haec annotavit: »Hic dativus venit ab eo, quod est *hic Arabus*: nam ab eo, quod est *hic Arabs*, hoc Arabe, *Arabibus* facit: Sicut *Hiberis*. Unde est in Lucano II. 54. *Occurrit Hiberibus alter*· et *Hiberus*. Nam Horatius dixit II. 20. *Discet Hiberus Rhodanique potor*." Sed non ita in Horatio suo legit Servius. Eum a mendis librariorum ita liberemus: »Sicut *Hiberus*: Unde est in Lucano II. 20. *Occurrit Hiberis Alter*. Et *Hiber*: nam Horatius dixit II. 20. *Discet Hiber Rhodanique potor*." Perverse etiam in Vocabulario Nestoris ex Horatio citatur *Hiberus*. Caeterum *Iber* non eleganter ita absolute *peritus* appellatur, quia ex rerum sententia non apparet, cuius rei sit peritus. Hoc movit Broukhusium, ut legeret *perustus*, Burmannum *petitus*, scilicet *bello*. Burman. minor, propter eandem caussam correxit Propert. I. 9. 7. *Me dolor et lacrymae merito fecere peritum*. Sed ibi optime intelligitur *peritus* ex superiore versu: *Non me Chaoniae vincant in amore co-*

Iam iam residunt cruribus asperae
Pelles, et album mutor in alitem
Superne; nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.
Iam Daedaleo ocior Icaro

Iam iam residunt cruribus asperae. Iterum quatuor spurii versus. Est thema poëticum *Metamorphosis cygni.* Rei ipsius repraesentatio abhorret ab hoc carmine, neque verba Horatio digna sunt. Imago aliqua, quae sola exsistit in cogitatione mentis, divino igne correptae, non esse debet nimis corporea, neque per omnes minutias depingenda. Figura cygni iam satis intelligitur e verbis: *Non tenui penna ferar per liquidum aethera*, et *visam ales Hyperboreos campos.* Horatius se terra levans alas accipit, et iam volat. Quis in ea cogitationis celeritate, manum quasi ad crura deducit, pellem asperam tentat, digitos et humeros contemplatur, suamque ipse transformationem describit, tamquam spectator aliquis, vel poëta Ovidio similis? Sed quod praecipue in tali imagine indicat pictorem ineptum et agrestem, sunt *asperae pelles* in cruribus. Res plena odii et fastidii. *Suavissime!* exclamant interpretes, qui aesthetici vocantur. Nam est secundum naturam. Concederem, sed alio loco, alio tempore. Et multa sunt secundum naturam, quae tamen vestimento obtegimus. Iam *pelles* intelligi credo pellem in dextro, et pellem in sinistro crure. Parum apte. Et scribere debuit *pellis.* Non potuit propter metrum. Et tamen auctor metrum violavit in *superne*, ut est in plurimis et optimis MSS. Ultimam syllabam Horatius non corripuisset. Porro deest in Metamorphosi aequalitas quaedam. Inceperat Grammaticus a *cruribus.* Progreditur ad *superna.* Hic primum humeros, mox digitos exspectaveram, ut *perque humeros digitosque.* Denique, si Horatius hic dixisset *mutor in alitem*, non statim repetivisset *Ales visam Hyperboreos campos.* Graeci poëtae non semel usi sunt tali imagine, nemo tam inepta Metamorphosi. Testor vel Euripidem, cuius fragmentum servavit Clemens Alexandrinus: *Χρύσεαι δή μοι πτέρυγες περὶ νώτῳ, καὶ τὰ Σειρήνων ἐρόεντα πέδιλα ἁρμόζεται· Βάσομαι δ' ἐς αἰθέρα πολὺν ἀερθεὶς, Ζηνὶ προοιμίζων.*

Iam Daedaleo ocyor Icaro. Lectio corrupta, et metro adversa, nisi velis admittere hiatum valde

Visam gementis litora Bospori,
Syrtesque Gaetulas, canorus
Ales, Hyperboreosque campos.
Me Colchus, et, qui dissimulat metum
Marsae cohortis, Dacus, et ultimi
Noscent Geloni: me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.

durum. MSS. habent *ocyorque*, et *notior*. Bentleius coniicit *tutior*, alii *ornatior*, *cautior*, *laetior*. Horatius, puto, scripsit: *Iam Daedaleo audacior Icaro.* In optimo MSS. Leidensi est *Daedalea*. Supra literam *a* manus recentior pinxit *o*. *Daedalea* in MSS. venire vix potuit, nisi vox sequens a simili litera inciperet. In facto Icari praecipue *audacia* cernebatur. *Audacia* optime convenit cum ingenio carminis. Ovid. Art. Am. II. 22. *Audacem pennis reperit ille viam.* IV. Metam. 599. *alis Aetheriis ausus iactatis ire per auras.* VIII. Metam. 223. *Cum puer audaci coepit gaudere volatu.* Sil. Ital. XII. 92. *Aetheriis aliena tollere in auras Ausus se penna.* Seneca Oedip. 907. *Icarus, comes audacis viae.* Ausonius Epist. 19. *Audax Icario qui fecit nomina ponto.*

Me peritus Discet Iber. Serv. ad VII. Aen. 605. *Arabisve parat*, haec annotavit: »Hic dativus venit ab eo, quod est *hic Arabus:* nam ab eo, quod est *hic Arabs*, hoc Arabe, *Arabibus* facit: Sicut *Hiberis*. Unde est in Lucano II. 54. *Occurrit Hiberibus alter*: et *Hiberus*. Nam Horatius dixit II. 20. *Discet Hiberus Rhodanique potor.*" Sed non ita in Horatio suo legit Servius. Eum a mendis librariorum ita liberemus: »Sicut *Hiberus:* Unde est in Lucano II. 20. *Occurrit Hiberis Alter.* Et *Hiber:* nam Horatius dixit II. 20. *Discet Hiber Rhodanique potor.*" Perverse etiam in Vocabulario Nestoris ex Horatio citatur *Hiberus*. Caeterum *Iber* non eleganter ita absolute *peritus* appellatur, quia ex rerum sententia non apparet, cuius rei sit peritus. Hoc movit Broukhusium, ut legeret *perustus*, Burmannum *petitus*, scilicet *bello*. Burman. minor, propter eandem caussam correxit Propert. I. 9. 7. *Me dolor et lacrymae merito fecere peritum.* Sed ibi optime intelligitur *peritus* ex superiore versu: *Non me Chaoniae vincant in amore co-*

Absint inani funere naeniae,
Luctusque turpes, et querimoniae:

lumbae Dicere, quos iuvenes quaeque puella domet. Par fere ratio est in omnibus exemplis, quae viri docti, de hoc usu disputantes, collegerunt, Torrenius ad Valer. Max. I. 1. Burm. ad Phaedr. I. Fab. 23. Oudendorpius ad Caesar. B. Civ. I. 85. et Hirtii B. Afr. cap. 31. Quando *peritus* absolute poni videtur, ut v. c. apud Phaedr. I. Fab. 23. *Repente liberalis, stultis gratus est: Verum peritis irritos tendit dolos:* non intelligitur rei alicuius peritus, sed *rerum*, quod et saepe additur, estque *rerum peritus* idem qui *usu peritus*, et *usu doctus* appellatur. Ausonius in Septem Sapientibus: *Non tamen prudentibus. Quos docuit usus, et peritos reddidit.* Mallem in Horatio: *Me peritus Discere Iber.* Colchi, Daci, Geloni me noscent, me Iber, peritus discere carmina poëtarum, gens literarum non rudis, sed humanitate exculta. *Docere* et *discere* proprie dicitur de carminibus. v. interpretes ad Ovid. III. Fast. 326. Adde, quod *me noscent*, *me discet*, parum differunt. Alterum utrum sufficit.

Absint inani funere naeniae. Interpretes, crassam illam Metamorphosin admittentes, intelligunt sepulturam sine corpore, Cenotaphium. Si Horatius scripsit *inani funere*, intelligendum est, eum funus nihil curasse; ut non curabat Maecenas, de quo Seneca Epist. 92. *Neminem de supremo officio rogo. Nulli reliquias meas commendo. Diserte Maecenas inquit: Nec tumulum curo, sepelit Natura relictos.* Sed Maecenas erat sepultus, et Horatius optasse videtur, ut iuxta Maecenatem quiesceret. Suetonius narravit: *Humatus et conditus est in extremis Esquiliis, iuxta Maecenatis tumulum.* Itaque funus non contemnebat, sed alicuius momenti ducebat. Luctum autem et supervacuos honores vetat. Legamus: *Absint inanes funere naeniae.* Sic legisse videntur Scholiastae. Comm. Cruq. »*Inanis enim luctus fit de mortuis.*" Supremus honor, munera, fletus, et quidquid ad sepulturam accedebat, dicitur *inane*, quia mortui neque sentiunt, neque ita in vitam revocantur. Virgilius XI. Aen. 52. *Vano moesti comitantur honore.* Ovid. II. Metam. 340. *fletus et inania morti Munera dant lacrymas.* Stat. VI. Theb. 168. *quid dona, duces, quid inania fertis Iusta rogis?* Val. Flacc. V. 29. *vix membra*

Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

rigentia tandem Imposuere rogo: lacrymasque et munera flammis Vana ferunt. Inanes naenias appellavit Prudent. Cathem. XI. 34. quamquam alio sensu.

Mitte supervacuos honores. Plin. IX. Epist. 19. *Impensa monumenti supervacua est. Memoria nostri durabit, si vita meruimus.* Horatius nolebat lacrymis decorari, cum, quia, ut Ennius de se dicebat, *vivus per ora virum volitabat*, tum, quia post mortem felix erat futurus, non Stygia cohibendus unda, sed in campos Elysios vel coelum adeo evolaturus, quo sua ipsi pietas erga Maecenatem iter munivisset. Romani immortalem felicitatem ita saepe significabant, ut Tartara et infernas sedes coelo et campis Elysiis opponerent. Cicero de Amic. 3. *Ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur Deos potius, quam ad inferos pervenisse.* Tibull. I. 3. 57. postquam de sepultura sua mandaverat, addit: *Sed me, quod facilis tenero sum semper amori, Ipsa Venus campos ducet in Elysios.* Ubi non cogitandum esse puto de Venere Libitina, sed Dea, quae hoc Tibullo propter facilitatem in amore beneficium praestaret. Pertinebat hoc etiam ad consolationem amicorum superstitum, ut scirent suos non Acheronte teneri. Exempla collegit Burman. in Anthol. Latin. Vol. II. pag. 10. ubi recte putat poëtam suavissimi epitaphii verba Horatiana in animo habuisse: *Ne pietas ignara superna sede receptum Lugeat, et laedat lumina tristitia. Non ego Tartareas penetrabo tristis ad undas — et atris Non errabo locis, nec cohibebor aquis.*

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER TERTIUS.

CARMEN I.

Odi profanum vulgus et arceo:
Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus, puerisque canto.

CARMEN I.

Odi profanum vulgus et arceo. Quorsum ista tam gravis praefatio, et longa, pro brevitate unius carminis? Exspectasses certe, ubi dicit *carmina non prius audita canto*, plura philosophiae praecepta ad vitam bene instituendam. Falleris, et illud *parturiunt montes*, tibi vel invito in mentem venit. Si autem quaeras de nexu sententiarum, non ego sum primus, qui fateor mihi hic aquam haerere, sed iam Homius, acuto ingenio Britannus, et alii ingenue fassi sunt. Neque hoc tantum ita est in carmine primo, sed etiam, et magis, in secundo et aliis. Quidquid fecerint eruditi et elegantes interpretes, ut illum nexum investigarent et ostenderent, frustra sese in omnes partes converterunt, et multa verba, laudabili quidem, sed inani studio, profuderunt. Mea sententia haec est. Librarii fecerunt varia carmina, ex uno longissimo, quod Horatius incepit ab *Odi profanum*, et per quatuordecim partes continuavit; iidemque simul alia turbarunt, de quibus

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.
Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis; hic generosior
Descendat in campum petitor;
Moribus hic meliorque fama
Contendat; illi turba clientium
Sit maior: aequa lege Necessitas
Sortitur insignes et imos;
Omne capax movet urna nomen.

suo loco videbimus. Iam praefatio illa bene stat in sua sede, et quaestio de nexu sententiarum explicari potest. Quae scilicet ratio saepe est in Poësi Gnomica, apud Orientales et Graecos, ut variae partes solae ac separatae consistant, et cum novo praecepto incipiat quasi novum carmen nunc longius nunc brevius, et eaedem res interdum aliis verbis repetantur; hanc esse puto rationem longioris huius carminis. Diversae igitur sunt praeceptorum partes, quas separatim explicabimus. Hae constituunt illa *carmina* non prius audita, quae Musarum Sacerdos canit virginibus puerisque, a quibus audiendis vulgus profanum arcet. Neque omittendum, haec moralia eodem metro esse composita, et Horatium in iis neminem amicorum alloqui. Quo melius autem huius Carminis gnomici forma ac ratio, quas instituimus, intelligantur, totum illud in extrema parte nostrae editionis separatim literis exprimendum curavimus.

Regum timendorum in proprios greges. Hi quatuor versus cum aliis quatuor, ex Carm. V. *Coelo tonantem credidimus Iovem* sq. huc retrahendis, efficiunt primam partem carminis moralis. Sententia est: »Reges apud suos sunt potentes. Regibus potentior Iupiter. Iovem esse Deum credimus, Augustum videmus.'' Pro *timendorum* Rollinus in Specimine Homerico malebat *verendorum*.

Est ut viro vir latius ordinet. Secunda pars carminis, us-

Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium, citharaeque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.
Desiderantem quod satis est neque
Tumultuosum sollicitat mare,

que ad vs. 17: »Quidquid homines faciant ut divitias et honores consequantur, mors tandem omnes omnibus facit aequales."

Destrictus ensis cui super impia. Tertia pars carminis, constans ex octo versibus: »Vita et opulentia regalis non facit beatum, quia plerumque cum timore coniuncta est, nec quiescere sinit. Quies ruri et in casa est." *Destrictus*, pro quo in aliis est *districtus*, tuentur Gronov. ad Liv. XXVII. 13. Cuper. Observ. IV. 5. et Oudendorp. ad Appul: Metam. p. 178. et 355. Cur autem Damocles appelletur *impius* non video. Erat unus ex assentatoribus Dionysii, et, quamvis in aula vivens, et omnium rerum copia abundans, tamen nondum contentus, nisi et fortunam regiam experiretur. Homo igitur cupiditate insatiabilis. Tales Romani nominabant *improbos*, non *impios*. Mallem: *Destrictus ensis cui super improba Cervice pendet.* Scholiast. ad Statii Theb. II. 292: *Optime Semelem* improbam *dixit*, *quod voti fuit immodica.* Servius ad Virgil. III. Goorg. 431: *Improbus*, *insatiabilis.* Conf. Bernecc. ad Iustin. XXIX. 2. et Cortium ad Lucan. V. 277. Observanda interim est interpretatio Commentatoris: *Impia*, *morti vicina.* Apud Charisium p. 241. haec ita citantur: *Districtus ensis impia super tui Cervice pendet.* Ex memoria, credo, iambum fecit. Servius ad Artem Donati pag. 1798. »Horatius: *Naso destrictus ensis Quod super magna cervice pendet.*"

Desiderantem quod satis est neque. Quarta pars carminis, habens itidem octo versus, hac sententia: »Qui paucis contentus est, bona possidet, non a rebus externis pendentia."

Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hoedi:
Non verberatae grandine vineae,
Fundusque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis in altum molibus: huc frequens
Caementa demittit redemtor
Cum famulis, dominusque terrae

Contracta pisces aequora sentiunt. Additamentum male seduli Grammatici, quod miror tam diu tolerari potuisse. Adeo multum est a teneris assuescere. Iam pueri scilicet audimus alios recitantes, adolescentes ipsi discimus illa *sed timor et minae scandunt eodem*, et *post equitem sedet atra cura*. Qui versus, si consideres ipsos, ab antecedentibus separatos, sonori sunt, sunt elegantes et venusti, nosque praecipue delectat et tenet atrae curae post equitem sedentis imago. In Hollandia quoque multis hic versus magis innotuit et placuit, dicto Wyttenbachii commendatus. Hic, recens factus eques legionis Napoleonteae, sedens inter libros suos, post tergum audiebat susurrum. Respiciens, videt atram felem, et leniter ridens exclamat: *Post equitem sedet atra cura*. Sed accuratius hos versus intueamur. Quis unquam serio dicat, *pisces sentire aequor contractum*? Illos, quos a sensu nunquam laudatos, Horatius quoque *mutos* appellavit? Pisces sentiant frigus, calorem, tempestatem, hoc est naturale. Non sentiant aequor contrahi propter aedificia Romana. Quasi nempe iis propterea locus, in quo natent, desit. Hoc fere tam ridiculum est, quam si quis rhombum cum muraena propterea faceret querentem. Talia κακόζηλα produnt ingenium iudicio carens, cuiusmodi multa Graevius in aurea praefatione ad Florum suum perstrinxit. Melius in Theb. III. 596. Statius: *fluctusque Pelorus Contrahit, et sperat tellus abrupta reverti*: propter saxa, quae Enceladus de vertice deiiciebat.

Huc frequens Caementa demittit redemtor Cum famulis. Haec verba, quod nemo non sen-

Fastidiosus: sed Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus: neque
Decedit aerata triremi, et
Post equitem sedet atra Cura.

tit, non conveniunt huic carmini lyrico. Sic loquuntur prosae scriptores, v. c. Vitruvius, docens, qua ratione fundamenta aedificii, in aequore ponendi, sint iacienda.

Dominusque terrae Fastidiosus. Quid hic dominus? An et ille una cum famulis et redemtore manum operi admovet? Respondent interpretes: *Dominus adest et spectat.* Sed hoc ex verbis non conficitur. Dominus in *mari aedificat*, pro aedificari iubet, Latinum est. *Caementa demittit*, iam minus probandum. Quia in tali re universam aliquam notionem ponimus, non specialem. Sed caementa demittit *cum famulis*, non tantum est domini iubentis, sed etiam adiuvantis. Similis farinae sunt illa III. Carm. 24. *Caementis licet occupes Thyrrhenum omne tuis et mare Apulicum. Dominus* autem *terrae fastidiosus* est ille *parum locuples continente ripa* II. Carm. 18.

Sed Timor et Minae Scandunt eodem, quo dominus. Scandunt in aedificium illud in mari constructum. Sed huius aedificii modo vidimus fundamenta. Igitur fundamenta scandit dominus.

Neque Decedit aerata triremi, et Post equitem sedet atra Cura. Horat. II. Carm. 16. dixerat: *quis exsul se quoque fugit? Scandit aeratas vitiosa naves Cura, nec turmas equitum relinquit.* In quibus clara et perspicua est imago. Cura ex patria abeuntem, et navibus aut equis bellantem, persequitur. Unde autem hoc loco novimus dominum, postquam in mari aedificaverat, mox patriam relinquere, adeo ut Cura eum proficiscentem sequatur? Hoc cogitandum est, inquiunt interpretes. Sed illi iubent in his versibus nos fere plura cogitare, quam expressis verbis dicitur, et ex verbis, si sanam scribendi rationem sequi velimus, deducere licet. Iam vero dixerat dominum agitari *timore et minis:* et tamen *curam*, levius malum, addit. *Post equitem sedet*, non bene convenit cum *aerata triremi.* Bene Horatius iunxit *aeratas naves* et *turmas equitum.* Haec enim sunt hominis peregre bellum pro patria gerentis. *Eques* etiam esse potest homo privatus, *aerata triremis* non est privata.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis, Achaemeniumque costum:
Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

Quod si dolentem nec Phrygius lapis. Pars quinta, etiam octo versus complectitur. Sententia est: »Si divitiae dolentem animo et corpore non iuvent, cur eas petamus?" *Delenit usus.* Sulpit. Severus Histor. pag. 180. *David Saulum cithara laborantem deliniens.*

CARMEN II.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta:

CARMEN II.

Angustam amice pauperiem pati. Pars sexta carminis, continens versus duodecim: »Nihil magis decet Romanum adolescentem, quam laus militaris." Hic autem librarii novum carmen fecerunt, quia in MSS. videbant *Angustam*, *amici*, *pauperiem pati*. Unde orta est inscriptio, *Ad amicos*. *Amice pati*, est aequo animo, libenter etiam, pati. Differt adeo a simplici *pati*. Multa saepe patimur, sed inviti, et dolentes. Bentlei. praetulit *amici*, etiam quia *pati* sufficere putabat. Non raro verbis *patiendi* et *ferendi* istiusmodi adiectiva addumtur. Nepos Epamin. Cap. 3.

Vitamque sub divo et trepidis agat
In rebus. Illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, et adulta virgo,
Suspiret: eheu! ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.
Dulce et decorum est pro patria mori:
Mors et fugacem persequitur virum,

Paupertatem facile perpessus est. Terent. Adelph. I. 2. 65. *Vis humane patitur.* In Philosoph. Hor. Hildeberti pag. 982. etiam legitur omice.

Illum ex moenibus hosticis. Locus illustris, et a multis poëtis egregie tractatus, quorum ingenium et rationem inter se comparabunt antiquae elegantiae studiosi adolescentes. Exemplum praebuit Homerus Il. III. 154. Secuti sunt Pindarus IX. Pyth. 173. Euripides in Phoer. 17. 100. Ovidius XIII. Met. 415. Lucanus VII. 366. Silius Ital. II. 251. Papin. Statius Silv. V. I. 122. Quorum locorum nonnulla iam indicaverat Burm. ad Val. Flacc. Argon. VI. 484. Adde Parthenii Erotica cap. 21. et Liv. XXXI. 27. ubi narrat Philippum concitasse equum in hostes Athenienses, non ira tantum, sed *etiam gloria elatum: quod ingenti turba completis etiam ad spectaculum muris, conspici se pugnantem, egregium ducebat.*

Dulce et decorum est pro patria mori. Pars septima carminis, quam constituunt hi quatuor versus et tota Ode V. huius libri, inde a vs. 5. *Milesne Crassi coniuge barbara.* Sententia est: »Mors honesta, imprimis pro patria, longe praestantior est vita turpi; apparet in dedecore militum Crassi, et constantia Reguli." Pro *decorum* in MS. Voss. est *deorum.* Litera *c* tamen ab alia manu superscripta. Caeterum haec verba omni tempore fuerunt celebrata. Ea in mortis solatio usurpavit Sidneus, supplicio affectus, quia cum aliis nobilibus contra tyrannidem Caroli II. regis Britanniae coniuraverat a. MDCLXXXII. et Lovatus, senex octoginta an-

Nec parcit imbellis iuventae
Poplitibus timidoque tergo.
Virtus, repulsae nescia sordidae,
Intaminatis fulget honoribus:

annorum, a. MDCCXLVI. qui in Scotia faverat Carolo Eduardo, filio Praetendentis.

Mors et fugacem persequitur virum. Miror quomodo alicui in mentem venire potuerit, ut corrigeret *Mors efficacem:* merito reiectum a Klotzio in Actis Liter. Tom. I. pag. 202. Dulce et decorum est mori pro patria fortiter pugnantem. Si quis timore et fuga vitam e proelio auferat, mors eum tamen in otio et pace consequitur. Immortalitas, ut dicit Cicero X. Philipp. 10. *non consequitur praesentis periculi fugam.* Similem sententiam II. Carm. 14. protulit Horatius: *Frustra a cruento Marte cavebimus.* Pindarus Olymp. I. 81. ὁ μέγας δὲ κίνδυνος ἄναλκιν οὐ φῶτα λαμβάνει. θανεῖν δ' οἷσιν ἀνάγκα, τί κέ τις ἀνώνυμον γῆρας ἐν σκότῳ καθήμενος ἔψοι μάταν, ἀπάντων καλῶν ἄμμορος; Incertus poëta apud Stobaeum: Πολλάκις δηϊοτῆτα φυγὼν καὶ δοῦπον ἀκόντων Ἔρχεται, ἐν δ' αὖτις Μοῖρα κίχεν θανάτου. v. Valcken. ad Eurip. Hippol. 1442. Curtius IX. 6. *Licuit paternis opibus contento intra Macedoniae terminos per otium corporis exspectare obscuram et ignobilem senectutem. Quamquam ne pigri quidem sibi fata disponunt: Sed unicum bonum diuturnam vitam aestimantes saepe acerba mors occupat.* Huc etiam pertinet oraculum illud apud Herodotum VI. 86. ὄμνυ', ἐπεὶ θάνατός γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα. Alii sententiam Horatianam exposuerunt de morte, quae timidos in ipsa fuga consequitur. In quam rem vide Xenophont. Cyrop. III. 3. § 45. et Anabas. III. I. § 43.

Virtus repulsae nescia sordidae. Octava pars carminis. Eam efficiunt hi octo versus, et vs. 9. Carm. III. *Hac arte Pollux et vagus Hercules*, usque ad vs. 17. Sententia est: »Vera virtus sibi ipsa est merces, et coelo beat."

Intaminatis fulget honoribus. Ut *temeratus*, *intemeratus*, *contemeratus*, sic *taminatus*, *intaminatus*, *contaminatus.* Vide Becman. Manuduct. pag. 367. et Gronov. Observ. IV. 22. Utitur hac voce etiam Scholiast. Stat. II. Theb. 715. homo elegantior in scribendo, quam plerique alii Scholiastae. Dictu autem difficile est, quid hic sint *honores inta-*

Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.
Virtus, recludens immeritis mori
Coelum, negata tentat iter via:
Coetusque vulgares et udam
Spernit humum fugiente penna.
Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum

minati. Nulla labe, aiunt, polluti, quum sint honores, quos populus tribuit, per se sordidi et abiecti. Sed si populus aliquando sapit, et virtuti honores tribuit, isti honores sunt *intaminati.* Populus autem virtuti plerumque negat, sed virtus honores, utcunque negatos, habet omnes, iisque splendet. Quare mallem *Interminatis fulget honoribus.* Interminatus, est minis et vi negatus, ut Horat. Epod. V. 39. *cibum interminatum* appellavit. Quamvis homines negent, sua certa laus virtuti constat. Eam πιστὸν κῦδος appellat Bacchylides apud Plutarch. T. I. Moral. pag. 134.

Nec sumit aut ponit secures. In quibusdam MSS. *ponit aut sumit:* recte a Bentleio repudiatum. Velleius. Paterc. II. 33. *Pompeius in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus, qui, quod cupisset, arbitrio suo sumeret, alieno deponeret.*

Negata tentat iter via. Claudianus Bell. Getico 68. *in astra negatas Tentarunt munire vias.* In Philos. Mor. Hildebert p. 975. haec ita leguntur: *Virtus recludens in meritis mox coelum negata tentat ire via, coetusque vulgares et udam spernit humum fugiente penna.*

Est et fideli tuta silentio merces. Pars carminis nona, habens octo versus. Sententia: »Mysteria praebent spem optimam huius et futurae vitae.'' *Fidele silentium*, ut initiatorum. Appuleius III. Metam. p. 53. *Sacris pluribus initiatus, nosti sanctam silentii fidem:* v. Pricaeum. Pro *tuta* ego etiam in MSS. inveni *cuncta.* Nodell. Observ. Crit. cap. 4. coniicit *multa.* Nil mutandum. Iam P. Petitus Observ. III. 26. comparavit Aristidem, qui in Orat. II. dixit: Σωπῆς ἀκίνδυνον γέρας, ὥς τις τῶν Κείων ἔφη ποιητής. Quem poëtam esse novimus Simonidem.

Vulgarit arcanae, sub îsdem
Sit trabibus, fragilemve mecum
Solvat phaselum. Saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum:
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

Bacchyl. apud Plutarchum l. l. φάσομεν πιστὸν κῦδος ἔχειν ἀρετᾶν, Πλοῦτος τε καὶ δειλοῖσιν ἀνθρώπων ὁμιλεῖ.

Sub isdem Sit trabibus. Graecum. Plato III. Rep. pag. 417. Ὑπὸ τὸν αὐτὸν ὄροφον ἴέναι. Unde ὁμωρόφιος et ὁμότοιχος. Vide Spanh. ad Callim. Hymn. Cer. 118. Λάμπατερ, μὴ τῆνος ἐμὶν φίλος, ὅς τοι ἀπεχθής, Εἴη, μηδ' ὁμότοιχος.

CARMEN III.

Iustum ac tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster,

CARMEN III.

Iustum ac tenacem propositi virum. Decima pars Carminis Gnomici. Constat ex octo versibus. Sententia. »Homo iustus et constans nulla re perturbatur." Quod autem opinioni meae, supra propositae, favet, etiam hoc est, quod Porphyrio annotavit: *Non est alia haec oda, quam superior, sed illi adhaeret.* Et Cruquius testatur, in antiquissimo Cod. Bland. nec inscriptione, nec literis maiusculis a praecedente esse separatam. Ideo et librarii varios titulos fecere: *ad Musas de Augusto. In laudem Augusti. Virtute adscendi ad coelum, et de Romuli numine.* Ver-

Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.
Hac arte Pollux, et vagus Hercules

in nobilissima laudaverunt Lactant. Instit. V. 13. et Hildeb. Mar. Philos. pag. 978. nulla mutatione. Lactantius haec addidit: *Ea nihil verum dica potest, si hac ad eos referatur, qui nullos cruciatus, nullam mortem recusant, ne a fide justitiaque declinent, qui nam tyrannorum minarum, non periculum gladium tremunt, quoniam verum et solidum libertatem constanti mente defendunt.* Valer. Max. VI. 3. *Aeque tenax propositi L. Domitius.* Ammian. Marcell. XXVII. pag. 372. *Verum acrioris ingenii, sed justi tenacem et recti.*

Magna manus Iovis. Ita et MS. Franck. et Miranduae Viridarium. Alii *magna Iovis manus.*

Illabatur. Franck. *illabetur.*

Impavidum ferient ruinae. Silius Ital. XIV. 681. *Nec turbatum animi, tanta feriente ruina.* Hieronymus laudavit in Epist. 6. 92. et 97.

Hac arte Pollux et vagus Hercules. Qua tandem *arte*? Sine dubio quia erant *justi* et *tenaces propositi*, *justitia adeo et animi constantia.* Igitur scribi oportuisset *his artibus.* Et heroes illi coelum meruerunt beneficiis generi humano praestitis. In beneficia erant immanes feras bestias et crudeles robustosque homines occidere, res utilissimas ducere, agros et vites colere. In his faciendis spectabatur *virtus* et *humanitas*, non illa justitia et constantia sapientis, de quibus hic sermo est. Ipsa illa nomina nimis sunt philosophica, et parum apta aetati heroicae. Pollux, Hercules, Bacchus et Romulus non erant justi et tenaces propositi contra civium ardorem prava iubentium, nec contra vultum instantis tyranni, neque iis artibus in coelum evecti sunt. *Virtus* et *beneficia* eos in numerum Deorum retulerunt. Cicero Nat. Deor. II. 24. *Suscepit vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in coelum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules hinc Castor et Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber.* Lactant. Instit. I. 18. *Virtutem esse dicunt, quae hominem tollat in coelum; quae quoniam praecipua in Hercule fuit, immortalitatem meruisse creditur.* Si igitur

Enisus, arces attigit igneas:

illud praeceptum »vir iustus et constans nulla re perturbatur" minus apte exemplo heroum illustratur, ponamus hos octo versus post versum 24. Carminis II. et legamus pro *arte* minima mutatione *ante*. *Virtus recludens immeritis mori Coelum negata tentat iter via: Coetusque vulgares, et udam spernit humum fugiens penna. Hac ante Pollux et vagus Hercules Enisus arces attigit igneas.* Iam vide quam praeclare haec omnia cohaereant. Virtus iter tentat via negata. Hac via olim Pollux et Hercules enisi sunt. Hac enitetur Augustus. Hac via Bacchum suae tigres, hac Romulum Martis equi vexere. Haec est illa virtus, quam in pulcherrimo Carmine, quod exstat apud Athen. XV. 51. laudavit Aristoteles: *Ἀρετὰ πολύμοχθε, Σεῦ θ' ἕνεχ' οὐκ Διὸς Ἡρακλῆς Ἀῄδας τε κοῦροι πολλ' ἀνέτλασαν.* Simillima sententia est apud Plinium Histor. Nat. II. 7. *Deus est mortali, mortalem iuvare, et haec ad aeternam gloriam via. Hac proceres iere Romani. Hac nunc coelesti passu cum liberis suis vadit maximus omnium rector Vespasianus Augustus, fessis rebus subveniens. Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscribantur.* Mirum porro est, quo consensu omnes fere scriptores, de tali apotheosi loquentes, nomine *viae* utantur. Cicero Tuscul. Quaest. I. 10. *Abiit ad Deos Hercules. Nunquam abiisset, nisi, cum inter homines esset, eam sibi viam munivisset.* Virgil. IV. Georg. 560. *Caesar dum magnus ad altum Fulminat Euphraten bello, victorque volentes Per populos dat iura, viamque adfectat Olympo.* Propert. III. 16. *Qua Siculae victor telluris Claudius, et qua Caesar ab humana cessit in astra via.* Statius I. Silv. 1. 24. *Primus iter nostris ostendit in aethera Divis.* IV. 3. 155. *Ibis, qua vagus Hercules et Evan.* Seneca Octav. 474. *Pulchrum est dare orbi quietem, saeculo pacem suo. Haec summa virtus. Petitur hac coelum via. Sic ille patriae primus Augustus parens Complexus astra est.* Ausonius vel Paullinus, in Ephem. 38. *In sublime ferar, puri qua lactea coeli Semita ventosae superat vaga nubila Lunae, Qua proceres abiere pii.* Magis etiam perspicuum et Latinum est *hac via* enisi sunt, quam *hac arte*. Sallust. Catil. XI. *Sed ille vera via nititur.* Unde auctor libelli de Ordin. Rep. 2. *Nihil tam alte Natura con-*

Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres, indocili iugum
Collo trahentes. Hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit;

[illegible] quae virtus eius peperit omnibus. Augustin. de Civ. Dei V. 12. *Praeterea virtus mei principis, honores, imperium, vera vita [illegible] etiam a Catone laudatus est.*

Recumbens. Iunius MS. residens. Ortum credo e glossa. Et sic Comment. »*Recumbens*, reclinatus, residens.“

Purpureo bibit ore nectar. Sic esse legendum iam alii docuerunt, neque alterum *bibit* recte tuetur Theod. Sellius in Observ. Miscellaneis cap. IV. *Bibit* est adulatio nimia et inepta, et sine exemplo, etiam sequentium temporum, quibus plura fingebant, ut Imperatoribus Deis et Dominis placerent. Summa omnium votorum huc fere redibat: *Colimus te Deum praesentem. Maneas quam diutissime apud nos, quamvis coelum te cupide exspectet.* Horat. I. Carm. 2. Virgil. I. Georg. 24. Albinov. I. 214. Ovid. XV. Metam. 836. Lucan. I. 46. Claudian. III. Cons. Olybr. 109. ut mittam Valerium Flaccum, Statium et Martialem. Augustus *bibit* nectar, non dici potuit nisi de mortuo; et habet illa dictio omen infaustum, quod in similibus saepe fuit observatum. Tacit. Annal. XVI. 27. *Cerialis Anicius, D. Neroni templum decrevit, tamquam mortali fastigium egresso, et venerationem hominum merito. Quod quidem, quorundam dolo ad omina sui exitus vertebatur. Nam Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.* Hinc iocus Neronis apud Sueton. 33. appellantis boletos, in quibus Claudius venenum acceperat, *cibum Deorum.* Facete Vespasianus apud eundem 24. in prima morbi accessione: *ut puto*, inquit, *Deus fio.* Iulius Capitolinus in Vita Getae narrat Bassianum de fratre Geta, a se occiso, dixisse: *sit Divus, dum non sit vivus.*

Hac te merentem. Vox grata Augusto. Sueton. Aug. cap. 56. *Nunquam filios suos populo commendavit, ut non adiiceret »si merebuntur.“* Idem deinde boni Imperatores dicebant: v. Casaub. ad I. Capitol. in Vita Pertinacis c. 6.

Gratum elocuta consiliantibus
Iunone Divis: Ilion Ilion
Fatalis incestusque iudex,
Et mulier peregrina vertit

Gratum elocuta consiliantibus Iunone Divis. Hactenus in Carmine, quod constituimus gnomico, omnia tam praeclara sunt, ut vel acerrimus censor nihil, quod reprehendat, invenerit, sive spectet gravitatem sententiarum, sive ornatum rerum, sive singulas dictiones et ipsa verba. Sequitur oratio Iunonis, quam ab Horatio esse compositam, credere non possum. Sententia orationis huc redit: »Troia est deleta. Igitur Romulus per me Diis adscribatur. Romani etiam fiant domini orbis terrarum, dummodo Troia non reparetur." Iam huius sententiae nulla plane est convenientia cum antecedentibus, nisi dicas solam Romuli mentionem. Horatius sine dubio alia nonnulla praemisisset, ex quibus talis oratio quasi sponte profluere ac deduci posset. Neque ingenium Iunonis bene in omnibus est observatum. Loquitur, tamquam sola, invito Iove et omnibus Deis, pro suo imperio agat, et hoc Iupiter Deique lento animo patiantur. Et quomodo illa tantopere faveret Romanis, eosque etiam laudaret, oblita suae Karthaginis, ubi regnum gentibus futurum sperabat? Neque vera sunt, quae Iuno hic memorat. Regnanto, ait, Romani, in omnibus mundi partibus, dum ne Troia restituatur. Atqui regnaverunt et regnabant Romani, et Tróia saepe fuit restituta, in loco antiquae Troiae vicino. Restituerunt Alexander M., Sylla, et J. Caesar. Beneficia Caesaris erga Troiam sunt memorabilia. Strabo XIII. 1, 27. p. 409. *Χώραν τε δὴ προσένειμεν αὐτοῖς, καὶ τὴν ἐλευθερίαν, καὶ τὴν ἀλειτουργησίαν αὐτοῖς συνεφύλαξε, καὶ μέχρι νῦν συμμένουσιν ἐν τούτοις.* Videtur haec oratio esse composita ab antiquiore aliquo Grammatico, qui lecta oratione Reguli, simile aliquid tentare voluit; in qua re exempla praebebant Homerus, Virgilius, alii, apud quos multae Deorum orationes inveniuntur. Et erat hoc saepe argumentum grammaticorum: v. c. *Verba Iunonis. Quid Iuno dixerit, Romulo in coelum recepto.*

Ilion Ilion. Iuno dicit: Quoniam voti mei compos facta sum, et Troia est deleta, veniat huc Romulus. Iam in simplici illa commemoratione rei, quae accidit, inanis est anadiplosis *Ilion*

In pulverem, ex quo dèstituit Deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Castaeque damnatum Minervae
Cum populo et duce fraudulento.
Iam nec Lacaenae splendet adulterae
Fumosus hospes, nec Priami domus
Periura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit:
Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protenus et graves
Iras, et invisum nepotem,
Troïca quem peperit sacerdos,

Ilion. Laudarem si Iuno, graviter animo commota, Ilion alloqueretur: ut Eurip. Orest. 1381. Ἴλιον, Ἴλιον, ὦ μοι μοι Ἕλς σ' ὀλομέναν στένω. Aristoph. Acharnens.: ὦ πόλις, πόλις. Terent. Andr. I. v. 47. *Memor essem? O Mysis, Mysis, etiam nunc mihi Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis.*

Ex quo destituit Deos. Impeditus verborum ordo, qualem Horatius et boni scriptores studiose evitant. Iudex evertit Ilium, damnatum mihi, ex quo Laomedon destituit. Et cur Iuno potissimum et Minerva fraudem Laomedontis detestantur? Iniuria pertinebat ad Apollinem et Neptunum. Et tamen Apollo pro Troia stabat. Caussa odii Iunonis vulgo est *spretae iniuria formae*, et quod sciebat Troianos originem daturos Romanis.

Famosus hospes. Amarior Ironia, si legeretur *formosus*, idque melius respondet verbo *fulget*. Alcman καλόπαρον appellat. Ovid. XIII. Heroid. 43. *Dux Pari, Priamide, damno formose tuorum.*

Periura. Iam supra dixerat *cum populo et duce fraudulento.*

Nostrisque ductum seditionibus. Metro coactus, appellavit *seditiones*, pro *discordiis.*

Bellum resedit. Virgil. IX. Aen. 643. *bella resident.* Ubi Servius: »*sedabuntur*: ut tempestatem *residere* dicimus.'' Ego dubito an tale bellum, quale populo et urbe deleto, finitur, recte *residat*. Bellum Troianum non poterat resurgere. Ita neque dixe-

Marti redonabo: illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, et adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.
Dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus; qualibet exsules
In parte regnanto beati:
Dum Priami Paridisque busto

ris bellum Carthaginiense, urbe deleta, *resedit.*

Troïca quem peperit sacerdos. Saepe disputatum est de forma *Troïcus* et *Troïus.* v. Heins. ad Ovid. I. Heroid. 28. et Burm. ad Virgil. I. Aen. 119. alii putant *Troïus* sonare nobilius; alii quaerunt, ut Bentleius, utrum possessivum an gentile rei, de qua agitur, sit aptius. Credo nihil differre, et standum auctoritate MSS. Vide et Ruhnken. ad Vell. Paterc. I. 5. et Handium ad Statii Silv. pag. 81.

Marti redonabo. Pro *condonabo.* Non exstat simile exemplum.

Nectaris succos. Bis in eodem carmine. Supra: *Purpureo bibet ore nectar.*

Quietis ordinibus. Ex Virgil. IV. Aen. 379. *Scilicet is superis labor est: ea cura quietos Sollicitat.* Huic epitheto hic non erat locus, vel propter *seditiones* Deorum, paullo ante memoratas.

Dum longus inter saeviat Ilion. Haec sententia, si animum attendamus, nihil est. Nam Pontus saevire potest inter Romam et Ilium, et saeviit semper, nunc quoque: sed hoc non impediebat, quominus Romani, urbe relicta, sedem rerum suarum Ilium transferrent. Credo locum ita explicandum. Quamdiu nempe pontus inter Romam et Ilium saeviet, tamdiu exsules regnanto. Virgil. I. Aen. 607. *In freta dum fluvii current.* Ovid. I. Amor. 15. *Vivet Maeonides Tenedos dum stabit et Ide, Dum rapidas Simois in mare volvet aquas.* Lucan. I. 89. *Dum terra fretum terramque levabit aër.* Seneca Oedip. 505. *Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem.* Sed ita scribere debuit Grammaticus *saeviet.* Non potuit propter sequens *insultet.* Ibi metrum non ferebat *insultabit.*

Priami Paridisque busto. Contra historiam. Priamus non habuit bustum. Virgil. II. Aen. 557. *iacet ingens litore truncus, Avol-*

Insultet armentum, et catulos ferae
Celent inultae; stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus:
Aurum irrepertum, et sic melius situm,
Quum terra celat, spernere fortior,

sumque humeris caput, et sine nomine corpus. v. Heyn. Delrio ad Senecae Troad. vs. 55. *ille tot regum parens Caret sepulcro Priamus;* annotavit: »Proprium sepulcrum Priamus non habuit, sed truncus eius, cum aliquamdiu in litore abiectus fuisset, tandem Hectoris sepulcro illatus.'' Quod nescio qua auctoritate dictum sit. Ausonius in Epitaph. XXIII. et XXIV. facit Priamum dicentem, se, quum lacerum sine nomine funus haberet, *confugisse ad cineres Hectoreos.* Quod de anima Priami insepulti intelligendum puto. Pausanias in Phocicis lib. X. accurate describit picturam Polygnoti, ponentis excidium Trojae, et Graecos classem ad reditum solventes. In cap. XXVII. Priamus iacet interfectus iuxta Corocbum et alios. Hodie quoque in agro Troiano varia ostenduntur sepulcra, de qua re Chevallierius in itinere Troico, Vol. II. 14. cap. 11. De sepulcro Priami altum silentium. Dicat aliquis in poëta non requiri fidem historicam. Concederem, nisi esset in Priamo. Atque hoc ipsum, quod rex caruit sepulcro, quam bonam praebebat occasionem, imaginis longe acerbioris pingendae!

Catulos ferae Celent inultae. Male conveniunt in eadem sede *armentum* et *ferae.*

In ultimas extendat oras. Iam vs. 39. legimus: *Romani regnento qualibet in parte:* vs. 53. *quicunque mundo terminus obstitit.* Haec toties inculcata, sunt nescientis manum tollere de tabula.

Aurum irrepertum, et sic melius situm. Tales versus produnt longe diversum ab Horatio poëtam. Primum alieni sunt ab oratione, in quam quasi per auras delapsi ceciderunt. Paupertas fuit una

Quam cogere humanos in usus
Omne sacrum rapiente dextra.
Quicunque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae, pluviique rores.

de caussis, cur Romani potentia creverint. Sed non convenit ingenio Iunonis, aliquid laudare aut commendare, quo populus invisus maior fieret. Quis autem intelligit verba intricata et obscura? Videamus quid, salva Latinitate, significare possint. *Fortis spernere* est, qui satis animi et abstinentiae habet, ut spernat. Quomodo, quaeso, aliquis spernit, quod irrepertum et sub terra celatum est, quod non habet, quod non novit? Eadem ratione *fortis cogere aurum* est, qui satis animi habet, ut cogere audeat, veluti in bello per vulnera et pericula, vel, quod ironice dici potest, qui in eo fortis, suam fortitudinem ostendit, ut aurum cogat. Hinc eiusmodi interpretatio prodibit: »Romanorum fortitudo in contemnendo auro, quod nondum invenerunt, neque habent, maior erit, quam fortitudo in cogendo per bella.'' Aurum contemnere est animi fortis et magni, cogere per bella, est fortis et avari. Quo nomine Tibullus saepe *divitias* et *praedam* culpat. Remanet semper aliquid scabri in hac interpretatione. Auctor imitatus est Virgil. VIII. Aen. 364. *Aude, hospes, contemnere opes.*

Quam cogere humanos in usus. Melius iungentur: *dextra rapiente in usus humanos.* Trebatii verba citavit Arnob. Adv. Gentes pag. 236: *Vinum esse sacrum incipiat, et ex usibus eripiatur humanis.* Intelligendi autem sunt Romani in bellis et victoriis, sacram quoque pecuniam et templa hostium spoliantes.

Quicunque mundo terminus obstitit. Si legas *mundi*, cum Lambino, haec significant: Quicunque terminus mundi obstitit Romanis. Sed tum Latinitas postulat *obstiterit*, et sententia est inepta, quod ostendit Bentleius. Hic *mundo* e MSS. revocavit, et explicat: *quicunque terminus orbem habitabilem clausit.* Sed ita etiam requiritur *obstiterit*, vel potius *obstet.* Sola metri necessitas perfectum tempus extorsit. *Obstitit* excusari non potest, nisi dicamus v. c. »Quicunque ter-

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii,
Rebusque fidentes, avitae
Tecta velint reparare Troiae.

minus aliis populis *obstitit*, hunc superet Romanus." vel »Quicunque terminus adhuc mundo obstitit, hunc superet Romanus." Sed maior obscuritas est in dictione *terminus obstat mundo.* Simplex erat »*Quicunque sit terminus mundi*, vel *mundo.*" Atque hoc diversis modis exprimi potest, ut terminus *stat*, *figitur*, *ponitur*, *pangitur.* Terminus *obstat mundo*, est terminus in fine mundi positus, impediens, quominus mundus ultra mundum, ultra se ipsum progrediatur. Superest, ut *mundum* interpretemur *mortales*, *genus humanum:* unde talis sententia oritur: »quicunque terminus obstitit hominibus, quominus ulterius procederent, quousque mortales venerint, huc veniant Romani." Sed hoc non est tantae laudi. Dicendi enim sunt Romani venisse, quo nulli mortales venerint: *extra sidera*, *extra anni solisque vias*, ut dicit Virgilius. Poëta cogitavit duas zonas non habitabiles, imitatus Horatii I. Carm. 22. ubi est *latus mundi quod nebulae et malus Iupiter urget*, *et currus solis nimium propinquus.* In quibus et *mundum* et *nebulas* vides: non vides *ignes et nebulas debacchari.* In *bacchari* est vehemens ille impetus et celerrimus discursus, qualis esse solet Baccharum. Ut recte dixeris *venti et imbres bacchantur*, ita minus recte *calor*, *ignes solis*, *nebulae bacchantur.*

Sed bellicosis fata Quiritibus Hac lege dico. Fatum est potentius omnibus Deis. Haec ipsa, Deis etiam invitis, viam inveniebant. Diis solum conceditur, ut contra fata *moram* faciant, quod dicit Schol. Statii IV. Theb. 677. Igitur Iuno fata Romanis *dicere* et constituere non potuit. Heins. ad Ovid. V. Heroid. 33. locum nostrum ad ea exempla retulit, in quibus *dicere* vim eandem habet, quam *praedicere.* Sed Iuno *fata noscere* poterat, ut apud Virgilium audiverat *Sic volvere Parcas.* Iuno *legem* aut *conditionem* fato addere non poterat. Conf. annotatio Tollii ad Ausonium pag. 115. Sidon. Apollin. Carm. VII. 123. *Iupiter ista refert. Fatum, quo cuncta regunturQuoque ego, non licuit frangi.*

Nimium pii. Pro *pii* in MS. *propriis.* E glossa.

Troiae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Coniuge me Iovis et sorore.
Ter si resurgat murus aheneus
Auctore Phoebo; ter pereat meis
Excisus Argivis; ter uxor
Capta virum puerosque ploret.
Non haec iocosae conveniunt lyrae:
Quo, Musa, tendis! desine pervicax
Referre sermones Deorum, et
Magna modis tenuare parvis.

Troiae renascens alite lugubri Fortuna. Fortuna Troiae renascens *iteratur* significat *Troia renascitur eadem fortuna* et conditione, qua olim *renata* est. Sed Troia nunquam deleta est statim, quum renascebatur. Iuno autem hic respicit ultima tempora Priami et Hectoris. Tum fortuna urbis non erat renascens, sed florentissima. Hanc negligentiam tribuo librariis, non poëtae, qui scripsit, ni fallor: *Troiae renascenti, alite lugubri.* Si Troia renascatur, illi eadem fortuna, idem exitium iterabitur.

Coniuge me Iovis et sorore. Ex Virgil. I. Aen. 46. *Ast ego, quae Divum incedo regina, Iovisque Et soror et coniux.*

Auctore Phoebo. Laomedon vs. 22. *Deos pacta mercede destituit.* In his erat Phoebus. Deus ita deceptus non libens moenia restitueret. Quamquam Phoebus pro Troia staret, dum nondum erat eversa a Graecis. Pro *auctore* in aliis MSS. legitur *ductore*, quod placet Burmanno ad Claudian. Epithal. Honor. Praefat. Bentleius coniecit *structore*, quod et mihi in mentem venerat, quum legebam apud Minut. Felicem in Octav. pag. 207. *Laomedonti muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit. Auctor* tamen Latinum est. Prudent. Peristeph. II. 416. *Atque auctor horum moenium.* Ioseph. Iscan. Bell. Troi. VI. 893. *Romanis olim promissus moenibus auctor.*

Non haec iocosae conveniunt lyrae. Imitatus est ex II. Carm. 1. 37.

CARMEN IV.

Descende coelo, et dic age tibia,
Regina, longum, Calliope, melos;
Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus citharaque Phoebi.
Auditis? an me ludit amabilis
Insania? Audire, et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae.

CARMEN IV.

Hoc etiam carmen miris modis interpolatum est, satisque diu Grammaticus aliquis nobis carbones pro thesauro vendidit. Tandem aliquando falsa a veris separemus, et e versibus octoginta ipsam dimidiatam partem eiiciamus. Si quis diligenter aures admoveat, facile peregrinam avem ex cantu dignoscet.

Descende coelo. In MS. Franeq. praemissus est libellus *de metris.* In eo citatur: *descende coelum.*

Seu fidibus citharaque Phoebi. Musae vocem et citharam plerumque coniungebant. Scribamus potius: *Et fidibus citharaque Phoebi.* Ita legit Comment. *Acuta, sonora, liquida, conveniente melodiis, seu chordis citharae.* Stat. V. Silv. III. 14. *Stant circum attonitae vatem, et nil dulce sonantes Nec digitis nec voce Deae.* Et sic alii faciebant ad exemplum Musarum. Ovid. V. Metam. 112. *Citharam cum voce moveres.* V. 332. *Hactenus ad citharam vocalia moverat ora. Fides et citharam* coniunxit quoque Virgil. VI. Aen. 120. *Threicia fretus cithara fidibusque canoris.* v. Bentleium, qui bene restituit *citharaque*, pro *citharave*, e MS. Graev.

Auditis? Male Burm. ad Val. Flacc. VIII. Argon. 178. accepit, quasi Horatius hoc Musam rogaret. Burmannus imprudens sequitur Acronem. Gogavius Praeterm. pag. 30. putat legendum *audistis.*

Audire, et videor pios Errare per lucos. Dixerat *auditis?* Hoc qui dicit, ipse audit potius, quam videtur ac putat se audire. Omne

Me fabulosae Vulture in Apulo,
Altricis extra limen Apuliae,

illud *videri* in tam amabili insania levius est. Mallem: *Audivi, et video pios Errare per lucos.* Video Calliopen. Callim. Lavacr. Pallad. 2. τὰν ἵππων ἄρτι φρυασσομέναν, Τὰν ἱερᾶν ἐσάκουσα, καὶ ἁ θεὸς εὔτυκος ἔρπει. Musaeus grammaticus de Herone et Leandro vs. 5. Ἠχόμενόν τε Λέανδρον ὁμοῦ καὶ λέχνον ἀκούω. Horat. II. Carm. 19. *Bacchum in remotis carmina rupibus Vidi docentem.* Seneca Phoeniss. 43. *gnata genitorem vides? Ego video.* Troad. 684. *cernitis Danai Hectorem? An sola video?* Claudian. I. Rapt. Proserp. 9. *Iam magnus abimis Auditur fremitus terris.* Petrus Francius, in egregio carmine Hollando, Horatium imitatus, etiam legisse videtur *audivi.* Scriptum est hoc carmen ad Antonidem, flumen Yam eximiis versibus celebrantem: *Bedrieg ik my, of zie en hoor ik wel? Ik hoor en zie het bloedig oorlogspel.*

Me fabulosae Vulture in Apulo. Omnis fabula de palumbibus nimis inepta et crassa est, quam ut de se ipse serio narraret.

Altricis extra limen Apuliae. Modo primam in *Apulus* produxit, hic corripuit. Hoc est liberius quam Ἄρες, ἄρες, a Martiale notatum. Eruditi interpretes huic incommodo per coniecturas mederi conantur. Sed fac eos felici coniectura sustulisse, quod non fecerunt, alia in his et sequentibus remanent, ingrata, dura, et insipida. Itaque de *Vulture Apulo* et *limine nutricis Apuliae* nihil amplius dicam. Si legeris varias interpretum sententias, nihilo certior eris, quam si non legeris. Et quibus argutiis opus est, ut aliquâ saltem declaretur, quomodo quis in Vulture *Apulo extra Apuliam* sit. Burman. facili gladio nodum solvit, legens *intra.* De quantitate *Apuliae*, hoc ita excusavit Laguna ad Lucan. II. 608. ut dixerit, poëtas hanc habere libertatem in nominibus propriis, quorum alias nullus esset in versibus usus. Eadem fere est sententia Cannegieteri ad Avian. Fabul. 38. Sed necessitas metri hic non erat tam dura. Poëta enim scribere potuit: *Altricis extrâ limina patriae*, ut nonnulli coniecerunt. De libertate illa si dicere vellem, longior mihi instituenda esset oratio, quam hic locus ferret. Sed viri docti saepe fecerunt majorem, quam ipsi poëtae sumserunt. Horatius et alii, si nomina propria versu exprimere non possent, utebantur periphrasi, vel abstinebant.

Ludo fatigatumque somno,
Fronde nova puerum palumbes

Ne in sermonibus quidem hic sibi indulsit. I. Serm. V. 87. *Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est.* Ut Archestratus apud Athenaeum VII. pag. 37. Ἰχθύος αὐξηθέντος, ὃν ἐν μέτρῳ οὐ θέμις εἰπεῖν. Martial. IX. Epigram. 12. *Nomen nobile, molle, delicatum Versu dicere non rudi volebam. Sed tu syllaba contumax repugnas.* Adde Sirmond. ad Sidon. Apollin. pag. 103. et Bentlei. ad Manil. II. 898. Etiam seriores poëtae in hac re antiquam religionem servabant. Gunther. in Ligurino III. 301. *Praesule, qui numeros vetitum contingere nostros Nomen ab innocua ducit laudabile vita.* Innocentium scilicet nominare non potuit. Haec mittamus. Horatius voces *Apulus* et *Apulia* saepe usurpat. Literam *a* semper producit, literam *u* semper corripit in adiectivo, producit in substantivo. Idem fecerunt alii poëtae. Cannegiet. ad Avianum l. l. dicit Manutium in Orthographia docuisse primam in *Apulia* corripi, et produci. Et dixit Manutius hoc liquere ex Horatio. Sed hic locus, de quo agimus, unicus est. Alter in III. Carm. 24. *mare Apulicum*, est controversus. Nam in aliis MSS. legitur *Ponticum* et *Punicum*. Neque ex Epod. III. *Siticulosae Apuliae*, de quantitate constat, quia Iambus in ista sede non est necessarius. Miror homines non citasse Dausquieum, qui in Orthographia attulit versum ex Claudiani III. Cons. Honorii: *Te propter gelidis Apulo de monte procellis.* Qui tamen est error Dausquiei. Nam in Claudiano vs. 93. non *Apulo*, sed *Aquilo* legitur. Quod Cellarius in Geographia, Gesnerus, et alii dicunt de litera geminata, ut scribatur *Appulus*, ne prima corriperetur, hoc aeque minus verum est, atque in *Iuppiter*, *littora*, *rettulit*, et similibus. Optimi libri et antiquae inscriptiones geminatam literam in *Apulus* et *Apulia* ignorant. Cf. Santen. ad Terent. Maurum vs. 1420. et Cortius ad Lucan. II. 608.

Palumbes. Dubium utrum *fabulosae palumbes* an *fabulosae Apuliae* sint iungenda. Iungamus *fabulosae palumbes.* Ineptius epitheton excogitare non poterat, quia egregie valet ad fidem miraculo, quod narraturus esset, minuendam.

Mirum quod foret omnibus. Hoc populus curat scilicet! Puer aliquis ignobilis, ludo et somno fatigatus, dormiit in Vulture, et fama illius rei, tamquam inauditi prodigii, pervolavit oppida A-

Texere: mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsae nidum Acherontiae,
Saltusque Bantinos, et arvum
Pinque tenent humilis Forenti;
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis; ut premerer sacra
Lauroque collataque myrto,
Non sine Dis animosus infans.
Vester, Camoenae, vester in arduos
Tollor Sabinos: seu mihi frigidum
Praeneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidae placuere Baiae.

cherontiae, Bantiae, et Forenti. At prodigium, inquit ille, in eo situm est, quod palumbes dormientem texere nova fronde. Incolae tamen Acherontiae aliarumque civitatium non hoc mirati sunt, sed quod non a viperis neque ab ursis fuisset necatus. Oportet igitur fuisse Apuliam istis animalibus adeo plenam, ut nemo extra domum suam tutus esset.

Dormirem et ursis. Finge ursos fuisse in ea parte Italiae, eos collata a palumbibus myrtus et laurus a devorando puero non deterruissent.

Non sine Dis animosus infans. Qua re *infans*, qui ludo fatigatus obdormiscit, animum ostendit?

Vester, Camoenae, vester in arduos Tollor Sabinos. Haec cum antecedentibus ita connectenda iudico: »Audivi Calliopen canentem, et vidi per lucos sacros in terris errantem. Musis carus sum. Vester sum, o Camoenae: Vobis omnia, quae habeo, accepta refero. Vos me tollitis in Sabinos, ibique securum vivere et vobis vacare permittitis, seu quicunque mihi alius locus placuerit." Horatius Musis tribuit, quod acceperat a Maecenate. Interpretes *tollor* reddunt *proficiscor*. Melius puto: Vos me, tamquam miraculo, tollitis, et sistitis in agrum Sabinum. Virgil. II. Georg. 486. *Flumina amem, silvasque inglorius. O ubi campi, Spercheosque, et virginibus bacchata Lacaenis Taygeta: o qui me gelidis in vallibus Haemi Sistat.* Virg. I. Aen. 691.

Vestris amicum fontibus et choris,
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non exstinxit arbos,
Nec Sicula Palinurus unda.
Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo, et urentes arenas
Litoris Assyrii viator.

Ascanium fotum gremio Dea tollit in altos Idaliae lucos. Horatius de Mercurio, qui ipsum *Denso paventem sustulit aëre.* Lucan. I. 679. *qua me, super aethera raptum Constituis terra?* Si *tollor* significat *proficiscor*, itêr plerumque indicat concitatum et impetuosum. Ovid. VII. Metam. 779. *Collis apex medii subiectis imminet arvis: Tollor eo.* Val. Flacc. III. 133. *Tollitur hinc, totusque ruit Tirynthius arcu.* v. Burm.

Non me Philippis versa acies retro. Quamquam omnes, quos vidi, scriptores dicant proelium *apud Philippos*, *apud urbem Philippos*, *in campis Philippicis*, *Philippaeis*, *in proelio et bello Philippensi*, περὶ Φιλίππους, tamen Latinum esse puto *proelium Philippis*, ut *Marathone* et similia, pro *apud Philippos* et *Marathonem*. Fere ut Graeci, v. c. Xenophon in Agesilao cap. 5. Ἡ ἐν Κορίνθῳ μάχη. Et Homerus saepe ἐν Ἰλίῳ, *apud Ilium*. Atque ad eam rationem dixisse puto Suetonium August. 96. *In Philippis Thessalus quidam de futura victoria nuntiavit.* Minus tamen accurate scriptum puto *acies retro versa me perdidit*, quod diversas interpretationes admittit. Omnino elegantius et magis poëticum foret: *Non me Philippi, versa acie retro, Devota non exstinxit arbos.* Non me Philippi exstinxerunt. Locus, ubi gestum proelium, pro ipso proelio. Ovid. XV. Metam. 824. *Pharsalia sentiet illum, Emathiaque iterum madefacti caede Philippi.* Lucan. VI. 313. *Exire e mediis potuit Pharsalia fatis.* v. Graev. ad Flori IV. 2. *Omnium postrema certaminum Munda.*

Tentabo, et urentes arenas Litoris Assyrii viator. Arentes arenae ut alii legunt, durius ad audiendum videtur. Bentlei. exemplis defendit. Sed in his *arens* al

Visam Britannos hospitibus feros,
Et laetum equino sanguine Concanum:
Visam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quaerentem labores,
Pierio recreatis antro.

arena, vocibus interpositis, separatum est. Solus Claudian. IV. Cons. Honor. 436. *Libyes arentis arenas;* et Corippus: *cumulosque arentis arenae.* Quibus addo Ovid. XV. Metam. 268. *Siccis humus aret arenis.* In quorum nonnullis variant MSS. in multis est *urentis. Ardentes* lenius est pronuntiatu, quam *arentes*, et difficultatem itineris statim et melius ostendit. In *Assyrio litore* valde aestuant interpretes. Ego semper putavi Horatium scripsisse *Litoris Astyrii viator.* Solet ille in longis et periculosis itineribus ponere remota Hispaniae loca. v. Carm. II. 6. *Litoris Asturum* mentionem facit P. Mela III. 1. *Concani*, quos Horatius mox nominat, sunt in Thracia, non tantum in Hispania. *Assyrius* et *Astyrius* saepe ab imperitis librariis permutantur: v. Heins. ad Claudian. Consul. Prob. et Olybr. 49. et interpr. ad Lucan. IV. 298. *Astyrii scrutator pallidus auri.* *Gelonos.* Nestor *Gelones.* Addit utramque terminationem *es* et *os* valere.

Fessas cohortes abdidit oppidis. Lambini coniectura *fessus* valde arridet Bentleio, optanti ut accederet MSS. auctoritas. Ego in optimo illo Leidensi nostro, perspicue *fessus* scriptum inveni. Manus recentior supra literam *u* posuit *a*. In MS. Franek. legitur quidem *fessas*, sed Scholiasta habuit *fessus.* Nam dicit: *Cum Caesar fatigatur expeditione militari.* Tamen cum aliis *fessas* praefero. Caesar enim non fatigatur. Handius ad Stat. Silv. pag. 64. verbo tuetur et *fessas* et *abdidit*, pro quo Bentl. volebat *reddidit*, e MSS. *Reddidit* verum puto; et putavit Dukerus ad Flori III. 6. *Abdi oppidis* est quasi e conspectu in oppida removeri: quod militibus minus honestum est. Caesar B. Gall. VII. 30. *Vercingetorix animo non defecerat, tanto accepto incom-*

Vos lene consilium et datis, et dato
Gaudetis almae. Scimus ut impios
Titanas, immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia,
Divosque, mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.
Magnum illa terrorem intulerat Iovi
Fidens iuventus horrida brachiis;
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.

modo, neque se in occultum abdiderat, et conspectum multitudinis fugerat. Virgil. III. Georg. 96. *Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut iam segnior annis Deficit, abde domo.* Tibull. II. 3. 65. *Haud impune licet formosas tristibus agris Abdere.*

Vos lene consilium et datis, et dato Gaudetis. Gaudent dato, quia Augustus accipit, et res bonos eventus habet. Est autem haec tacita laudatio Maecenatis, qui Caesarem, ut narrat Dio Cassius LV. 7. τῆς ὀργῆς ἀεὶ παρῆλυε, καὶ ἐς τὸ ἠπιώτερον μεθίστη. Non dissimilis orationis forma in Ausonio Profess. Burdig. 24. *tam bone dandis Semper consiliis, quam taciturne datis.*

Et urbes regnaque tristia. *Urbes* corruptum. Bentlei. legit *et umbras regnaque tristia.* Alii aliis modis tautologiam tollere conati sunt. Conieci: *qui mare temperat Ventosum et undas.* Caeterum *iners terra* placuit Calpurnio Eclog. IV. 109. *cuius iners audito nomine tellus Incaluit.*

Magnum illa terrorem intulerat Iovi. Haec referunt ingenium et rationem Grammatici. Mythologia istis hominibus amplissimam versuum apte inserendorum materiam praebebat. Sed carminis argumentum tam longam Titanomachiae enarrationem plane respuit. Horatius laudavit beneficia sibi a Musis praestita. Quidni, iam dicit, ego amore earum glorier, quae Caesarem quoque ament, eique lenitatem illam et clementiam, quibus in bello ci-

Sed quid Typhoeus, et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhoetus, evulsisque truncis
Enceladus iaculator audax,
Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Vulcanus, hinc matrona Iuno, et
Numquam humeris positurus arcum,

vili usus est, inspiraverint. Quam recte autem Titanes *magnum terrorem* Iovi inferant, qui eos fulmine sustulerit, qui terram, mare, et omnia regat, viderit auctor.

Fidens iuventus horrida brachiis, Fratresque. Imitatio Virgiliana I. Georg. 279. Terra *Coeumque Iapetumque creat, saevumque Typhoea, Et coniuratos coelum rescindere fratres. Ter sunt conati imponere Pelio Ossam, Scilicet atque Ossae frondosum involvere Olympum.* Ubi notandum, quod a Virgilio *frondosum*, hoc a Grammatico *opacum* dici. Bene Virgilius, nominatis Coeo, Iapeto, et Typhoeo, addidit fratres, *Aloidas* nempe. Minus bene Grammaticus post horridam illam iuventutem, quae complectitur omnes Titanes, memoravit fratres *Aloidas.* Nisi excusare velis figuram, ut *Iupiter et Dei.*

Hinc avidus stetit Vulcanus. Mire instruxit aciem Deorum. Nullos nominatim laudare debuerat, vel omnes. Nunc omisit, quorum multae magnaeque in isto proelio fuere partes, Bacchum, Herculem, alios: Iunonem in fronte collocat, eamque, si Dis placet, *matronam.* Quasi vero Titanes curarent *matronam.* Et cur Vulcanus *avidus* appelletur, hoc fateor, non intelligo. *Avidus* enim, omisso substantivo *pugnae*, non est λιλαιόμενος πολέμοιο. Sed quorsum illa proelii descriptio? Iam legimus Iovem omnes Titanes fulmine suo sustulisse. Vulcano et Iunoni matronae nihil supererat quod agerent.

Numquam humeris positurus arcum. Hic, sui oblitus poëta, aberrat in laudes Apollinis, quarum nulla ad rem bellicam pertinet, nisi quod arcum nunquam positurus sit. Illud *positurus* metro flagitanti dedit. Nam dicendum erat *ponens*, qui nunquam ponere solet. Quod ipsum tamen

Qui rore puro Castaliae lavit
Crines solutos, qui Lyciae tenet
Dumeta natalemque sylvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis consilî expers mole ruit sua:
Vim temperatam Dî quoque provehunt
In maius: îdem odere vires
Omne nefas animo moventes.
Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum, notus et integrae

in Mythologia non verum est. Caeterum hae laudes impudenter compositae sunt de inventis alienis. Ita Horatius IV. Carm. 6. *Phoebe qui Xantho lavis amne crines.* Et Papin. Stat. II. Theb. 696. iam a Scholiastis laudatus: *Phoebe parens, seu te Lyciae Patarea nivosis Exercent dumeta iugis, seu rore pudico Castaliae flavos amor est tibi mergere crines.* Horat. I. Carm. 21. *Natalem Delon Apollinis.* Interpretes utuntur loco Statii in contrariam partem, quam ego usus sum. Sed tam servus imitator Statius nunquam fuit. Et apud illum ista de Apolline loco perquam opportuno leguntur. Hic plane alieno. Ac vide praeterea ingenium Grammatici. *Delius et Patareus Apollo.* Ita interpretatur ipse versus antecedentes. Nam est glossa »Unde Apollo appellatur Delius et Patareus. Delius a natali sylva in Delo, Patareus a Patara, urbe Lyciae." Haec erat Glossatorum consuetudo. Vide v. c. Schol. Statii Theb. I. 686. »Lyciae civitas est Patara, Apollini consecrata. Unde Hor. *Lycius et Patareus Apollo.*"

Vis consilî expers mole ruit sua. Quis haec concoquit? *Vis ruit*, *Vim temperant*, *Vires odere*, in tribus continuis versibus. Grammaticus Ovid. I. Metam. 156. in suam sententiam videtur deflexisse: *gigantum Obruta mole sua cum corpora dira iacerent.* Quomodo autem haec sententia sive cum antecedentibus sive cum sequentibus cohaereat, obscurum est. Laudavit haec Hildebertus Mor. Philos. pag. 976.

Testis mearum centimanus Gyges Sententiarum. Haec iam non uni interpreti fastidium moverunt. Sunt enim tam insipida, ut callum obduxerint stomacho

Tentator Orion Dianae,
Virginea domitus sagitta.
Iniecta monstris Terra dolet suis,
Maeretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum: nec peredit
Impositam celer ignis Aetnam:
Incontinentis nec Tityi iecur
Relinquit ales, nequitiae additus

necesse sit, qui ferant. Pulchre vero *sententiarum!* Quasi dicat: Supra posui tres sententias. Has exemplis confirmabo. *Testor Gygen*, *testis Gyges*, hoc erat Latinum in hoc carmine. *Testis meae sententiae*, placere potest in levi sermone fabularum ac vitae usu familiari, a gravitate lyrici carminis absit quam longissime. Phaedrus · IV. fab. 12. *Utilius homini nihil est, quam recte loqui. Probanda cunctis est quidem sententia.* I. 5. *Nunquam est fidelis cum potente societas. Testatur haec fabella propositum meum.* Hos quatuor versus Horatio quoque indignos iudicavit Buttman. in Mythologo Vol. II. pag. 369.

Tentator Orion Dianae. In versu suspecto quaerenda est auctoritas bonorum scriptorum, qui vocem *tentator* usurparunt. Invenio neminem.

Iniecta monstris Terra dolet suis. Haec genuina strophe iusto ordine sequitur vs. 48. *imperio regit unus aequo.* Sic omnia bene cohaerent. Repetitio tamen *fulminis* minus grata est. Sed etiam in hac voce Grammaticus sive hic, sive supra, aliquid mutare potuit. Pulchre Manil. III. 6. de iisdem gigantibus: *Fulminis et flamma partus in matre sepultos.*

Incontinentis nec Tityi iecur. Quatuor versus adiecit idem Grammaticus ad augenda poenarum exempla. Horatius ipse non loquitur nisi de Titanibus. Tityi et Pirithoi mentio hic fieri non potest.

Nequitiae additus custos. Custos additur, ne quis peccet, neque evadat. Utrumque de Tityo falsum. Vultur enim non additus custos, sed ultor et carnifex nequitiae. Neque metus erat, ne iterum nequam fieret Tityus. Accius apud Charisium pag. 47. *Custodem assiduum Ioni apposuit virgini.* Plautus in Aulul. III. 6. *Quem quondam Ioni Iuno*

Custos: amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.

custodem addidit. Addere solemne in hac re verbum est: v. interpretes ad Virgil. VI. Aen. 90. et *apponere*: v. Ruhnk. ad Sueton. pag. 170.

Trecentae Pirithoum cohibent catenae. Trecentae in uno homine catenae, grandior sunt hyperbole. Parcius Apoll. Rhod. I. Argon. 102. *Θήσεα Ταινα-ρίην ἀΐδηλος ὑπὸ χθόνα δεσμὸς ἔρυκε, Πειρίθῳ ἑσπόμενον κοινὴν ὁδόν.* Euripidis versum laudavit Plutarch. Moral. T. I. p. 375. *ὡς Θησεὺς τῷ Πειρίθῳ κολαζομένῳ καὶ δεδεμένῳ Πίδαις ἀχαλκεύτοισιν ἔζευκται πόδας.* Modeste etiam Virgil. I. Aen. 295. monstrum Furorem *centum nodis aënis* vincit.

CARMEN V.

Coelo tonantem credidimus Iovem
Regnare: praesens Divus habebitur
Augustus, adiectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.

CARMEN V.

Caelo tonantem credidimus Iovem Regnare. Glossa MS. »Pro certo habemus, Iovem coeli esse regem, quia tonat.'' Glossam edidit Laguna ad Lucani I. 227.

Adiectis Britannis. Ovid. XV. Metam. 766. *Pontum populo adiecisse Quirini.* Gunther. Ligur. V. 9. *Adiecisse suis gaudentem plurima regnis.*

Gravibusque Persis. Glossa MS. »Inpotentibus, arrogantibus, ferocia gravibus, ferocientibus.'' Et sic accipiendum putat Laguna ad Lucan. I. 10. non, ut vulgo hic et alibi solet, pro *formidolosis.*

Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus vixit? et hostium,
Proh Curia, inversique mores!
Consenuit socerorum in armis,

Milesne Crassi coniuge barbara Turpis maritus vixit? Durior ellipsis praepositionis *cum*. Ita tamen Commentator Cruq. Credam potius esse ablativum absolutum: plane ut Ovid. IV. Heroid. 134. *Et fas omne facit fratre marita soror.* Nisi scribendum sit: *Milesne Crassi in coniuge barbara Turpis maritus vixit.* Turpis in coniuge, ut Propert. III. 10. 15. *Ter quater in casta felix, o Posthume, Galla.* Praepositio *in* saepe per periphrasin explicanda est, petendam e sententia verborum. Liv. XXX. 3. *Si forte satias amoris in uxore ex multa copia cepisset.* Ovid. II. Artis 545. *Hoc in legitima praestent uxore mariti.* Tacit. Agric. VI. *Quod in bona uxore tanto major laus, quanto in mala plus culpae est.* Hieronym. I. adv. Iovian. *In aliena uxore omnis amor turpis est, in sua nimius.* Valer Maxim. V. 9. *Idem facit Fulvius, sed in filio aliquantum tetriore.* Macrob. II. Saturn. 2. *Plancus in Maevia Galla nupta male audiebat:* v. Oudendorp. ad Jul. Caesar. B. Gall. II. 32.

Proh Curia, inversique mores. Cicero pro Plancio 29. *Ecquem fuisse putas tam excordem, qui, vivis his, stante urbe et curia, rediturum me, si viverem, non putaret?*

Consenuit socerorum in armis. Omnia MSS. constanter praebent *armis*, praeter Altorf. ubi legitur *arvis.* Scriptura utriusque vocis tam parum differt, ut videndum magis sit utra pulchrius conveniat sententiae loci, quam auctoritate MSS. nitatur. De permutatione *arvis* et *armis* v. interpretes ad Lucan. IV. 582. et Virgil. XI. Aen. 173. In Horatio Faber et Heinsius correxerant *arvis*, et post eos Bentleius, qui diligenter et erudite illud commendat. Ego unice verum puto *armis.* Quod ut probem, de singulis Bentleii argumentis videbo. Bentleius rogat: »*Quomodo* in socerorum armis, *si sub rege Medo erant? Certe non soceri, sed rex ipse militibus arma ministrabat.*" Arma socerorum hostium sunt, quae soceri gestaverant, qualia gestabant et habebant. Romani erant armati et vestiti more Partho. Nil refert quomodo haec arma acceperint. Tacit. XII. Annal. 16. *Tum com-*

Sub rege Medo, Marsus et Apulus,
Anciliorum et nominis et togae
Oblitus, aeternaeque Vestae,
Incolumi Iove, et urbe Roma?

posito agmine incedunt: cuius frontem et terga Adorsi, media cohortes et Bosporani tutabantur, nostris in armis. Ubi recte Lipsius explicat: Romano ritu instructos armatosque; minus recte *in* delet. Virgil. III. Georg. 346. *Non secus ac patriis miles Romanus in armis.* III. Aen. 595. *Ut quondam, patriis ad Troiam missus in armis.* Apollon. Rhod. I. Argon. 638. Ὑψιπύλειαι Δῦν' ἐνὶ τεύχεσι πατρός. Bentleius ita pergit: »*Deinde non queritur, Crassi milites captivos contra patriam tulisse arma; quod et falsum, et inauditum: sed illud indignatur, quod verum erat, vivos captos in servitute apud Parthos consenuisse, quin et uxores ibi duxisse.*" Sed Horatius de servitute non loquitur. Captivi Romani non habebantur pro servis, sed facti erant Parthi, subditi regi, mariti coniugum Partharum. Quod revera erat turpius, quam si servi fuissent. Quin etiam, si sors tulisset, arma contra Romanos vertissent. M. Antonius, annis fere septemdecim post Crassum, eosdem Parthos bello aggressus est. Amissa non minus quarta parte militum, ut scribit Vellei. Paterc. II. 82. *capti et cuiusdam, sed Romani, consilio ac fide servatus est. Quo clade Crassiani exercitus captus, cum fortunam, non animum mutasset, accessit nocte ad stationem Romanam, praedixitque ne destinatum iter peteret.* Eandem rem accuratius narrat Florus IV. 10. *Unus ex clade Crassiana Parthico habitu castris adequitat; et salute Latine data, quum fidem ipso dedisset, quid imminneret, edocuit.* Iam ille Romanus in Parthico habitu, militabat sub rege Medo, in armis socerorum hostium consenescebat, et contra Romanos stabat. Sed illustrius est Labieni exemplum. Hic, audito Brutum et Cassium esse victos, dum interea auxilium a Parthis contra Antonium petebat, apud Parthos mansit, exercitui praefuit, et contra Romanos pugnavit: v. Dio Cassius XLVIII. pag. 24. Bentleius ita pergit: »*Arvis.* Rectissime: sic enim Seneca Epist. 47. in re simili: *Variana clade quam multos splendidissime natos fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casae fecit.*" Non hic quaeritur, quid de captivis suis

Hoc caverat mens provida Reguli,
Dissentientis conditionibus

in clade Variana fecerint Germani, sed Crassiana Parthi. Possem alioquin uti in rem meam exemplo eorundem Germanorum, apud Tacitum II. Annal. 13. *Inter quae unus hostium, Latinae linguae sciens, acto ad vallum equo, voce magna, coniuges et agros et stipendii in dies, donec bellaretur, sestertios centenos, si quis transfugisset, Arminii nomine pollicetur.* Sed, ut dixi, Parthi Romanos non fecerunt servos, sed potius amicos et socios. Eutque illud clementiae exemplum valde periculosum, neque in Italia prorsus effectu caruit. Narrat Tacit. VI. Annal. 14. *Rubrio Fabato, tamquam, desperatis rebus, Parthorum ad misericordiam fugeret, custodes additos.* Denique hoc urget Bentleius: »*Quin olim* arvis *legerunt veteres Scholiastae: quorum hic interpretatur*, Oblitos Romanae virtutis apud Parthos resedisse; *alter*, Velut propriis in sedibus omnem iam aetatem agerent. *Quae certe verba non cum* armis *sed* arvis *conveniunt.*" Et hic ego contrariam sententiam sequor. Nam illud *resedisse* et *velut propriis in sedibus*, pertinet ad explicandum verbum *consenuisse. Consenescit* aliquis in loco, in quo residet, quem non mutat, quae propria est vel fit illi sedes. Liv. XXXII. 3. *Consenuisse sub armis in Sicilia, Africa, Macedonia.* Vellei. Paterc. II. 102. *Per quae eo ductus erat, ut in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere, quam Romam regredi mallet.* Aurel. Victor Epitome cap. 32. *Valerianus in Mesopotamia bellum gerens, a Sapore Persarum rege superatus, mox etiam captus, apud Parthos ignobili servitute consenuit.* Scholiastas autem legisse *armis*, patet e verbis, quae Bentleius omisit. Acro: *incolumi Capitolio et urbe Roma, turpissimum est consenescere sub hostilibus armis.* Comment.: *Sub hostilibus armis vitam agere.* Tandem, si Romani, *ut servi*, arva colerent, non residebant neque vitam agebant velut in propriis sedibus; nam servi nihil habent, quod iis proprium est. Atque his de caussis apud Horatium *arma* non mutandum in *arva* censeo. Turpe erat Romano, quod vivum se capi pateretur. Ulterius ei non poterat obiici. Colebat *arva*, ut servus? Hoc omnes servi faciebant, et, quamdiu non redimerentur, eos facere par erat, quod herus postularet. Sed hoc Romano obiici poterat, quod nominis sui immemor, pro Romano fiebat

Foedis, et exemplo trahenti
Perniciem veniens in aevum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris, et arma
Militibus sine caede, dixit,
Derepta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero:

Parthus, et in armis socerorum consenescebat. Arma et habitum peregrinum sumere, iam ipsum habebatur summum dedecus. Horatius Epod. IX. *Interque signa, turpe, militaria Sol adspicit conopium.* Poëtae hoc factum Antonii reprehendentes, *sistro* opponunt fulmini Iovis, monstra Deorum Aegyptiacorum numinibus Romanis: v. Interpr. ad Propertium III. 9. 40. Florus IV. 11. *Antonius, patriae oblitus, totus in monstrum illud ut mente, ita animo queque et cultu desciverat.* Tacit. II. Hist. 20. *Ornatum Caecinae municipia et coloniae in superbiam trahebant: quod versicolore sagulo, bracceas, tegmen barbarum indutus, togatos alloqueretur.* Claudian. I. Rufin. 78. *Ipse inter medios, ne qua de parte relinquat Barbariem, revocat fulvas in pectora pelles.* Haec si turpia Romano haberentur, quanto turpius, in armis et Partho habitu consenescere?

Exemplo trahenti Perniciem. MS. *trahentis.* Unde Bentl. legit *exempli trahentis*, hoc est, conditionibus quae foedae erant, et quae erant exempli trahentis perniciem. Canterus emendavit *trahenti.* Ita et Comment. »*Trahenti*, adferenti in futurum perniciem reipublicae.'' Etiam Gogav. Praeterm. pag. 30 legit *trahenti*, idque neminem adhuc restituisse mirabatur. *Trahere* autem usitatum de contagione. Ovid. I. Metamorphoseon I. 190. *Immedicabile vulnus Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.* Auson. Epist. 24. *Sic pars aegra hominis trahit ad contagia sanum Corpus.* Conf. Duker. ad Flori II. 13. et Burm. ad Gratii Cyneg. 412.

Derepta vidi. Omnia MSS. *direpta.* Vulgaris error librariorum. Tacit. II. Ann. 45. *Spolia et tela Romanis derepta in manibus multorum ostentabat.* v. Heins. ad Ovid. III. Metam. 52. et Voss. ad Valer. Flacc. II. 160.

Portasque non clusas, et arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit. Flagitio additis
Damnum: neque amissos colores
Lana refert medicata fuco,
Nec vera virtus, quum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis: erit ille fortis,

Portasque non clusas. Silius Ital. XVI. 693. *Carthago immunis nostros secura labores Audiet interea, et portis bellabit apertis?* Iustin. XXVIII. 2. *Prius illis portas aperiendas, quas clauserit metus Punici belli.* Valer. Max. II. 7. *Indignum maximo imperio credidit, quem non sua virtus, sed fossa vallumque tutum praestiterat, cuique verecundiae non fuerat, arma Romana, metu trepida, clausis portis contineri.*

Neque amissos colores Lana refert. Hieronym. Epist. 57. *Lanarum conchylia quis in pristinum colorem revocet?* Apertius Iovianiana expressit Quintil. I. 1. 4. quod interpretes utriusque scriptoris non fugit: *Nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.* Ubi pro *mutatus* ego mallem *medicatus.* Si tamen aliquid mutandum sit. Cramerus ad Scholia Iuvenalis pag. 86. legebat *fucatus.*

Curat reponi deterioribus. Non curat, non vult. Virgil. I. Georg. 39. *Nec repetita sequi curat Proserpina matrem.* IX. Aen. 518. *Nec curant coeco contendere Marte.* Seneca Medea 591. *Coecus est ignis, stimulatus ira, Nec regi curat.* Virtus habet sedem in animo viri fortis. Statius X. Theb. 628. *Virtus, seu pater omnipotens tribuit, sive ipsa capaces Elegit penetrare viros.* Si ex sede excidit, non vult reponi.

Si pugnat extricata densis Cerva plagis. Valer. Flacc. III. 706. *Aspera nunc pavidos contra ruit agna leones?* Serv. ad Virgil. VI. Aen. 27. laudat Horatii versum: Burman. in MSS. Servii pro *si* esse ait *sic:* quod

Qui perfidis se credidit hostibus;
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic, unde vitam sumeret, inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiae ruinis!
Fertur pudicae coniugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,
Ab se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse vultum:
Donec labantes consilio Patres
Firmaret auctor numquam alias dato,
Interque moerentes amicos
Egregius properaret exsul.
Atqui sciebat, quae sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem,

et alii invenerunt in MSS. Horatianis. Huc etiam pertinet Lactant. VI. Inst. 24. *Muta quoque animalia, cum fraude capiuntur, si aliqua modo se in fugam extricaverint, fiunt postmodo cautiora.*

Hic, unde vitam sumeret, inscius. Militi una spes in virtute, salus ex victoria. Thucyd. II. 42. *Ἐν αὐτῷ τῷ ἀμύνεσθαι καὶ παθεῖν μᾶλλον ἡγήσαμενοι ἢ τῷ ἐνδόντες σώζεσθαι.* Xenoph. Anab. III. 1. *Ὁπόσοι μὲν μαστεύουσι ζῆν ἐκ παντὸς τρόπου ἐν τοῖς πολεμικοῖς, οὗτοι καλός τε καὶ αἰσχρῶς ὡς ἐπιπολύαστοθνήσκουσι.*

Atqui sciebat. Valer. Max. I. 1. *In contrarium dato consi-*

Quam si clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedaemonium Tarentum.

lio, Carthaginem repetit: non ignarus, ad quam crudeles, quamque etiam merito infestos sibi reverteretur.

Non aliter tamen. Ovid. IX. Metam. 236. *imposita clavae cervice recumbis, Haud alio vultu, quam si conviva iaceres, Inter plena meri redimitus pocula sertis.*

CARMEN VI.

Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Aedesque labentes Deorum, et
Foeda nigro simulacra fumo.
Dîs te minorem quod geris, imperas:

CARMEN VI.

Delicta maiorum immeritus lues. Pars undecima Carminis Gnomici, octo versuum. Sententia: »A Deorum cultu pendet felicitas publica.'' Majores autem neglexerant templa, aedes et simulacra restituere. Romani, qui nunc vivebant, aeque erant in ea re negligentes. Igitur puniebantur. Et merito. Nam poterant restituere, si vellent. Scribendum puto: *Delicta majorum meritus lues.*

Dis te minorem quod geris, imperas. Lactant. V. Inst. 15. *Si non tantum quasi parem, sed etiam quasi minorem se gesserit, utique multo altiorem*

Hinc omne principium, huc refer exitum.
Dî multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.
Iam bis Monaeses, et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, et adiecisse praedam
Torquibus exiguis renidet.

dignitatis gradum, Deo iudice, consequetur. v. Markland. ad Statii Silv. III. 2. 192.

Hinc omne principium, huc refer exitum. Ex instituto maiorum, et quasi ex formula. Liv. XLV. 39. *Utrum maiores vestri omnium magnarum rerum et principia exorsi ab Diis sunt, et finem eum statuerunt?*

Iam bis Monaeses et Pacori manus. Haec exempla sine iudicio ex historia petita sunt. Non enim pertinent ad neglecta templa et spretam religionem, nisi quatenus Crassus parum curaverit diras tribuni plebis, qui eum ab expeditione Parthica deterrere cupiebat, et tristia omina, quae in Oriente acciderant. Sed nusquam legimus Didium Saxam et Antonium a Diis fuisse admonitos, ut a simili bello abstinerent. Si vero causam belli civilis inter Antonium et Octavianum repetit a neglecta religione, ut ipsum bellum fuerit poena, Augustum ea re gravissime offendisset, eum, quem in hoc carmine propter studium templa reficiendi, sanctitatemque matrimoniorum revocandi, tantopere laudat. Iam Romani bis a Parthis caesi sunt, primum Crassus, deinde Antonius. Finge hoc diverso tempore fecisse Monaesem et Pacorum. An igitur Monaeses et Pacorus *bis* Romanos cecideruntⁿ? Essent quatuor clades. Sed et hoc dictum, et nomen Monaesis, in strage Crassi, tam obscurum est, ut Grammatico sufficisse videatur, si haberet modo nomen aliquod metro conveniens, nec in rebus Parthicis plane incognitum.

Impetus nostros. Oratio plane pedestris. Quod et alii viderunt.

Adiecisse praedam Torquibus exiguis renidet. Omitto verba, et constructionem adeo dubiam, ut, quam facturus sis, nescias. Illud rogo, cur hic dicantur *exigui torques*? Hoc laudarem in populo paupere, et tamen ornamenti istius studioso. Sed Parthi erant ditissimi, et historici narrant Crassum propterea potissimum contra eos profectum.

Paene occupatam seditionibus
Delevit Urbem Dacus et Aethiops:
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.
Fecunda culpae secula nuptias
Primum inquinavere, et genus, et domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.

Paene occupatam seditionibus. Si quis haec primum legat, nullo antea consulto interprete, is non alia nisi hac ratione accipiet: Exercitus Dacorum et Aethiopum coniunctus, Romam discordiis agitatam, obsedit, paene cepit, ac delevit. Sed hoc nunquam accidit. Igitur interpretes hanc sententiam inde cogunt: Aethiopes pro *Aegyptiis* Cleopatrae. Daci erant in castris Antonii. Antonius urbi ruinam minabatur. In urbe Roma dissentiebant. Ergo Dacus et Aethiops paene delevit urbem occupatam seditionibus.

Fecunda culpae secula. Pars duodecima Carminis Moralis, habens versus viginti quatuor. Sententia: » Neglecta matrimonii sanctitate, omnia in peius ruunt." *Fecunda*, ut Iulius Firmicus de Errore Prof. Rel. pag. 44. *Fecunda scelerum soboles.*

Hoc fonte derivata clades In patriam populumque fluxit. Credo melius scriptum iri. *Hoc fonte derivata labes.* Ut Virg. II. Aen. 97. *Hinc mihi prima mali labes.* Liv. XXXIX. 9. *Huius mali labes ex Etruria Romam, velut contagione morbi, penetravit.* Quamquam Gronovius ibi e MSS. restituat *tabes.* Librarii perpetuo has voces confuderunt: v. interpretes ad Sil. Ital. VIII. 21. Puto ubique *labem* esse scribendum, quando agitur de *causa et origine* mali. Ipsi malo, quod adest, saepe melius convenit *tabes.* Iustin. XVII. 1. *Haec illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruinae fuit.* Gualterus Alexandr. I. 466. *Unde mali labes, et prima effluxit origo Iliaci casus.* Adulteria fuerunt fons labentis disciplinae publicae et privatae. *Clades* aliquanto serius secuta est: neque ea statim ex uno vitio in patriam fluit. Pro *in patriam populumque* Bentl. volebat: *inque patres populumque.* Ego nihil mutem. Nam *patria et populus*

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, et fingitur artibus:
Iam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui.

ex antiqua formula bene coniunguntur. Servavit nobis hanc formulam Livius. V. 41. *Sunt qui, M. Fabio Pontifice maximo praefante carmen, devovisse eos se pro patria Quiritibusque Romanis tradant.* Ex eadem formula dixit Ovid. XV. Metam. 572. *Seu laetum est, patriae laetum populoque Quirini.* Iuvenal. XIV. 71. *Gratum est quod patriae civem populoque dedisti, Si facis ut patriae sit idoneus.* Bentleius in Ovidio et Iuvenale *patriae* substituit *patribus*, vocans in Iuvenale repetitionem inficetam *patriae-patriae.* Amor coniecturae suae hoc dicere iussit virum praeclarissimum. Nam ille non nesciebat esse elegans et Latinum: *Tu civem dedisti patriae. Fac ut idem patriae sit utilis.* Ovidiana recte tuetur Burman. usus, quod postea vidi, eodem Livii exemplo, et Accii: *Portentant populo, patriae verruncent bene.*

Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo. Vocem *matura* esse corruptam censeo. Nam quod virgo *matura* discat motus Ionicos, hoc in moribus tam pravis serum est. Exspectasses potius *immatura*, quod multo turpius. *Matura* etiam male convenit cum sequentibus, ubi eadem virgo dicitur amores incestos meditari de *tenero ungui.* Lego, literis paullum transpositis: *Motus doceri gaudet Ionicos a matre virgo.* Secula inquinaverunt matrimonia adulteriis. Transiit corruptela a parentibus in liberos. Virgo tenera a matre discit molles saltationes, mater ipsi artus fingit. *Fingere* proprium est illi aetati, minus *virgini maturae.* Nihil gravius et acerbius. Mater Romana, illa quondam adeo casta et severa, corrumpit suas filias. Iuvenal. Sat. XIV. 25. invehitur in mulieres sui temporis: *exspectas, ut non sit adultera Largae Filia; quae nunquam maternos dicere moechos Tam cito, nec tanto poterit contexere cursu, Ut non ter deciés respiret? Conscia matri Virgo fuit: ceras nunc hac dictante pusillas Implet, et ad moechum dat eidem ferre cinaedis.* Ambros. Oper. T. II. p. 181. de filia Herodis: *Quid enim potuit de adultera* (matre) *discere, nisi domnum pudoris?* Quinctil. I. 2. de pueris: *Nostras amicas, nostros concubinos vident: omne convi-*

Mox iuniores quaerit adulteros
Inter mariti vina: neque elegit,
Cui donet impermissa raptim
Gaudia, luminibus remotis:

tivum obscenis canticis strepit: pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Scholiastae quoque in suis exemplis *matura* non habuisse videntur. Nemo certe de ista voce aliquid annotavit. Contra Acro verba *de tenero ungui* interpretatur: *ab immatura et prima aetate.* Hoc facere non potuit, si supra legisset *matura virgo.* Sensit hoc Voltarius, qui admodum iuvenis, Horatiana sic France reddidit: *Voyez cette beauté sous les yeux de sa mère, Elle apprend en naissant l'art dangereux de plaire, Et d'irriter en nous de funestes penchans: Son enfance prévient le tems d'être coupable: Le vice trop aimable Instruit ses premiers ans.*

Mox iuniores quaerit adulteros. Non credo haec tam ridicula et obscoena ab Horatio esse posita in eo carmine, quod praecepta continet egregia, et orationem habet Lyricae gravitati consentaneam. Satis intelligimus quam corrupti fuerint mores et inquinata matrimonia, ubi virgo a matre motus Ionicos discit, et amores incestos de tenero ungui meditatur. Turpia huiusmodi exempla ex hominum vita notare, proprium est Satyrae, neque abhorret a carminibus amatoriis Catulli et reliquorum. Hic dedecent, magis etiam, si verum sit, quod suspicati sumus, Carmen 6 efficere partem maioris illius Carminis Gnomici, quod Horatius virginibus et pueris canebat. Quicunque hos versus finxerit, huic Romani scriptores varia, quae imitaretur, praebebant exempla.

Inter mariti vina: neque elegit. Puto interpungendum: *Inter mariti vina neque elegit.* Neque in convivio ipsa elegit, cui donet gaudia. In vulgatis non recte conveniunt *quaerit neque elegit.* Quaerit iuniores, cum iudicio et arbitrio. Si non elegit, sed iubetur et vocatur, non licet ei quaerere, sed esse debet contenta etiam sene.

Impermissa. Vox nusquam alibi lecta. Oudendorpius eam restituit in recentiore poëta. v. Burm. ad Anthol. Lat. Tom. I. pag. 143.

Luminibus remotis. Lumina in istiusmodi conviviis non removebantur, sed quasi imprudenter vel per ludum et iocum extinguebantur. Comici et Satyrici hanc lasciviam saepe memorave-

Sed iussa coram non sine conscio
Surgit marito; seu vocat institor,
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emtor.
Non his iuventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico,
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemque dirum:
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, et severae
Matris ad arbitrium recisos

runt. Plautus Asin. IV. 1. 39. *Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat. Post, si lucerna exstincta est, ne quid sui Membri commoveat quidquam in tenebris.* Lucianus in Symposio T. II. pag. 654. τέλος δὲ ὁ Ἀλκιβιάδας ἀνατρέψας τὸ λυχνίον, σκότος μέγα ἐποίησε. πολλὰ καὶ δεινὰ ἐπράχθη ἐν τῷ σκότῳ. καὶ ἐπεὶ παρῆν τις λύχνον ποτὲ κομίζων, κατελήφθη Ἀλκιβιάδας τὴν αὐλητρίδα ἀπογυμνῶν.

Non sine conscio surgit marito. Admodum corruptus hic versus legitur apud Schol. Iuvenalis VI. 140. »*Libertas* mariti, ut peccante uxore contentus sit tacere, propter avaritiam, ut Horatius: *Et non senourum scio surgat maritus.*" Non credibile est in his Scholiastae verbis aliam lectionem latere, quam vulgatam. Haec autem fieri *non sine conscio marito*, res ipsa clamat, quum mulier *coram* iubeatur abire e convivio. Caeterum Horatius haec scribere non ausus fuisset. Putasset enim Augustus se tangi, cui M. Antonius rem simillimam obiecit. Sueton. Augusto, 69. *M. Antonius super festinatas Liviae nuptias obiecit, et feminam consularem e triclinio viri coram in cubiculum abductam, rursus in convivium rubentibus auriculis, incomtiore capillo reductam.* Iuvenalis, quamquam in Satyra, illud de conscio marito longe honestius expressit I. 55. ubi ille dicitur *doctus spectare lacunar, Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.*

Dedecorum pretiosus emtor.

Portare fustes, sol ubi montium
Mutaret umbras, et iuga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.
Damnosa quid non imminuit dies!
Aetas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Auctor cogitasse potuit notum illud Demosthenis: *tanti non emo poenitere.* Bentleius ad Horatii I. Carm. 37. *dedecorum* interpretatur *mulierum impudicarum.*

Amicum Tempus agens abeunte curru. Sol non recte dicitur vespertinum tempus *agere* curru *abeunte.* Nam curru abeunte nihil *adducimus*, sed aliquid *abducimus.* Ideo interpretes iunxerunt: *ubi sol mutaret umbras abeunte curru.* Ego ita explicem: sol agens, secum in curru abducens *amicum* tempus, hoc est, diem, τὴν ἡμέραν. Nam et Graeci τὴν ὥραν ἡμέραν, *amicam*, *mitem horam*, seu tempus, appellarunt diem, oppositum tristiori nocti et tenebris. Apud Priscian. pag. 774. legitur *abeunte nocte.* Bondamus annotavit in antiquissimis Prisciani editionibus inveniri *subeunte.*

Damnosa quid non imminuit dies! Locus, propter admirabilem vim in tanta brevitate, merito laudatus a Blackwallo de Praestantia Auctor. Classicorum. Burman. in Anthol. Latin. Vol. I. pag. 457. putavit haec suo poëtae ante oculos fuisse, scribenti: *Defunctis patribus successit prava iuventus, Quorum consiliis praecipitata ruis.* Magis aperta est imitatio Divi Hilarii in Genesin: *Nascitur hinc proles peccati. Germinat inde Deterior multo soboles, peiorque priori Progenies sequitur, gradibus ad crimina crescens.* Citavit etiam Hildeb. Mor. Philos. p. 982. *In vita nostra continuum est detrimentum. Quod alibi idem monstrat poëta, dicens:* Damnosa quid non, caet.

CARMEN VII.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii,
Thyna merce beatum,
Constantis iuvenem fide,
Gygen? Ille Notis actus ad Oricum
Post insana Caprae sidera, frigidas
Noctes non sine multis
Insomnis lacrymis agit.
Atqui sollicitae nuncius hospitae,
Suspirare Chloën, et miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.

CARMEN VII.

Constantis iuvenem fide. In MS. Franek. etiam fuit *fidei*, sed manus recentior literam postremam erasit. Comm. Cruq. *Quid fles iuvenem constantis fidei.* Et mox: *Constantis, firmae, uxori fidem servantis.* v. Duker. ad Flori II. 2. et Cort. ad Plinii Epist. XIII. 6.

Actus ad Oricum. Graecam terminationem alii praeferunt, *Oricon.* v. Burmann. ad Propert. I. 8. 20.

Miseram tuis Dicens ignibus uri. Longa verborum circuitione opus est ut hinc sensum elicias, huic loco accommodatum. Neque credo Romanum haec aliter esse accepturum, nisi: dicens, o Asterie, Chloën te amare. Nam *uri ignibus alicuius* est *aliquem amare.* Ovid. V. Heroid. 152. *a nostro saucius igne fuit.* III. Fast. 545. *Arserat Aeneae Dido miserabilis igne.* Horatius non tam obscure scripsit. Reponamus, una eiecta literula: *miseram tui Dicens ignibus uri. Tui* mariti, *tui* Gygis. Sic *mea, tua,* ut Graecorum ἐμή, σή, *meus, tuus,* frequenter a poëtis usurpantur. Horat. I. Carm. 15. *Non hoc pollicitus tuae.* Ovid. I. Art. Am. 322. *Atque ait, exta te-*

Ut Proetum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert.
Narrat paene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens:
Et peccare docentes
Fallax historias monet:
Frustra: nam scopulis surdior Icarî
Voces audit adhuc integer. At, tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus iusto placeat, cave:

nens: Ite, placete meo. Heroid. XII. 158. *Clamarem: meus est. Iniiceremque manus.* Seneca Hero. Fur. 420. *non vincet fidem Vis ulla nostram: moriar, Alcides, tua.* v. Heins. ad Remed. Amoris vs. 492. *Frigidior glacie fac videare tuae.* Optime Hemsterhusius ad hanc rationem emendavit Propert. I. 5. 3. *Quid tibi vis, insane? Meae sentire furores?* Vulgo *meos.*

Fallax historias monet. MSS. nonnulla *movet*, quod Bentl. alteri praefert. *Movet* est orditur, enarrat: *monet*, cum tacita admonitione narrat, ut periculo talium exemplorum deterritus, ea ne sequi velit. Vim vocis egregie exposuit Gronov. Diatr. Statiana cap. 49. et Markland. ad Silv. V. 2. pag. 362.

Frustra. Nam scopulis surdior Icarî Voces audit adhuc integer. Pro *audit* Gesnerus in Coll. Sax. reperiri dicit *spernit.* Quod aliquatenus confirmatur loco Senecae Hippol. 580. *Ut dura cautes undique intractabilis Resistit undis, et lacessentes aquas Longe remittit, verba sic spernit mea. Spernit* etiam erat in MSS. Pulm. et Bersm. v. Bentlei. ad Horat. I. Serm. 3. 25. qui illud repudiavit, propter imitationem quoque Eurip. Medeae vs. 28. ὡς δὲ πέτρος ἢ θαλάσσιος Κλυδὼν, ἀκούει, νουθετουμένη φίλων. Ac fortasse melius est nihil omnino hic mutare. Hoc tamen diffiteri nolim, paullo mihi insolentius videri *audit surdior scopulis*, atque illud oxymorum huic loco non satis convenire.

Quamvis non alius flectere equum sciens
Aeque conspicitur gramine Martio,
Nec quisquam citus aeque
Tusco denatat alveo.
Prima nocte domum claude: neque in vias
Sub cantu querulae despice tibiae:
Et te saepe vocanti
Duram, difficilis mane.

Credam potius Horatii esse: *Nam scopulis durior Icari. Durus* praecipue de eo dicitur, qui amatus, non permovetur ut redamet. Pauca de eo dicemus ad Carm. 11. Vulgata est comparatio talis duritiae et omnino constantis animi cum saxo marino: v. Homerus Iliad. O. 618. Apollon. Rhod. III. 1294. Virgilius non uno loco, quando v. c. Aeneas *nullis movetur Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.* Statius V. Theb. 723. *Illa velut rupes immoto saxea visu Haeret.* Sidon. Apollin. Epist. IV. 23. *Nisi scopulis durior duras, aut adamantibus rigidior perseveras insecabilibus.* Pleraque huc facientia loca collegit Valcken. ad Eurip. Hippol. vs. 304. *Icarium* est eiusdem formae atque *Aegeum.* Manil. IV. 619. *Icarium Aegeumque secât.* Idem occurrit apud Mar. Victorinum pag. 2562, nisi ipse eum versum finxerit.

CARMEN VIII.

Martiis caelebs quid agam Calendis,
Quid velint flores, et acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite vivo,
Docte sermones utriusque linguae.
Voveram dulces epulas et album
Libero caprum, prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte, festus
Corticem adstrictum pice demovebit
Amphorae, fumum bibere institutae
Consule Tullo.

CARMEN VIII.

Si quis hoc carmen cum antecedenti v. c. et cum sequenti accurate comparaverit, is optime sentiet, quid aera lupinis distent. Illa sunt tersa, castigata, Latina, qualia Romanis auribus aetate Augusta probabantur: hoc est poëtae balbutientis, qui colorem quendam Romanum simulat, sed levem illum et fucatum. Videtur thema esse grammaticum: *Horatius Maecenatem Kalendis Martiis invitat.*

Docte sermones utriusque linguae. Haec longius separata sunt a nomine *Maecenatis*, neque cum reliqua oratione cohaerent. Et qua doctrina opus erat, ut homo Romanus sciret, quid essent Matronalia, quae quotannis redibant? Si vero ad id sciendum requireretur doctrina, cur Graeca?

Funeratus. Pro *perculsus*, *interemtus.* Nova et adhuc inaudita significatio.

Amphorae, fumum bibere institutae. Ex Horatii Epist. ad Pisones: *amphora coepit institui.*

Sume, Maecenas, cyathos amici
Sospitis centum, et vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor et ira.
Mitte civiles super Urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen:
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis:
Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber, sera domitus catena:
Iam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.

Cyathos amici Sospitis centum. Sobrium hominem! Numerus certus pro incerto, dicunt antiqui Scholiastae. Metrum, credo, fecit. *Septem* Grammatici iudicio non sufficiebant. Alium numerum quam *centum* versus non admittebat.

Vigiles lucernas Perfer in lucem. Hoc debebit significare: celebra convivium per totam noctem usque ad lucem. Sed omne illud male Latine dictum est. *Perferimus* lucernas nimium splendentes, ipsi oculis non adeo firmis, vel *perferimus* lucernas male olentes. Aliam rationem perferendi hic ignoro. *Vigiles* eodem modo adhibuit Gallienus Imperator apud Trebell. Pollion. cap. XI. *Ludite, sed vigiles nolite exstinguere lychnos:* Quod prope accedit ad illud Alcaei apud Athenaeum lib. X. πίνωμεν, τί τὸν λύχνον σβέννυμεν;

Procul omnis esto Clamor et ira. Inter Maecenatem et Horatium? Nam de aliis convivis nihil legimus, neque ex carmine vel suspicamur plures interfuisse.

Occidit Daci Cotisonis agmen. MS. Graev. *Cotisontis.* Haec autem ficta sunt ex Horatii III. Carm. 29. *Tu civitatem quis deceat status Curas*, caet.

Negligens ne qua populus laboret. Haec tam futilia sunt, ut et nonnullis interpretibus summopere displicuerint, et Guietus deleverit. *Negligens* intellectu difficile. Et quaerere libet, an una haec coena tantam postulet negligentiam? Populus laborabat scilicet, si Maecenas per horas

Negligens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere:
Dona praesentis cape laetus horae, et
Linque severa.

aliquot mitteret curas civiles. Iam Maecenas, praefectus urbi, non recte dicitur *privatus*. Privati quidem erant omnes praeter unum Caesarem, etiam Consules. Vide Cortium ad Plinii Epist. II. 1. Sed ea vocis significatio, deinde per adulationem invecta, Horatio erat incognita. Exemplum ex aetate Augusta non reperitur. Neque Augustus, qua erat prudentia, tale servitutis indicium tulisset. Sub Nerone, Domitiano, et similibus, ut vigebat tyrannis Persica, ita et crescebat verborum honos. Constat apud Persas quoque appellari omnes δούλους praeter unum Regem.

CARMEN IX.

Donec gratus eram tibi,
Nec quisquam potior brachia candidae
Cervici iuvenis dabat:
Persarum vigui rege beatior.

Donec non alia magis
Arsisti, neque erat Lydia post Chloën:
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.

Me nunc Thressa Chloë regit,
Dulces docta modos, et citharae sciens:
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animae fata superstiti.

Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti:
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.

CARMEN IX.

Donec non alia magis. MS. Franek. et Leidens. *aliam.* Plurima vero *alia.* Praeferendum iudico *aliam.* *Magis aliâ arsisti*, primum legentibus habet ambiguitatem.

Me nunc Thressa Chloë regit. Iucundior sonus esset, si legeremus *Thressa regit Chloë.* Ut mox: *prisca redit Venus.*

Quid si prisca redit Venus,
Diductosque iugo cogit aëneo?
Si flava excutitur Chloë,
Reiectaeque patet ianua Lydiae?

Quamquam sidere pulchrior
Ille est, tu levior cortice, et improbo
Iracundior Hadria:
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

Si flava excutitur Chloë. In MS. Vimar. *excluditur.* Narrat Cortius ad Lucan. V. 200. Sed metro repugnat. Et *excutitur* hic pulchrius. Virgil. VI. Aen. 79. *Si pectore posset Excussisse Deum.* Nisi quis intelligere malit *domo excutitur.* At hoc est, dicit interpres, contra rationem linguae. Videat Terent. Phorm. IV. I. 20. *Ut me excutiam.* i. e. ex domo celeriter abeam. v. Ruhnken.

Reiectaeque patet ianua Lydiae. Lydia Horatium eiecerat propter illius inconstantiam, qui levior esset cortice. Ideo supra dixit *Donec tibi gratus eram:* et tua ianua mihi patebat. Quomodo nunc idem promitteret, se suam ianuam Lydiae esse aperturum? Malim: *Reiectoque patet ianua Lydiae.* Talis oratio magis facit ad reconciliandum amicae animum, si se reiectum doleat, quam Lydiam reiectam. Bentlei. ad III. Carm. 15. explicat, et Chloën nunc, et Lydiam olim e domo Horatii eiectam.

Quid si prisca redit Venus,
  Diductosque iugo cogit aëneo?
Si flava excutitur Chloë,
  Reiectaeque patet ianua Lydiae?

Quamquam sidere pulchrior
  Ille est, tu levior cortice, et improbo
Iracundior Hadria:
  Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

Si *flava excutitur Chloë.* In . Vimar. *excluditur.* Narrat rtius ad Lucan. V. 200. Sed ıtro repugnat. Et *excutitur* ɜ pulchrius. Virgil. VI. Aen. . *Si pectore posset Excussisse* ɪum. Nisi quis intelligere ma- *domo excutitur.* At hoc est, t interpres, contra rationem ıae. Videat Terent. Phorm. IV.). *Ut me excutiam.* i. e. ex celeriter abeam. v. Ruhnken. *ıectaeque patet ianua Ly-* Lydia Horatium eiecerat propter illius inconstantiam, qui levior esset cortice. Ideo supra dixit *Donec tibi gratus eram:* et tua ianua mihi patebat. Quomodo nunc idem promitteret, se suam ianuam Lydiae esse aperturum? Malim: *Reiectoque patet ianua Lydiae.* Talis oratio magis facit ad reconciliandum amicae animum, si se reiectum doleat, quam Lydiam reiectam. Bentlei. ad III. Carm. 15. explicat, et Chloën nunc, et Lydiam olim e domo Horatii eiectam.

CARMEN X.

Extremum Tanain si biberes, Lyce,
Saevo nupta viro: me tamen asperas
Porrectum ante fores obiicere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis, quo strepitu ianua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis? et positas ut glaciet nives
Puro numine Iupiter?

CARMEN X.

Porrectum ante fores. Bentleius *Proiectum.* Mihi non placet propter sequens *obiicere.* Haec in MSS. saepe turbantur. Virgil. IX. Aen. 589. *Multa porrectum extendit arena.* v. Burm.

Obiicere incolis. Pulchre. *Obiicimus* aliqnem feris bestiis, et quibusvis periculis. v. Heins. Adversaria pag. 408.

Inter pulchra satum tecta remugiat Ventis? Verba, ut nunc leguntur, ita ordinanda sunt: *quo strepitu nemus ventis remugiat. Remugit strepitu ventis*, durissimum est. Et remanet in sequentibus difficultas, quomodo nempe Lyce domi et in cubiculo audiret Iovem coelo sereno nives glaciantem. Bentleius corrigebat: *tecta remugiat? Sentis et positas:* vel *Audi, quo strepitu remugiat ventis! en, positas ut glaciet nives:* vel *duro numine Iupiter.* Ego ita divinabam: *tecta remugiat. Ventis et positas ut glaciet nives, Puro et lumine Iupiter.* Novimus gelu nocturnum nunquam esse acrius quam flante vento, v. c. ab oriente, vel, ut hic, a septentrione, et coelo puro, luna et astris fulgentibus. Iupiter, hoc est coelum, glaciat nives et ventis et puro lumine. Utrum puritas aëris gelu efficiat, nec ne, in poëta Romano non quaerendum est. Recte autem coelum noctu dicitur esse *puro lumine*, propter lunam et astra. Scholiastae laudant versum » *Pura nec obtusis per coelum cornibus ibit:* qui est Virgil. I. Georg. 433. Horat. II. Carm. 5. *Ut pura nocturna*

Ingratam Veneri pone superbiam;
Ne currente retro, funis eat, rota.
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.
O, quamvis neque te munera, nec preces,
Nec tinctus viola pallor amantium,
Nec vir Pieria pellice saucius
Curvat: supplicibus tuis

renidet Luna mari. Idem in Epod. XV. *Nox erat et coelo fulgebat Luna sereno.* v. Burman. ad Valer. Flacci II. 56. *Puraque nec gravido surrexit Cynthia cornu.* Scaliger ad Ausonii Mosellam vs. 1. etiam verba *puro lumine Iupiter* de coelo sereno accipit, cui oppositum sit lumen *nebulosum.* Pro *numine* in quibusdam MSS. erat *limine*, unde alii fecerunt *lumine.*

Ne currente retro funis eat rota. Bentleius ex MSS. alium verborum ordinem commendavit: *Ne currente rota funis eat retro.* Vellem, simul aliquid ad explicationem loci difficillimi dixisset. Nimia felicitas, et nata ex ea superbia, stare non solet, sed brevi retrocedit. Notissima sententia, et a multis celebrata. v. Interpr. ad Iustin. XII. 8. Florum IV. 2. et praecipue Ruhnken. ad Vellei. Paterc. I. 17. Sed in omnibus illis exemplis nullum est, quod pertineat ad illustrandam Horatii imaginem, in qua difficultas oritur ex *rota* et *funo.* Habent Graeci proverbium: omnia retro eunt ὥσπερ κάλου ῥαγέντος: et μὴ ἀποῤῥήξωμεν πάνυ τείναντες τὸ καλώδιον. Et quamquam non inveni qui *rotae* mentionem addiderit, tamen hinc explicandum puto Horatii versum, hoc modo: Rota currit, a nobis agitatur, ut funem, circum rotam volutum, sine intermissione intendamus. Huic funi res et fortuna nostra sunt alligatae. Fortunam nostram ex humili in altum adducere tentamus. Quo altius progredimur, eo gravius fit onus, funi alligatum. Tandem funis it retro, rumpitur, fortuna nostra, a fune pendens, revolvitur. Alia ratione Metaphoram informavit Liv. IV. 13. *Ipse, ut est animus humanus insatiabilis eo quod fortuna spondet, ad altiora et non concessa tendere.* Sidon. Apollin. Carm. V. 295. fatorum *rotam* commemorat: *Fatorum currente rota.* Gogav. Praeterm. pag. 41. cum Nizolio legit *funus eat.*

CARMEN X.

Extremum Tanain si biberes, Lyce,
Saevo nupta viro: me tamen asperas
Porrectum ante fores obiicere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis, quo strepitu ianua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis? et positas ut glaciet nives
Puro numine Iupiter?

CARMEN X.

Porrectum ante fores. Bentleius *Proiectum.* Mihi non placet propter sequens *obiicere.* Haec in MSS. saepe turbantur. Virgil. IX. Aen. 589. *Multa porrectum extendit arena.* v. Burm.

Obiicere incolis. Pulchre. *Obiicimus* aliqnem feris bestiis, et quibusvis periculis. v. Heins. Adversaria pag. 408.

Inter pulchra satum tecta remugiat Ventis? Verba, ut nunc leguntur, ita ordinanda sunt: *quo strepitu nemus ventis remugiat. Remugit strepitu ventis*, durissimum est. Et remanet in sequentibus difficultas, quomodo nempe Lyce domi et in cubiculo audiret Iovem coelo sereno nives glaciantem. Bentleius corrigebat: *tecta remugiat? Sentis et positas:* vel *Audi, quo strepitu remugiat ventis! en, positas ut glaciet nives:* vel *duro numine Iupiter.* Ego ita divinabam: *tecta remugiat. Ventis et positas ut glaciet nives, Puro et lumine Iupiter.* Novimus gelu nocturnum nunquam esse acrius quam flante vento, v. c. ab oriente, vel, ut hic, a septentrione, et coelo puro, luna et astris fulgentibus. Iupiter, hoc est coelum, glaciat nives et ventis et puro lumine. Utrum puritas aëris gelu efficiat, nec ne, in poëta Romano non quaerendum est. Recte autem coelum nocte dicitur esse *puro lumine*, propter lunam et astra. Scholiastae laudant versum » *Pura nec obtusis per coelum cornibus ibit:* qui est Virgil. I. Georg. 433. Horat. II. Carm. 5. *Ut pura nocturno*

Nec loquax olim, neque grata, nunc et
Divitum mensis, et amica templis:
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures;
Quae, velut latis equa trima campis,
Ludit exsultim, metuitque tangi,
Nuptiarum expers, et adhuc protervo
Cruda marito.
Tu potes tigres comitesque silvas
Ducere, et rivos celeres morari:
Cessit immanis tibi blandienti
Ianitor aulae,

Horatius, credo addidisset templis *Deorum*. *Divitum mensis et templis*, non bene convenit. Haec similia sunt glossae poëticae, in qua Grammaticus exposuit et amplificavit illud *lyrae inventor*.

Obstinatas applicet aures. Comment. Cruq. in argumento legit *obseratas*. Ita Horat. Epod. XVII. *Quid obseratis auribus fundis preces?*

Quae velut latis equa trima campis. Cortius ad Lucan. IV. 346. dicit in suis MSS. legi: *Quae velut campis equa trima latis.*

Cruda marito. Melius procedet comparatio, si scribamus *dura marito*. Horatius optat ut Lyde potiatur. Quam si sciret nondum esse maturam, sed *crudam*, abstineret. A crudis tangendis, ipse alibi amicum dehortatur, dicens: *tolle cupidinem immitis uvae*. *Crudus* interdum significat idem quod *durus*, *crudelis*. Sed non credibile est hic vocem usurpari ambiguae significationis. Vulgata lectio iam Scholiastas dubitare fecit, utrum *cruda* referrent ad animum an ad corpus. *Crudus* et *durus* saepe in MSS. permutantur: v. c. apud Lucan. III. 507. *Durus* in hoc genere valde usitatum est. Horat. III. Carm. 7. *Et te saepe vocanti Duram, difficilis mane.* IV. Carm. 1. *volucrem sequor Te per aquas, dure, volubiles.* Propert. I. 16. *Sit licet et saxo patientior illa Sicano, Sit licet et ferro durior et chalybe.* v. Burm.

Tu potes tigres comitesque silvas Ducere. Mercurius erat lyrae

Parcas, nec rigida mollior aesculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit liminis aut aquae
Coelestis patiens latus.

Nec Mauris animum mitior anguibus. Heinsius volebat *Marsis.* Et ager Marsicus videtur serpentium fuisse feracissimus, unde cantus et naeniae *Marsae*, quibus illi rumpebantur. v. Heins. ad Ovid. Art. Am. II. 102. ubi hanc coniecturam in Horatio non proposuit. Philoxenus: *Marsae.* Ἀσπιδοθήρας, ὀφιοδιώκτας.

CARMEN XI.

Mercuri, nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides, canendo,
Tuque, Testudo, resonare septem
Callida nervis,

CARMEN XI.

Tuque testudo resonare septem. Hunc et tres versus sequentes Comm. Cruq. non legisse videtur. Nam ita scribit in argumento huius carminis: » *Invocat Mercurium, lyrae inventorem, ut dicat modos, quibus amica eius Lyde fiat ei morigera.* Ordo est: *Mercuri dic modos, quibus Lyde obseratas aures applicet, nam te magistro docilis Amphion movit lapides canendo.*" Et possumus his versibus facile carere, quippe alienis a re proposita. Mercurium invocari, lyrae inventorem, statim apparet ex Amphione. Quid hic memorare attinet, testudinem olim fuisse surdam, nunc gratam mensis et templis? Ipsa vox *testudinis* hic parum apta est. Ubi enim dicitur olim non *loquax* fuisse, vel inviti cogitamus de animali: et sic est in *callida.* Et novimus quidem templa non esse divitum. Quando tamen praecessit *divitum mensis,*

Nec loquax olim, neque grata, nunc et
Divitum mensis, et amica templis:
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures;
Quae, velut latis equa trima campis,
Ludit exsultim, metuitque tangi,
Nuptiarum expers, et adhuc protervo
Cruda marito.
Tu potes tigres comitesque silvas
Ducere, et rivos celeres morari:
Cessit immanis tibi blandienti
Ianitor aulae,

Horatius, credo addidisset templis *Deorum*. *Divitum mensis et templis*, non bene convenit. Haec similia sunt glossae poëticae, in qua Grammaticus exposuit et amplificavit illud *lyrae inventor*.

Obstinatas applicet aures. Comment. Cruq. in argumento legit *obseratas*. Ita Horat. Epod. XVII. *Quid obseratis auribus fundis preces?*

Quae velut latis equa trima campis. Cortius ad Lucan. IV. 346. dicit in suis MSS. legi: *Quae velut campis equa trima latis.*

Cruda marito. Melius procedet comparatio, si scribamus *dura marito*. Horatius optat ut Lyde potiatur. Quam si sciret nondum esse maturam, sed *crudam*, abstineret. A crudis tangendis, ipse alibi amicum dehortatur, dicens: *tolle cupidinem immitis uvae*. *Crudus* interdum significat idem quod *durus*, *crudelis*. Sed non credibile est hic vocem usurpari ambiguae significationis. Vulgata lectio iam Scholiastas dubitare fecit, utrum *cruda* referrent ad animum an ad corpus. *Crudus* et *durus* saepe in MSS. permutantur: v. c. apud Lucan. III. 507. *Durus* in hoc genere valde usitatum est. Horat. III. Carm. 7. *Et te saepe vocanti Duram, difficilis mane.* IV. Carm. 1. *volucrem sequor Te per aquas, dure, volubiles.* Propert. I. 16. *Sit licet et saxo patientior illa Sicano, Sit licet et ferro durior et chalybe.* v. Burm.

Tu potes tigres comitesque silvas Ducere. Mercurius erat lyrae

Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput eius, atque
Spiritus teter saniesque manet
Ore trilingui.

inventor. Quod huius lyrae praeclari fidicines faciebant, hoc nunc ipse Mercurius fecisse dicitur. Duxit autem tigres *comites* et silvas *comites*. Eum secutae sunt silvae cum tigribus. Horatius saepe iungit particulam *que* cum voce aliena: ut Carm. II. 19. *Ore pedes tetigitque crura*. Vide Gesnerum ad vs. 28. et Cort. ad Lucan. III. 224. Hoc non cogitarunt interpretes, qui putant, *ducere* minus ad *tigres* pertinere.

Muniant angues caput eius atque. *Eius* est vox humilior, quam pro hoc loco, et plane supervacua, quoniam aliud caput quam Cerberi non potest intelligi. Merito igitur eam culpaverunt omnes fere interpretes, quorum annotatis de hoc usu pronominis, addendus est Burman. ad Lotichium T. I. pag. 577. Ego illud e glossa huc irrepsisse arbitror, quod centies accidit, praecipue in scriptoribus prosae orationis. v. Cort. ad Sallust. Catil. XV. 5. Glossatores Horatiani plurimum addunt. Comment. Cruq. pag. 114. *Centiceps: Cerberum notat, propter multitudinem anguium, qui e capite eius eminebant*. Idem pag. 250. *pecusve: meum*. Imperiti librarii, interdum tamen imprudentes, pronomina transtulere in orationem scriptoris, praecipue si glossae essent interlineares. Sic in MS. Franck. Carm. I. 37. legitur: *Caesar ab Italia illam volantem*: ubi Horatius scripsit: *Caesar ab Italis volantem*, ut metrum exigit, et alia omnia habent MSS. Ita primum legi hic potuit: *Muniant angues caput eius*, et post vocem *eius* aliquod verbum, cuius partem priorem deinde alii truncaverint, ut metro consulerent. Suspicor hoc verbum fuisse *ardeatque*. *Muniant angues caput, ardeatque Spiritus teter*. Spiritus teter *ardet* ex ore. Tam vehemens est latratus, ut fumus et flamma ex ore prorumpere videantur. Comparandus cum Horatianis est Hermesianax, cuius Elegiam, ab Athenaeo servatam, eximie illustravit Ruhnkenius in Epist. Crit. II. pag. 285. ubi Orpheus cithara canens, παντοίους ἐξανέπεισε θεούς. Κωκυτόν τ', ἀθέμιστον, ὑπ' ὀφρύσι μειδήσαντα, Ἠδὲ καὶ ἀνοτάτου βλέμμ'· ὑπέμεινε κυνός, Ἐν πυρὶ μὲν φωνὴν τεθωμένον, ἐν πυρὶ δ' ὄμμα Σκληρόν,

Quin et Ixion, Tityosque vultu
Risit invito: stetit urna paullum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum poenas, et inane lymphae
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata,
Quae manent culpas etiam sub Orco.
Impiae, nam quid potuere maius?

τριστοίχοις δεῖμα φέρον κεφαλαῖς. Posui illud ἀθέμιστον, quod Ruhnkenio displicebat, in parenthesi, ut sit exclamatio, similis Romanae *turpe! nefas!* Videtur autem Hermesianactem ante oculos habuisse Horatius, et ex Cocyto *ridente* fecisse *ridentes* Ixionem et Tityum. Spiritus canis τεθωμένου φωνὴν, ἐν πυρὶ *ardet.* Sic Virgil. III. Georg. 85. de equo: *Volvit naribus ignem.* Oppian. II. de Venat. 56. tauri πυροὲν πνείουσι. Auctor Culicis vs. 217. *Obvia Tisiphone, serpentibus undique cincta, Et flammis et saeva quatit mihi verbera poenae: Cerberus et diris flagrant latratibus ora. Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis, Sanguineique micant ardorem luminis orbes.* Locus ille quidem est corruptus, sed illud *ora flagrant diris latratibus*, mire nobis favet. Possis legere: *et flammas et saeva quatit mihi verbera. Pone est Cerberus, et diris flagrant latratibus ora.* Ante me video, dicit, Tisiphonem, post me furit Cerberus. Silius Ital. VI. 219. *serpens evolvitur antro, Et Stygios aestus fumanti exsibilat ore.* Idem V. 603. de homine ira incenso: *Sic memorans torquet fumantem ex ore vaporem.* Haec ita de versu difficillimo scripseram, quum vidi disputationem Naekii in *Indice praelectionum in Academia Bonnensi habendarum per menses hibernos anni MDCCCXXI — MDCCCXXII.* In ea vir multi iudicii et doctrinae talibus argumentis hos versus esse spurios probavit, ut mihi plane persuaserit. Naekio etiam assentitur Philippus Buttmannus in Mythologo Vol. II. pag. 367.

Impiae, nam quid potuere

Impiae sponsos potuere duro
Perdere ferro.
Una de multis, face nuptiali
Digna, periurum fuit in parentem
Splendide mendax, et in omne virgo
Nobilis aevum.
Surge, quae dixit iuveni marito,
Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur: socerum et scelestas
Falle sorores:
Quae, velut nactae vitulos leaenae,
Singulos, eheu! lacerant: ego illis
Mollior, nec te feriam, neque intra
Claustra tenebo.
Me pater saevis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci:
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.

maius. Auctor Culicis vs. 124. *inter quas impia Lotos. Impia, quae socios Ithaci moerentis abegit.*

Splendide mendax. Cicero pro Q. Ligario. *Si honesto et misericordi mendacio saluti civis calamitosi consultum esse vellemus.* Tacit. IV. Hist. 50. *Servus egregio mendacio se Pisonem esse respondit.* Ambros. Tom II. pag. 948. *O beatum mendacium.* Fulgentius Error. Gentil. pag. 57. *Honeste mendax Graecia.* Prudent. Vol. I. pag. 93. *Pie contumax.* Similia quaedam annotavit Rittershus. ad Guntheri Ligur. II. 563.

Singulos, eheu! lacerant. Vidi, qui coniiceret: *Singulos, Lynceu, lacerant.* Coniectura neque hic necessaria, et sono auribus ingrato. Labdacismum vocant Graeci.

I, pedes quo te rapiunt et aurae,
Dum favet nox, et Venus: i secundo
Omine: et nostri memorem sepulcro
Sculpe querelam.

, *pedes quo te rapiunt et* se. Versus conflati sunt ex ıtio et Ovidio. Horatius Epod. . *Ire pedes quocumque fe-* , *quocumque per undas No-* *vocabit aut protervus Afri-* Alia ex Ovidii Epistola Hymestrae Lynceo: *Dum nox* !, *effuge*, *dixi*. Denique ıt. III. Carm. 29. bene scrip-: *Et memor nostri Gala-* *vivas*. Minus bene hic scrip- est *querela nostri memor*. *Vostri memorem sepulcro* *pe querelam*. Verba inepta! erat Lynceo ut quam celer- fugeret. Quomodo iam dipotest, incide epitaphium in meo sepulcro? Neque sciebat quid pater de se esset facturus, sive catenis oneraret, sive in Numidiam ablegaret. Mirum, epitaphium non esse additum! Male auctor imitatus est Ovidium. Ovidius enim illud de sepultura ad aliquam veri similitudinem finxit. Nempe vs. 125. *Vel fer opem*, *vel dede neci*, *defunctaque vita* *Corpora furtivis insuper adde* *rogis*. Sic Lynceus eam poterat sepelire, et scribere aliquid in sepulcro. Guietus quoque tamen pro spuriis habet. Interea haec legisse videtur Ausonius Prof. Burdig. VII. *Flebilem cantum memoris* *querelae*.

CARMEN XII.

Miserarum est, neque amori dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere: aut exanimari, metuentes
Patruae verbera linguae. Tibi qualum Cytherae
Puer ales, tibi telas, operosaeque Minervae
Studium aufert, Neobule, Liparei nitor Hebri,
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
Neque segni pede victus: catus idem per apertum
Fugientes agitato grege cervos iaculari, et
Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum.

CARMEN XII.

Miserarum est, neque amori dare ludum. Alii *nec. Neque* habet Terent. Maurus vs. 2067. ubi recte animadvertit Santenius poëtas maluisse *neque* ante vocalem, saepe ab iis mutatum, qui non habebant aures. Bentleius ad III. Carm. 11. ubique praefert *nec neque* vel *neque nec*, varietatis caussa, si nempe lex metri permittat. Ego sonum pluris esse faciendum arbitror, quam in re tam levi varietatem. v. Cort. ad Lucan. I. 350. et Heinrich. Ciceron. pro Scauro pag. 111. *Ludum amori dare* exposuit Burm. ad Phaedr. II. 14. Cicero pro Coelio cap. 12. *Aetati ludum dare.*

Liparei nitor Hebri. Multi nomina fluviorum habebant. *Hebrus* quoque est apud Valer Flacc. III. 149. v. Heins. Advers. p. 368.

Pede victus. In uno MS. *vinctus.*

Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum. In MS. Voss. *yrto*, cum glossa interlineari *spisso.* Habuit nempe *hirto.* Quod est Graecorum λάσιον. Callim. Hymno Dianae 192. λασίῃσιν ἐπὶ δρυσὶ κρίπτετο νύμφη. Illud epitheton elegantius et exquisitius est, quam ut a grammaticis pro notiore *alto* et *arcto*, ut in aliis MSS. legitur, excogitatum sit. Columella X. 27. *hirta sepes.* Stat. I. Silv. 3. *hirta dumis saxa.* Vlitius ad Gratii Cyneg. vs. 49. praefert *arcto.*

CARMEN XIII.

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,
Cras donaberis hoedo,
Cui frons turgida cornibus
Primis, et venerem et proelia destinat:
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi suboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere: tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes, et pecori vago.

CARMEN XIII.

O fons Bandusiae. Fontem vidit, et ex versibus Horatianis agnovit popularis meus Groningamus, G. N. Heerkensius Notabil. I. pag. 31: *Restabat ut fontem Blandusiae invenirem. Requisivi a comitibus meis, numquid fontis istic loci cognoscerent? cognoscebant: nec a ruderibus multum procul aquae vitro splendidiores mihi ostensae sunt, quae frigus amabile praebent, et quas flagrantis atrox hora Caniculae nescit tangere. Cava decantata illa saxa, unde loquaces lymphae desiliunt, videre, salutare, tangere non suffecit. Libavimus lymphas, illisque manus et ora perfundentes, ut Horatio et Geniis loci bene esset, precabamur.* Iter illud fecit saeculo fere medio, quod praeteriit.

Cui frons turgida cornibus Primis et Venerem et proelia destinat. Pro *et Venerem* in MS. Voss. notatum *iam Venerem*: alterum *et* in aliis MSS. deest. Mallem: *Cui frons turgida cornibus Primis in Venerem, proelia destinat.* Elegans est *cornua turgida in Venerem, turgent in Venerem*, pro *cornua ei turgent et cupit Venerem, in Venerem fertur.* Virgil. III. Georg. 231.

Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

Et tentat sese, atque irasci in cornua discit. Irascitur, et cornibus uti incipit. V. Aen. 147. *Pronique in verbera pendent.* Claudian. IV. Cons. Honor. 617. *In civem rubuere genae.* Genae rubent, et esse cupit et incipit civis. Huc pertinent nonnulla eorum quae annotavit Heins. ad Virgil. X. Aen. 455. et Bentleius ad Manil. II. 246. *ariesque in cornua torvus.*

Fies nobilium tu quoque fontium. Callim. H. Del. 131. *Καὶ μόνος ἐν ποταμοῖσιν ἀτιμότατος καλέεσθαι.*

Unde loquaces Lymphae desiliunt tuae. Mihi semper displicuit *tuae.* Non desideratur adiectivum pronomen, neque castigati scriptores ita utuntur. Horatius hic etiam vitasset propter aliud adiectivum *loquaces.* Offendit quoque Bentleium, qui propterea hunc verborum ordinem instituit: *Unde lymphae tuae desiliunt loquaces*, quod est pro *loquaciter.* Ego, si cogitem, quam parum in MSS. differant *tuae* et *pede*, credo Horatium scripsisse: *Unde loquaci Lymphae desiliunt pede.* Horat. Epod. XVI. 47. *Montibus altis Levis crepante lympha desilit pede.* Poëtae utuntur *loquax* de rebus, sonum leviorem edentibus. Et Homus Veneris pedem appellabat κωτίλον. v. Voss. ad Catullum.

CARMEN XIV.

Herculis ritu, modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiisse laurum,
Caesar, Hispana repetit penates
Victor ab ora.
Unico gaudens mulier marito
Prodeat, iustis operata Divis;
Et soror clari ducis, et decorae
Supplice vitta

CARMEN XIV.

Herculis ritu. Ut verba sese habent, Augustus dicebatur ritu Herculis petiisse laurum morte venalem. Quod neque in Hercule verum est. Iungunt interpretes *Herculis ritu repetit victor penates.* Sed ubi erant Herculis penates, illius, qui per omnem vitam *vagus* erat? Et si hoc voluisset auctor, verba facilius ordinare potuisset.

O plebs. Non credo simile in omni Latinitate reperiri exemplum. Iam inusitatum accidisset, *o populc.* Quanto magis *o plebs.*

Morte venalem petiisse laurum. Laurum multi petunt, non omnes consequuntur. Augustus certe consecutus est, qui victor redierit. Ergo Augustus *mortuus rediit.* Nam qui consequitur laurum morte venalem, is non consequitur nisi pretio mortis.

Repetit penates. Parum consuluit poëta iudicio aurium, in *petiisse*, *repetit*, *penates.*

Unico gaudens mulier marito. Rustica laudatio pudicitiae. *Contenta uno marito:* diversa scilicet a Phryne libertina, quae *non uno erat contenta.* Si auctor *unico* posuit pro *egregio*, et ambigue posuit, neque satis ad laudem Augusti dixit. Credo ei non ignotum fuisse hoc Martialis X. 35. puellae, *Uni quae cupiunt viro placere.*

Decorae supplice vitta. Quaenam hic sint matres virginum, quis hic locus sit virginibus, quinam mox iuvenes nuper sospites, nemo interpretum ita expediit, ut, si verum dicere velis, te intelligere dixeris.

Virginum matres, iuvenumque nuper
Sospitum. Vos, o pueri, et puellae
Iam virum expertes, male ominatis
Parcite verbis.
Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas: ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente
Caesare terras.
I, pete unguentum, puer, et coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli:

Vos, o pueri et puellae. Merae tenebrae, in quibus micare operae pretium non est.

Male ominatis parcite verbis. Error in re metrica, vix probabili coniectura tollendus. Atque hactenus auctor versatus est in depingenda communi et publica laetitia. In qua mihi omnia videntur tam frigida et ieiuna, tam obscura et male cohaerentia, ut, quicunque hos versus fecerit, ne mediocris quidem poëtae nomen tueri possit. Neque vero rem melius gessit in describenda privati hominis laetitia.

Eximet curas. Quasi Horatius aliis diebus per totum annum atris curis viveret oppressus.

Nec mori per vim metuam. Imitatur Carm. IV. 15. *Custode rerum Caesare non furor Civilis aut vis eximet otium.* Sed imitatio infeliciter cessit. Vide vel illud, *non metuam mori*: hoc vulgo significat *libens moriar*, *mori cupio.* Horat. III. Carm. 9. *Pro qua non metuam mori.* III. 19. *Codrus pro patria non timidus mori.* Legimus et in IV. Carm. 9. *Non ille pro caris amicis Aut patris timidus perire.* Sic III. Carm. 11. *metuit tangi.* IV. Carm. 5. *Culpari metuit fides.* Et alibi *penna metuens solvi.* Adde Cort. ad Lucanum III. 407. *Illis et volucres metuunt insistere ramis.*

I, pete unguentum puer, et coronas. Praeclara vero laetitia! Solus, sine amicis. Veniat tamen Neaera, dicit. Et cito. Si non, maneat. Nam non sum, qui fui. Irasci non amplius possum propter istiusmodi cunctationes. Quibus cachinnis hodiernum poëtam exciperemus, si talia scriberet!

Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa.
Dic et argutae properet Neaerae
Myrrheum nodo cohibere crinem:
Si per invisum mora ianitorem
Fiet, abito.
Lenit albescens animos capillus
Litium et rixae cupidos protervae:
Non ego hoc ferrem, calidus iuventa,
Consule Planco.

Spartacum si qua potuit vagantem Fallere testa. Pete *cadum*, si qua *testa* Spartacum latuit. Non bene, pro *si quis cadus.* Tum *si qua*, hoc est, *aliqua* metro repugnat. Igitur acceperunt: *Si qua ratione.* Sed quis puerum iubeat petere cadum vini tam rari, ut ipse dubites, an forte aliquis, tamquam miraculo quodam, Spartacum evaserit?

Dic et argutae properet Neaerae. Ultimos octo versus Horatio indignos iudicavit Duhamel. *Dic properet* certe nuntiabatur mulieri, quae statim esset parata. Tali nemo sanus dederit ianitorem. Neque haec ullo modo pertinent ad rem propositam.

Abito. Quasi aliud facere posset puer.

Non ego hoc ferrem. Et nondum sciebat an mora per ianitorem esset iniecta. Sic est totum carmen. Alia aliis contraria. Interim Servius ad V. Aen. 172. haec citavit: ut Charis. pag. 49. versum 19.

CARMEN XV.

Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiae fige modum tuae,
Famosisque laboribus:
Maturo propior desine funeri
Inter ludere virgines,
Et stellis nebulam spargere candidis.
Non, si quid Pholoën satis,
Et te, Chlori, decet: filia rectius
Expugnat iuvenum domos,
Pulso Thyias uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Lascivae similem ludere capreae:
Te lanae prope nobilem
Tonsae Luceriam, non citharae, decent,
Nec flos purpureus rosae,
Nec poti, vetulam, faece tenus cadi.

CARMEN XV.

Stellis nebulam. MS. Voss. *nebula.*

Non, si quid Pholoën satis, Et te, Chlori, decet. Malim, hac distinctione: *Non, si quid Pholoën, satis Et te, Chlori, decet.* Simplex *decet* in hac re plus est, quam *satis decet.* Quod Pholoën satis decet, est, quod in Pholoë non tam inique ferimus, quod propter iustas caussas excusari in illa potest. Quae non est sententia Horatii.

Expugnat iuvenum domos. Haud dissimili impudentia erant mulieres, quae Athenis ἐκ τῆς ὁδοῦ τοὺς παριόντας ἁρπάζουσα, apud Theophr. Char. Eth. cap. 22. Xenarchus apud Athen. XIII. 3. Αὗται βιάζονται γὰρ, ἐπέλκουσί τε, in eadem caussa.

Amor Nothi. Nomen suspectum mihi. Propter significationem *spurii*, convitio simile est. Horatius alibi utitur honestis *Ornyti*, *Calais*, *Gygis*, *Hebri*, *Lyci*, *Mystae*, *Nearchi*, *Ismithiae.*

Non citharae decent. In uno MS. *docent.* Error scripturae. Horatius pulchre repetit *decent*, ut etiam *ludere.*

CARMEN XVI.

Inclusam Danaën turris aënea,
Robustaeque fores, et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris;
Si non Acrisium, virginis abditae
Custodem pavidum, Iupiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
Converso in pretium Deo.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. *Concidit auguris*
Argivi domus, ob lucrum

CARMEN XVI.

Inclusam Danaën. Pars decima tertia Carminis Moralis, complectens versus duodecim. Sententia: »Auro omnia cedunt." Locus in mente erat I. Firmico De Errore Prof. Relig. pag. 24. *Quod inclusam regiam virginem auro largiter fluente corruperit.*

Concidit auguris Argivi domus. Celebrata a multis fabula, qua veteres in tali praecepto utebantur, ut usus est Cicero IV. Verr. 18. *Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, ut, cum vidisset monile, ut opinor, ex auro et gemmis, pulchritudine eius incensa, salutem viri proderet.* Sed poëta noster hoc exemplo non recte usus est. Nam, si ea, quae dixit, respondere vellet antecedentibus, debuisset dicere: *ob aurum etiam uxor maritum prodit, Eriphyla Amphiaraum.* Talem sententiam, quae requirebatur, quomodo expressit? *Lucrum* pro *auro*, propter metrum. Neque mulier adeo mota fuit vili spe et cogitatione lucri, quam pulchritudine et raritate monilis. *Domus auguris concidit.* Parum accurate et perspicue, pro *ipso augure.* Potuit etiam domus concidisse, ipso incolumi. Neque

Dissiluit urbium Porta vir Macedo, et subiit aemulos
Reges muneribus: munera navium
Saevos illaqueant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam.
Maiorumque fames. Iure perhorrui

hic quaerebatur quaenam animalia et auri mancipentur, sed quam vim auri haberet in animos hominum. Summo hoc exemplum e fabula pedum magna admiratione adiecit, adeo ut nemo, nisi ebrietate Amphiaraum esse augurem Argivum, mentem poetae intellecturus sit. Caeterum de simpuviis, qui fabulam exposuerunt, v. Vinetus ad Ausonii Cupidinem vs. 28. Anacreontes Lampsacenus apud Athenaeum VI. pag. 239. narrat hoc monile tam carum fuisse propter auri varietatem, quae eo tempore erat magna.

Dissiluit urbium Porta vir Macedo. Etiam Philippi commendatio erat notissima. Sed portae urbium *dissiliuntur* vi et ferro, non *auro*. Auro *experiuntur*. Emebat omnia auro. Erat *emtor Olynthi*, ut dicit Iuvenalis, et aliarum urbium.

Subiit aemulos Reges muneribus. Boni poetae non solent veram historiam fabulis immiscere. Et hoc de regibus temere dictum est. Regum enim numeribus Philippum adiutorum illustre aliquod exemplum non exstat. Si vero aurum, potentiam eius fulciunt, eum perrumpit, quod aurum Philippum auro adhuc parvum aperit, et regis subiecit.

Saevos illaqueant duces. Haec iam melius cum antecedentibus connectuntur. Aurum capit satellites regum, et illaqueat insequibus saevum duces, homines iniros, quos ea re tangi posse non putares.

Crescentem sequitur cura pecuniam. Pars altiuna, decima quarta. Carminis Horatii, pertinens ad finem huius odae. Sententia: »Contentus sum rebus, quas habeo.« Haec autem sententia cum antecedenti: Auro omnia cedunt, non convenit, nisi ab altera ad alteram fuit transitus, verbi causa in hunc modum: Auro omnia cedunt. Tamen non emo aurum. Nam non facit nos vere beatos.

Maiorumque fames. Etiam apud Hildeb. Hor. Phil. pag. 991. legitur *maiorque fames*.

Iure perhorrui. Late conspi-

Late conspicuum tollere verticem,
Maecenas, equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab Dis plura feret. Nil cupientium
Nudus castra peto, et transfuga divitum
Partes linquere gestio:
Contemtae dominus splendidior rei,

cuum *tollere verticem*. Paraphrasis poëtica glossae alicuius, v. c. »Horatius sua sorte vivebat contentus. Plura non concupiscebat, quamquam per Maecenatem adipisci posset.'' *Verticem tollere* est superbiam sibi sumere, ut I. Carm. 18. *Tollens vacuum plus nimio gloria verticem:* unde hic versus est formatus. Dixit igitur: Iure, non sine caussa timui superbus fieri. At, qua re *superbus*? Divitiis, aiunt. Sed eas prius habere oportebat. Neque arrogantia tam perpetua est divitiarum comes, ut *tollere verticem* et *esse divitem* idem significet.

Quanto quisque sibi plura negaverit, Ab Dis plura feret. Qui nihil cupit, est ditissimus. Dubito an hanc sententiam auctor bene explicaverit. Negamus nobis aliquid, quod habemus, quod est in nostra potestate. Et qui nihil cupiunt, in hoc ipso quod nihil cupiunt, habent divitias, non a Diis accipiunt. *A Diis ferre*, est revera divitias accipere, nam et has Dii dant. Ut Horatius: *Di tibi divitias dederunt.*

Transfuga divitum Partes linquere. Lactant. II. Instit. 8. *Qui acerrimis argumentis impugnavit eos, qui providentiam non esse dixerunt, idem nunc quasi proditor aliquis aut transfuga, providentiam conatus est tollere.*

Contemtae dominus splendidior rei. Schol. MS. Franek. *Parce compositae.* Videtur et ille, ut alii Scholiastae, legisse *contentae.* Non intelligebant homines, quomodo aliquis appelletur dominus rei, quam contemnit, et non possidet. Sed hoc ipso, quia contemnit, est dominus. *Omnia possidemus, si non concupiscimus*, ut scribit Minutius Felix Octav. pag. 336. Livius talia oxymora ad gloriam transtulit. II. 47. *Omni acto triumpho depositus triumphus clarior fuit. Adeo spreta in tempore gloria, interdum cumulatior redit.* XXII. 39. *Gloriam qui spreverit*, re-

Quam si, quidquid arat impiger Apulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Purae rivus aquae, silvaque iugerum
Paucorum, et segetis certa fides meae,
Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit sorte beatior.
Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
Nec Laestrygonia Bacchus in amphora

ram habebit. Valer. Maxim. IV. V. *Titulo imaginis eius speciosius non recepta Dictatura, aliorum gesta adscribi potest.* Ennod. Vita Epiphanii pag. 403. *Divites exercitus tuos faciet contemta pecunia, acquisita mendicos.*

Quidquid arat impiger Apulus. Non piger MSS. quaedam, ut metro prospiceretur. Huius rei si metus fuisset, Horatius scribere potuisset: *quidquid aras impiger Apule.* Qualis Apostrophe apud poëtas admodum frequens invenitur.

Magnas inter opes inops. Ambros. T. I. pag. 193. *In summis divitiis inops.* Appul. II. de Philos. Mor. p. 250. *Caeteri, quamvis sint opibus affluentes, tamen, quod vel usum earum nesciant, vel deducant eas ad pessimas partes, inopes videntur.* Ammian. Marcellin. XXX. pag. 449. *Inter rapinas insatiabiles inopes.*

Fulgentem imperio fertilis Africae Fallit sorte beatior. Quod Bentleius coniecit et magnopere commendavit *fulgente*, hoc etiam Gronovius ex nescio quo MS. notaverat ad Horatii editionem Bontianam. Vulgata non movenda iudico. Vir potens et dives, qui fulget imperio Africae, nescit parvum agrum, qualis meus est, beatiorem esse sorte, in sorte, quod ad sortem. *Beatior sorte*, quam sors est fulgentis imperio. Notus est Graecismus. Virgil. VII. Aen. 350. *Fallitque furentem Viperean inspirans animam.* Horat. Epod. III. *Num viperinus his cruor Incoctus me fefellit.* Hinc menda vetus e Livio tollenda est V. 2. *Hoc illud esse, dictitantes, quod aera militibus sint constituta. Nec se fefellisse, id donum inimi-*

Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis:
Importuna tamen pauperies abest;
Nec, si plura velim, *tu dare deneges.*
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam.
Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. Multa petentibus

corum veneno illitum fore. Dele illud *fore.*

Pinguia Gallicis Crescunt vellera pascuis. Oves a divitibus habebantur lanae caussa, non carnis. Iam *pinguia* vellera, *pinguem* lanam, pro optima haberi non credo: sed eandem esse, quae alio nomine *osca* et *solex* appellabatur, de qua I. Scaliger ad Varron. de L. Latina pag. 129. Legendum censeo: *tenuia Gallicis Crescunt vellera pascuis. Tenue* vellus et lana laudantur. Virgil. II. Georg. 121. *Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.* Columella Rei Rust. VII. 2. *Tenuioris velleris arietes.*

Nec, si plura velim. Secundum rationem, qua hoc carmen constitui, legendum est: *Nec mi plura velim.* Alia ficta sunt ex Epod. I. *Satis superque me benignitas tua Ditavit.*

Contracto melius parva Cupidine Vectigalia porrigam. Oratio prosa. Quo quis plura possidet, hoc plus tributi in aerarium conferre debet. Ita certe locus accipiendus est, ut etiam accepit Comm. Cruq. »*Paucorum possessor minora tributa persolvam.* Iam nescio unde constet, vivente Augusto civibus Romanis tributa pro censu fuisse imposita. Augustus populum non libens onerabat, et suffecisse videntur reditus ex provinciis, sociis, agris publicis, metallis, portoriis, auro vicesimario, vicesima rerum venalium, caet. Recentiores interpretes ita exponunt: *Quod contraho cupidinem, possessiones meae fiunt ampliores, quam sunt.* Quod primum ita Latine dici non credo, deinde sententiae contrarium esse arbitror. Professus enim erat se satis habere. Nunc autem diceret se rem suam parcimonia augere. Hoc etiam avari faciunt, qui quaesitis parcunt et abstinent, ut acervo semper aliquid addant.

Quam si Mygdoniis regnum

Desunt multa. Bene est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

Alyattei. Ingrata eiusdem rei repetitio. Iam legimus: *Contemtae dominus splendidior rei*, *Quam si quidquid arat impiger Apulus Occultare* caet. In MS. Franck. est *Halyatii.*

CARMEN XVII.

Aeli, vetusto nobilis ab Lamo,
Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, et nepotum
Per memores genus omne fastos,

CARMEN XVII.

Hoc carmen nemo poëta aetatis Augustae, nedum Horatius, pro suo haberi vellet. Argumentum dico ineptum. O Aeli, qui genus ducis a Lamo, a quo et Lamias ortos dicunt, ab illo Lamo, inquam, qui Formias condidit, cras erit tempestas, cras Genio indulgebis.

Quando et priores hinc Lamias ferunt. Hunc et tres sequentes versus, Sanadonus, Ionesius, Gesnerus, alii, ut non genuinos, repulerunt: idque in Excursu Ianus probavit. Lamiae Grammatico noti erant ex Iuvenale, quem homines isti memoriter fere tenebant. Et Iuvenalem hic Scholiastae excitant, Satir. IV. 154. *Hoc nocuit Lamiarum caede madenti.*

Per memores genus omne fastos. Horat. IV. Carm. 14. *Per titulos memoresque fastos.* Pro *fastos* alii *fastus.* Vide, praeter Bentleium, interpretes ad Si-

Auctore ab illo ducit originem,
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps, et innantem Maricae
Litoribus tenuisse Lirim,
Late tyrannus: cras foliis nemus
Multis, et alga litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet, aquae nisi fallit augur
Annosa cornix. Dum potes, aridum
Compone lignum; cras genium mero

lii Ital. II. 10. et Lucan. II. 645.

Qui Formiarum moenia dicitur. Scripsissem *qui tenuit.* Non enim probandum est *dicitur* in re tam nobili et per fastos celebrata. Sed neque *tenuit* rectum, pro *condidit*, vel *primus habitavit.*

Late tyrannus. Imitatio Virgiliana *populum late regem.* Sed Lamus ille erat modo regulus.

Cras foliis nemus Sternet. Nemus *privatur* foliis, non sternitur.

Alga litus inutili. Litus iterum. Praecessit *litoribus. Inutili* parum aptum epitheton, quia hic non locus est proverbio *alga vilius.*

Aquae nisi fallit augur. Ovid. II. Am. 6. *pluviae graculus auctor aquae.*

Dum potes, aridum Compone lignum. Credo hominem voluisse *dum licet, dum fata sinunt.* Alii interpretantur: dum per pluviam licet, nam cras pluet, tum lignum fiet madidum, et fumus oculos vexabit. Quasi non lignum esset in loco a pluviis tuto.

Cras Genium mero Curabis. Genius non curabatur, sed homo ipse. *Deos curare* pro *sacra iis facere*, Latinum non est, nisi quando ex sententia rerum sequatur. Interpretes ostendunt Plauti Aulul. Prolog. vs. 18. ubi Lar familiaris loquitur: *Atque ille vero minus minusque impendio Curare, minusque me impartire honoribus.* Nimirum ille non curabat Larem, hoc est *negligebat*, parvi faciebat. Nec Romanus diceret *curare Genium*, quia, propter formulas *Genio indulgere* et *se curare*, hoc significaret *Genium Deum cibo et vino implere.* Denique

Curabis et porco bimestri,
Cum famulis operum solutis.

Genium venerabantur solemni honore, die cuiusque natali, sed nunquam ei mactabatur victima, ut h. l. *porcus bimestris.*

CARMEN XVIII.

Faune, Nympharum fugientum amator,
Per meos fines et aprica rura
Lenis incedas, abeasque parvis
Aequus alumnis;

CARMEN VIII.

Faune Nympharum fugientum amator. Interpretes non recte mihi intellexisse videntur hoc carmen, quia factum putant eo Faunalium tempore, quod incidit in Nonas Decembres. Ipsum carmen hanc opinionem refutat. Huius enim argumentum sic erat concipiendum: O Faune, qui saepe ex alio in alium locum proficisceris, ut nunc facis, laetus incedas per agros meos. Hoc te oro per sacra, quae tibi facere solemus Nonis Decembribus, et faciemus, cum Nonae istae, anno impleto, redierint. Nunc laetus incedas per agros meos, ubi pecus cum alumnis in campo herboso ludit, pagus in tuo honore vacat, boves vacant. Haec, inquam, est sententia carminis Horatiani, si tamen sit Horatianum.

Aprica rura. Nonis Decembribus rura non sunt *aprica.*

Lenis incedas. Praefero, quod est in nonnullis MSS. *laetus.* Vox ea solemnis est in adventu et praesentia Deorum. Horat. I. Carm. 2. *Laetus interesis populo Quirini.* Ubi *laetus* est laetitiam et felicitatem adferens, ut in aliis exemplis. v. Cort. ad Lucan. VIII. 89. Aristoph. Thesmoph. *Ἥκετ' ἔυφρονες, ἵλαοι, Πότνιαι ὅλος ἐς ἡμέτερον.* Theocrit. Adon. 144. *Καὶ τὺν ἐλθεῖς Ἄδων, καὶ, ὅκκ' ἀφίκῃ, φίλος ἔστω.*

Parvis aequus alumnis. Alum-

Si tener pleno cadit hoedus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina craterae, vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboso pecus omne campo,
Quum tibi Nonae redeunt Decembres:
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus:
Inter audaces lupus errat agnos:

parvi non conveniunt Nonis
cembribus. Plerumque enim
cebantur tempore verno.
Si tener pleno cadit hoedus
no. Ovidius IV. Fastorum 653.
rimus (ovis) *cadit Fauno.* Haec
tem scribenda puto hoc ordine:
i tener pleno cadit hoedus anno,
rga nec desunt Veneris sodali
ina craterae, et vetus ara multo
Fumat odore,
uum tibi Nonae redeunt Decem-
bres.
udit herboso pecus omne campo,
caet.
ne etiam apparet, hoc car-
n esse factum tempore ver-
. Ut ad Decembrem referant
erpretes, confugiunt ad mira-
a Fauni, quasi ille faciem
ae adventu suo mutaret. Idem,
alia quoque aliena, finxerunt,
explicarent pagum festum in
tis cum bove otioso. Frigidum
festum in pratis! Et hyeme
es ipsi sunt otiosi, ut propter
religionem eis otium concedere
non opus sit.

Inter audaces lupus errat agnos. Hi versus certe sunt spurii. Quid librarii in hoc carmine sibi permiserint, discimus etiam ex versu antecedenti, in quo pro *pagus* dederunt *pardus*, ut illud conformarent ad nobilissimum Iesaiae versum XI. 6. v. Bentlei. Hoc loco homini ante oculos versabatur I. Carm. 17. ubi in simili praesentia Fauni: *Nec Martiales hoeduleae lupos*, metuunt. Sed ad hanc rationem dicendum fuerat, *agni errant inter lupos.* Lupus errans inter agnos, quamvis audaces, eos devorare potest, nisi sciamus eum hic esse innoxium, et naturam deposuisse. Lupus, si possit, semper inter agnos errabit, nam eos ubique sequitur. Aliud est Ovidii: *Nat lupus inter oves*, tempore diluvii nempe Deucalionei. Aliud Virgilii III. Georg. 539. de peste,

Spargit agrestes tibi silva frondes:
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

quando *Timidi damae cervique fugaces Nunc interque canes et circum tecta vagantur.*

Spargit agrestes tibi silva frondes. December folia arboribus excutit. Sed quis hoc serio ad honorem Fauni transferat? Si silva faceret tempore verno, esset omen tristissimum. Absurda imitatio versus Virgiliani, quem et Scholiastae laudant: *spargite humum foliis.*

Gaudet invisam pepulisse fossor Ter pede terram: Sonus ingratus *fossor ter terram.* Horatius vitasset. *Invisa* ridiculum epitheton, quod solis Grammaticis, omni verae elegantiae sensu destitutis, pulchrum videri possit. Quasi fossor terram, quae ipsi tot labores pariat, ulcisci pedibus velit. Neque placet *pede* sic nude positum. Quamquam Catull. Carm. LXI. *Pelle humum pedibus.* Sed vide Lucret. V. 1041. *duro terram pede pellere matrem.* Horatius: *Nunc pede libero Pulsanda tellus.* Ovid. Fast. VI. 330. *Et viridem celeri ter pede pulsat humum.*

CARMEN XIX.

Quantum distet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, et genus Aeaci,
Et pugnata sacro bella sub Ilio:
Quo Chium pretio cadum
Mercemur, quis aquam temperet ignibus,

CARMEN XIX.

Librum implere possis, enarrandis variorum interpretum sententiis de argumento et significatione huius carminis. Et est arena sine calce. Quare Sivrius ex uno fecit tria. Quod melius, quam omnes istae disputationes. Puto octo tantum versus esse Horatii, scriptos ad amicum, cuius nomen reticet. Cuiusmodi multa sunt apud Elegiographos. Amicus iste videtur homo fuisse sua eruditione superbus, semper Inachos et Codros et antiquos heroës crepans. Horatius non amabat hominem molestum, qui putabat alios tam libentes ipsum audire, quam se audiret et admiraretur loquentem. Itaque eum monet, ut potius de coena narraret, ubi et quando essent habituri.

Quis aquam temperet ignibus. Exponunt vel de aqua ad vinum miscendum calefacienda, vel de calidis balneis. Neutrum, ut arbitror, verum. Nam neutra res efficiebat tam graves convivii partes, ut hic statim in primariis conditionibus poneretur, et tantam laetitiae spem ostenderet. Et aquas calefacere est opus sordidum, et servis proprium. *Aquam* h. l. pro *pluvia* acceperim. Quis aërem, dicit, humidum et frigidum, qui ex pluviis in domos penetravit, temperat ignibus, ut caream frigore Peligno? Peignum, oppidum Sabinorum, frigidae regionis, dicit Papias in Glossario. *Aquam coelestem* pro pluvia posuit Horatius. Ovid. VI. Fast. 198. *Postera lux Hyadas, Taurinae cornua frontis, Evocat: et multa terra madescit aqua.* Liv. XXI. 58. *Aqua levata vento, quum super gelida montium iuga concreta esset.* Ita Graeci utuntur suo ὕδωρ. Aristoph. Vespis: *Λεῖται δὲ καὶ τῶν καρπίμων· ἄττα μή 'στι*

Quo praebente domum et quota
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da Lunae propere novae,
Da Noctis mediae, da, puer, auguris

πρᾶμα, Ὕδωρ γενίσθαι. v. Casaub. ad Theophr. Char. Eth. cap. 3. et Markland. ad Eurip. Supplic. 205. Iam Alcaeus apud Athen. X. 8. Ὕει μὲν ὁ Ζεύς, ἐν δ' οὐρανῷ μέγας Χειμών, πεπάγασιν δ' ὑδάτων ῥοαί. Κάββαλε τὸν χειμῶν' ἐπὶ μὲν τιθεὶς Πῦρ, ἐν δὲ κίρνας οἶνον ἀφειδέως Μελιχρόν. Ubi Alcaeus tam figurate dixit κάββαλε τὸν χειμῶνα, quam Horatius *quis aquam temperat.* Ligna foco addere, est honestum opus, et dominis conveniens. Horat. I. Carm. 8. *Dissolve frigus, ligna super foco Large reponens.*

Quo praebente domum, et quota. Magis Latinum hoc loco arbitror: *Quo praebente domum quota, Pelignis caream frigoribus, taces.* Virgil. I. Aen. 369. *Sed vos qui tandem quibus advenistis ab oris.* Quod in bonis MSS. inventum, praefero alteri *quibus aut venistis.* Idem VI. Aen. 771. *Qui iuvenes quantas ostentant, adspice, vires.* Val. Flacc. II. 53. *Quanta quoties et Palladis arte Incassum decimae cecidit tumor arduus undae.* Ubi ordo est: *Et quoties quanta.* Alioquin scripsisset *quoties et quanta,* Nepos in Timol. II. *Ut etiam oculis cerneretur, quem et ex quanto regno.* Idem: *quem ex quanto.* Plin. Panegyrici II. *Ex ipso genere gratiarum agendarum intelligatur, cui quando sint actae.* Idem XIII. *Quam admirationem quemadmodum comparavisti.* Calpurnius Eclog. IV. 152. *O mihi quam tenero quae currunt carmina versu.* Ut recte Barth. ex vetusta editione. *Domum praebere* et alibi Horatius usurpavit, et Tacit. XI. Annal. 4. *Quod domum suam Valerii et Poppeae congressibus praebuissent.* Sed Horatii locus est memorabilis Sermon. I. 5. 37. *Murena praebente domum.* Memorabilis, inquam, propter nomen *Murenae.* Unde grammatico primum in mentem venit, hoc carmen continuare, et convivium instruere.

Da lunae propere novae. Iam est in convivio, quod nondum erat constitutum. De consuetudine bibendi Noctem et Lunam honoris caussa, nihil constat. Et cur statim sine spiramento simul *Nocti Lunae Murenae?*

Murenae: tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: tres prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis iuncta sororibus.

Tribus aut novem Miscentur cyathis pocula commodis. Ausonius in Praefat. Eidyllii XI. et in ipso Eidyllio haec de numero ternario explicavit, et ipse carmen finxit, cuius initium: *Ter bibe, vel toties ternos. Sic mystica lex est. Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti Imparibus novies ternis contexere cubum.* Qui tales versus facere et edere potest, hic de spuriis Horatio additis non valde sollicitus erit. Sensum autem vix tolerabilem hinc elicias. Vide modo interpretes, in diversa abeuntes. *Commodis* pro *plenis* accepit Rutgersius, laudante Bentleio, et Burm. in Anthol. I. pag. 636. Vereor, ut, hic quidem, satis Latine.

Qui Musas amat impares. Pocula, dicit, contineant vel tres cyathos, vel novem. Vates bibant e maioribus illis novem cyathorum, quia Musae sunt *impares.* Sed qui pocula trium cyathorum exsiccant, quia Gratiae nolunt supra hunc numerum eos tangere vinum, illi etiam habent numerum imparem, et sequuntur Deas impares tres, ut vates Deas impares novem. Doleo Plutarchum in Symposiacis T. III. Moral. pag. 678. a librariis adeo esse corruptum. Tractavit quaestionem: *Περὶ τοῦ ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέσσαρα.* Conf. Appuleium in Floridis T. II. pag. 96. et ante omnes Athenaeum X. 35. ubi servata sunt ex poetis *ἕνα καὶ δύο, τρεῖς πρὸς τέτταρας, ἴσον ἴσῳ*, alia. Memorabilis quoque est locus Antiphanis Comici: *Τὸ ποτήριόν μοι τὸ μέγα προσφέρει λαβών. Ἐπεχεάμην ἄκρατον, οὐχὶ παιδίον, Κυάθους (δὲ) θεῶν τε καὶ θεαινῶν μυρίους. Ἔπειτ' ἐπὶ τούτοις πᾶσι τῆς σεμνῆς θεᾶς, Καὶ τοῦ γλυκυτάτου βασιλέως διμοιρίαν.*

Nudis iuncta sororibus. Ex Horatio I. Carm. 4. *Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes.* Et alibi: *Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet Ducere nuda choros.* Cur autem

Insanire iuvat: cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae?
Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parcentes ego dexteras
Odi: sparge rosas: audiat invidus
Dementem strepitum Lycus,
Et vicina seni non habilis Lyco.
Spissa te nitidum coma,
Puro te similem, Telephe, Vespero,

hic, ubi tantum quaeritur, quid Gratia velit, quid non velit, ea dicatur *nudis iuncta sororibus*, non intelligo.

Insanire iuvat. Insanire, bacchari, furere, sunt Horatiana. Sed non nisi iusta tantae laetitiae caussa, quae hic nulla traditur. Nam illud *Auguris Murenae*, tamquam aliud agens, apposuit.

Berecyntiae Cessant flamina tibiae? Ex Horatio I. Carm. 4. *lyraeque et Berecyntiae Delectabere tibiae Mistis carminibus, non sine fistula.* Audis, ut hoc loco, *tibiam* Berecyntiam, *fistulam*, et *lyram.*

Parcentes ego dexteras odi. At erat convivium de symbolis, et sumtus constituti.

Sparge rosas. Igitur *hibernas.* Splendidum vero convivium, si tanta earum copia esset, ut spargerentur.

Dementem strepitum Lycus. Iam certam domum designat, supra rogat *quo praebente domum?*

Et vicina seni non habilis Lyco. Exspectasses nomen vicinae. Cur *non habilis seni* appelletur, difficile, credo, narratu esset ipsi poëtae. Forte expressit, quod Horat. IV. Carm. 11. vocavit *disparem.* Aliquid nobis *non habile* dicitur, quo apte uti non possumus. v. Burm. ad Valer. Flacc. VII. 231.

Spissa te nitidum coma. Ex Horat. IV. Carm. 3. *Et spissae nemorum comae.* An *spissa* capitis coma in commendatione pulchritudinis haberi possit, dubito.

Puro te similem, Telephe, Vespero. Haec quomodo cum superioribus cohaereant, non apparet. Est imitatio loci e Carm. IV. 11. *Telephum, quem tu petis, occupavit Non tuae sortis iuvenem, puella Dives et lascivа.*

Tempestiva petit Chloë:
Me lentus Glycerae torret amor meae.

Tempestiva petit Chloë. Ex Horat. II. Carm. 5. vs. 15 *Iam proterva Fronte petet Lalage maritum.* Hinc etiam Telephum similem puro Vespero fecit. Horatius dixerat vs. 19. *Ut pura nocturno renidet Luna mari. Tempestiva* h. l. non aptum epitheton.

Me lentus Glycerae torret amor meae. Horat. I. Carm. 19. vs. 5. *Urit me Glycerae nitor.* Alibi: *Me torret face mutua.* Et: *Quam lentis penitus macerer ignibus.* In MS. Voss. supra vocem *torret*, tamquam pro varia lectione scriptum est, *urit.* Forte in aliis MSS. fuit: *Me lentus Glyceres urit amor meae.*

CARMEN XX.

Non vides, quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
Dura post paullo fugies inaudax
Proelia raptor:
Quum per obstantes iuvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum,

CARMEN XX.

Non vides, quanto moveas periclo. Carmen obscurum, et vix Horatio dignum.

Gaetulae catulos leaenae? Abesse mallem signum interrogationis. Periculum statim non videbat, sed paullo post videret.

Inaudax. Nova vox. Si Horatius finxit, miror neminem scriptorum Latinorum, quos quidem novimus, esse imitatum.

Cum per obstantes. MSS. Voss. *quae.* In margine corrigitur, *cum.*

Insignem repetens Nearchum. Quis affirmet Latinum esse *insi-*

Grande certamen, tibi praeda cedat
Maior, an illi.
Interim, dum tu celeres sagittas
Promis, haec dentes acuit timendos,
Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam

gnem, pro *formosum*? Aliud est: *Insignem tenui fronte Lycorida.*

Tibi praeda cedat Major, an illi. MS. Franek. *celat.* Emendavit altera manus. Sed quomodo hic proelium institui poterat de maiore an minore parte praedae? Praeda, Nearchus, male divideretur. Legendum: *tibi praeda cedat, Maior an illa.* Utrum tibi praeda cedat, an illa in certamine maior sit futura, hoc est, superior, victrix. *Maior* et *minor* sunt vocabula in certamine nota. Ipse Horatius: *minor in certamine longo. Praeda* autem est Nearchus. Ita Pollio dicebat Augusto: *Discrimini vestro me subtraham, et ero praeda victoris.* v. Ruhnkenius ad Vellei. Paterc. II. 86.

Arbiter pugnae posuisse nudo Sub pede palmam Fertur. Non facilis rei ipsius imago, neque temporis ratio. *Moves* catulos leaenae. Leaena *repetet. Orietur* grave proelium. Interea, dum tu sagittas *promis*, illa dentes *acuit*, *dicitur* Nearchus palmam sub pede posuisse. *Fertur posuisse* pro *posuit* accipiunt interpretes. Verum est, *dici*, *recari*, *ferri*, in multis locis eandem propemodum vim habere, quam verbum *esse*, quia scilicet quod *sumus*, hoc *esse dicimur*, nunquam tamen simpliciter *fertur fuisse* pro *fuit* ponitur. Nimius hic fuit Marklandus ad Statii Silvas V. 1. 33. qui in eo quoque erravit, quod v. c. in Ovid. Heroid. VI. 113. *Si te nobilitas generosaque nomina tangunt, En ego Minoïdes nata Thoante feror*: illud *feror* explicat *sum*. Imo, non tantum *sum*, sed ab omnibus nominor et *laudor*, ut nata Thoantis. Sophocl. Electr. 365. νῦν δ' ἐξὸν πατρὸς Πάντων ἀρίστου παῖδα κεκλῆσθαι, καλοῦ Τῆς μητρός. Val. Flacc. V. 653. *Nec vocer ulterius proles Iovis.* Homer. Iliad IV. 60. σὴ παράκοιτις κέκλημαι. Ovid. I. Heroidum, utramque vocem coniunxit: *Tua sim, tua dicar oportet.* Ut Marklandus in explicanda Latina dictione, et praeter Marklandum alii minus accurate

Fertur, et leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis:
Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida.

exempla distinxerunt, ita etiam in Graecis multi fecere, inter alios varii interpretes sacrarum literarum, quorum nonnulli quoque ad Hebraismos retulerunt.

Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa Raptus ab Ida. Fuit non desideratur: magis aliquid, quo *raptus* illustretur. Elegantius certe foret: *Qualis aut Nireus, puer aut aquosa Raptus ab Ida.* Nomen usitatum Ganymedis. Virgil. V. Aen. 252. *Intextusque puer frondosa regius Ida.* Lucan. IX. 972. *Unde puer raptus coelo.*

CARMEN XXI.

O nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris iocos,
Seu rixam, et insanos amores,
Seu facilem, pia testa, somnum:

CARMEN XXI.

Seu tu querelas, sive geris iocos. Iam Sikius coniiciebat *genis*, hoc est, gignis: non probante Bronkhusio. Forma antiquiore *geno* non utebantur poëtae aetate Augusta: v. interpr. ad Appul. T. II. pag. 151. Recentiores quidem, Appuleius et alii, vetera illa interdum revocabant, Stewechius tamen contra MSS. ibi intrusit. v. Oudend. Amphora autem iocos et alia *gerit*, quia, ut dicit Chaeremon apud Plutarch. Moral. T. IV. pag. 663. οἶνος τοῖς τρόποις κεράννυται bibentium.

Quocumque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die;
Descende, Corvino iubente,
Promere languidiora vina.
Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus:
Narratur et prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu sapientium

Quocumque lectum nomine Massicum Servas. Locus non facilis. De *nomine consulis* accipi non potest, quia iam appellavit Manlium: alloquens enim amphoram, intelligit *vinum* in amphora. Scholiastae retulerunt ad antecedentia »Quocunque nomine, ex omnibus supra dictis, sive ad iocos, sive ad querelas". Quod Bentleius quidem non improbat, sed similibus exemplis destitui arbitratur: interea divinans: *Quocunque foetum numine Massicum.* Burman. ad Valer. Flaccum III. 642. explicat: *Massicum certe, licet forte non optimi generis. Nam et diversa erant eiusdem tractus vinorum nomina.* Quod non puto alicui esse placiturum. Ego hunc versum non intelligo. Quid suspicer, dicam. Scribo: *Quocunque lectum nomine Liberum Servas.* O testa, quae vinum contines, mecum, consule Manlio, natum, adeoque antiquum, descende et illud prome. Quod nomen sit vini, Massicum, Caecubum, Falernum, ignoro, et nunc non curo. Bonum erit, hoc scio. Et antiquum est. Antiquum vult Corvinus. *Liber* pro *vino.* Horat. IV. Carm. 12. *Et pressum Calibus ducere Liberum.*

Saepe mero caluisse virtus. Marius Victor. pag. 2606. *incaluisse*, quod iure Bentleius alteri praefert. Habet sonum graviorem. Et ad hanc lectionem quasi sponte ferimur. Hoc accidit Petro Castellano in Ludo seu Convivio Saturnali: *Et quod flagitium, obsecro, si, ad exemplum prisci Catonis, interdum mero virtus eorum incalescat?* Gualter. Alexandr. VI. 22. *cum pectora multo Incaluere mero.*

Tu lene tormentum ingenio admoves. Waddelius coniicit:

Curas et arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo:
Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresque: et addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te Liber, et, si laeta aderit, Venus,
Segnesque nodum solvere Gratiae,
Vivaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus.

Tu leniter mentem ingenio admoves. Lectio vulgata est longe elegantior, et Graeca. Plato I. Leg. pag. 37. *Τούτων δ' εὐτελῆ τε καὶ ἀσινεστέραν, πρῶτον μὲν πρὸς τὸ λαμβάνειν πεῖραν, εἶτα εἰς τὸ μελετᾶν, πλὴν τῆς ἐν οἴνῳ βασάνου καὶ παιδιᾶς, τίνα ἔχομεν ἡδονὴν εἰπεῖν ἔμμετρον μᾶλλον, ἂν καὶ ὁπωστιοῦν μετ' εὐλαβείας γίγνηται*; Alia ratione Alexis apud Athenaeum I. pag. 116. *Οἶνος Κορίνθιος βασανισμός ἐστι.* Horatius. Art. Poët. 434. ubi reges dicuntur: *torquere mero, quem perspexisse laborant An sit amicitia dignus.* In MS. uno Leid. *ammoves.* Unde ortum, quod in aliis apparet, *amoves.* Vulgatam lectionem explicavit Burmannus ad Quintil. Declam. VII. 7.

Te Liber, et, si laeta aderit, Venus. *Bacchus te producet*, hoc est *vinum* producet *vinum*, vinum faciet ut vinum non desit. *Venus producet amphoram*, hoc iam intellectu difficile, et significaret: Dum amamus, non bibimus, vino parcitur, et sic amphora producitur. Cur autem si *laeta aderit.* Quid igitur si *tristis* adesset? Multis argutiis, et longa verborum ambage opus est, ut hinc sententiam tandem efficias, a vera Latinitate non abhorrentem.

CARMEN XXII.

Montium custos nemorumque, Virgo,
Quae laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisque leto,
Diva triformis:
Imminens villae tua pinus esto,
Quam per exactos ego laetus annos
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

CARMEN XXII.

Obliquum meditantis ictum. Ovidius IV. Heroid. 104. *Obliquo dente timendus aper.*

CARMEN XXIII.

Coelo supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidyle,
Si thure placaris et horna
Fruge Lares, avidaque porca:
Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis, nec sterilem seges

CARMEN XXIII.

Horna fruge. Sergius pag. 1350. »Horatius dicit, *hornatas fruges.*"

Nec pestilentem sentiet Africum. Symmach. X. Epist. 54. *Spem provinciarum omnium messis aegra decepit. Nihil imputamus austris. Nec rubigo segetibus obfuit.* Ubi Iuretus Horatium laudavit.

Robiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.
Nam, quae nivali pascitur Algido,
Devota quercus inter et ilices,
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, Pontificum secures
Cervice tinguet. Te nihil attinet
Tentare multa caede bidentium
Parvos coronantem marino
Rore Deos fragilique myrto.
Immunis aram si tetigit manus,
Non sumtuosa blandior hostia

Pomifero grave tempus anno. In uno MS. nostro annotatum est: *Pomiferi anni.* Hoc etiam coniecit Markland. ad Statii Silv. I. 3. 8.

Devota. Valer. Flacc. II. Argon. 487. *Iam cui candentes votivo in gramine pascit Cornipedes genitor, nostrae stata dona salutis.* Atque hic non alienum puto apponere Scholion interpretis Statiani ad I. Theb. 507. »*Lustralia* pecora sunt, quae per quinquennale tempus devota sacrificiis nutriuntur, et ideo *pinguia.*"

Tentare multa caede bidentium. Quis unquam usurpavit *tentare Deos*, pro *placare*? *Quaesite*, dicunt interpretes. Vellem exemplis probassent. Unum exemplum apud me pluris est, quam centies illa repetita *quaesite*, *pulchre*, *felicis audaciae*, similia. Fortasse Horatius scripsit: *Certare multa caede bidentium. Certare* est summa ope niti ut aliquid consequaris. Lucilius apud Lactant. V. 9. *Verba dare ut caute possint, pugnare dolose, Blanditia certare, bonum simulare virum se.* Lucret. II. 11. *Certare ingenio, contendere nobilitate.* Virgil. Eclog. II. 57. *Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.* Statius I. Silv. 2. 247. *Nunc opus diversis certare modis.* Ipse Horat. IV. Carm. 1. vs. 31. *Nec certare iuvat mero.* In vulgata lectione *tentare* hoc etiam ingratum accidit, quod cogimur accipere *Deos tentare* et *Deos coronantem.*

Immunis aram si tetigit manus. Haec citantur in Hildeberti

Mollibit aversos Penates,
Farre pio et saliente mica.

Philos. Morali pag. 972. *Hac virtute* (innocentia) *dum placantur, immunis aram si tetigit manus, non sumtuosa blandior hostiâ, mollibit adversos Penates.* Tamen non credo esse Horatii, neque credebat Guietus. Ipsa sententia erat notissima, a Graecis varie explicata, et deinde a poëtis Romanis celebrata: v. Xenoph. Memor. Socratis I. 3. Casaubon. ad Persii Satyr. III. 75. et Burm. in Anthol. T. I. pag. 37. Sententia vero ista neque huic loco satis bene convenit, neque verbis, bono poëta dignis, reddita est. Ratio carminis haec est: Si tu, o rustica Phidyle, pia mente (quod ex manibus *supinis* intelligitur) facias parvum sacrificium, hoc Diis aeque gratum erit, atque magna Pontificum. Ultimum tetrastichon nihil est, nisi perversa eiusdem rei repetitio. Quod ad verba attinet, horum ordo tam perturbatus est, ut nihil supra. Accedit brevis ultima syllaba in voce *sumtuosa*, et inusitata temporibus Horatii forma *mollibit*. Iam illa *farre pio et saliente mica* erepta sunt Tibullo III. 4. *Farre pio placant et saliente sale.* Liberalior est imitatio Statii Silv. I. 4. 130. *Saepe Deis hos inter honores Cespes, et exiguo placuerunt farra salino.* Nuper Fr. Goellerus ad Thucyd. II. 61 — ablativos *farre pio et saliente mica* ita intelligendos putavit = *quam far pium et saliens mica* = scilicet *mollivit*. Sed haec opinio non erat nova.

CARMEN XXIV.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae,
Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas

CARMEN XXIV.

Si figit adamantinos Summis verticibus dira Necessitas Clavos. Bentleius legit: *sic figit adamantinos* caet. et haec parenthesi includit, atque ita interpretatur: Necessitas clavos usque ad summos vertices (clavorum) figit, sic rerum fato constitutum est. Hanc rationem probat Wyttenbach. ad Plutarchi Moral. T. VI. pag. 712. Alii omnes intelligunt *vertices hominum*. Quod, etiam propter sequens *caput*, minus probabile est, et hanc sententiam efficit: quoniam Necessitas homines adacto in caput clavo occidit, tu laqueis mortis tuum caput non expedies. Quae duplex imago, ad eundem hominem accommodata, turpis est. Neque ratio Bentleiana difficultate caret. Satis erat si Necessitas *clavos adamantinos figeret*, ut aliquid certum et immutabile faceret: et additum illud *usque ad summos vertices* comparationem Fati cum fabro per minutias urguet, quod boni poëtae facere non solent. Tum *Necessitas sic figit clavos* pro *Necessitas sic constituit*, non Romanum sonat. Et quod Bentleius putat Scholiastas legisse *sic*, quia interpretantur: *quippe cum necessitate mortis adstricta sit humana conditio*, hoc mihi non adeo certum esse videtur. Nam ita interpretari debuerunt *si*: quod saepe poni pro *quippe quum*, *quum tamen*, nemo ignorat. Fortasse poeta hoc voluit: Licet omnes omnium divitias superes, villisque magnificentissimis tota maria occupes, non tamen effugies metum mortis, neque ipsam mortem. Nam Necessitas quotannis in summis villarum tuarum verticibus clavum figit, quo significet tempus irreparabile fugere, quos clavos videns admoneris, singulos annos te propius ad ultimam me-

Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.

tam adducere, adeo ut in perpetuo timore verseris, ne obitu tuo omnes divitias et luxum relinquere cogaris. Auctor respexit antiquissimam illam Romanorum consuetudinem, de qua scribit Sext. Pompeius: *Clavus annalis appellabatur, qui figebatur in parietibus aedium per singulos annos, ut per eos numerus colligeretur annorum.* Horatius dicere potuisset *summis parietibus:* maluit *verticibus*, aptius splendori aedificiorum, et melius oppositum *caementis.* Caementa *demittebantur* pro fundamento. Sed vix aedificiis *summus vertex* est impositus, quum Necessitas clavos suos figere incipit. Culmina villarum per *vertices* iam intellexit Dacierius, sed imaginem aliter informavit. Hildebertus Philos. Mor. pag. 988. haec verba respexit: *si figit summis verticibus saeva necessitas clavum.* Ego tamen haec pro genuinis habere non possum. Ne dicam de magna difficultate *Necessitatis*, clavos adamantinos summis verticibus infigentis, quanta est Hyperbole, duo maria occupare villis? Neque pulchre dictum occupare *caementis.* Caementa non videntur, sed demissa, in fundo latent. Villae, caementis superstructae, occupant mare. Neque *fundamenta* pro *domo* usurpantur. *Apulicum* vera lectio esse videtur. Nam si legas *Ponticum*, *Punicum*, vel *publicum*, sententia exoritur magis obscura. Iam mare *Apulicum* de *supero* seu *Hadriatico*, nemo dixit. Alluit hoc mare Apuliam, sed quot regiones, praeter Apuliam, etiam alluit? Horatius et alii omnes mediam in *Apulus* corripiunt. Ab *Apulus* est forma productior *Apulicus*, quae sequi deberet quantitatem primitivi, ut *Italus* et *Italicus.* Neque *Apulicus* alibi lectum est. Puto Horatium dedisse:

Intactis opulentior
Thesauris Arabum, et divitis Indiae,
Saevo non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.

Haec sunt concinna, et Latina. *Opulentior*, quamvis sis opulentior. *Non expedies*, non tamen expedies. *Saevo metu*, qui semper hominem cruciat, et quiescere non patitur. His, qui Latine sciunt, satis dictum est. Quare ista exemplis non confirmabo.

Non animum metu. Mortis nempe, quod ex sequenti versu repetendum. Virgil. II. Georg. 491. *Atque metus omnes, et ineluctabile fatum Subiecit pedibus.* Lucan. I. 459. *populi*,

Campestres melius Scythae,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt, et rigidi Getae,
Immetata quibus iugera liberas
Fruges et Cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annua:
Defunctumque laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens:
Nec dotata regit virum
Coniux, nec nitido fidit adultero.
Dos est magna parentium
Virtus, et metuens alterius viri

quos despicit Arctos, Felices errore suo, quos ille timorum Maximus haud urguet, leti metus. v. interpr.

Aequali recreat sorte vicarius. Propert. III. 20. 13. *Remorumque pari ducite sorte vices.* Ex praeclara Heinsii emendatione pro *pares*, quae h. l. Horatii confirmatur.

Temperat innocens. Etiam venenum *temperatur.* Lactant. V. 9. *Venena clam temperant, quo uxores necant, ut dotes earum lucrentur, aut maritos, ut adulteris nubant.* Valer. Maxim. IX. 12. *Venena temperent.* Novercae imprimis ita temperabant privignis. Sed apud Scythas et Getas nulla veneni suspicio, quia mulier *innocens* temperat.

Fidit adultero. Schraderus divinabat: *nec nitido se dat adultero.* Elegans dicendi formula. Aristoph. Equit. *Σαυτὸν δὲ Καὶ σκυτοτόμοις καὶ βυρσοπώλησιν διδως.* Cicero II. de Oratore 44. *Si se dant, et sua sponte, quo impellimus, inclinant atque propendent.* v. Heinsii Adversar. pag. 14. et Markland. ad Statii Silv. I. 4. 49. *Sic mixto reverentia fidit amori.* Ubi etiam corrigit *se dat.* In Horatio quidem nihil ego muto. Nam recte mulier *fidit* adultero, qui tam potens est, ut eam contra maritum et leges defendat; cuius rei

Certo foedere castitas,
Et peccare nefas, aut pretium emori.
O quisquis volet impias
Caedes, et rabiem tollere civicam,
Si quaeret Pater urbium
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam,
Clarus postgenitis, quatenus, heu nefas!
Virtutem incolumen odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

exempla sunt apud Tacitum. Quamquam Augustus adulteros puniret, ut Sempronium Gracchum, et alios.

Aut pretium emori. In aliis MSS. *mori* et *est mori*. In Mirandulae Viridario p. 239. *pretium mori*. *Emori* grandius sonat et antiquius. Sallust. Iugurth. 14. *Utinam emori fortunis meis honestus exitus esset.* Amant autem et historici et poëtae tales infinitivos. Virgil. II. Aen. 354. *Una salus victis, nullam sperare salutem.* Liv. VII. 35. *Ergo una est salus, erumpere hinc atque abire.*

O quisquis. Bentleius *quis quis.* Vere, puto. De eiusmodi repetitis vocabulis v. Cort. ad Lucan. I. 521. Burm. ad Propert. II. 2. ubi Marklandus tacite emendationem Bentleii probavit.

Pater urbium. Per metrum scribere potuisset *patriae pater.* Ex quo Cicero, Caesar, et Augustus variis temporibus appellati sunt *patres patriae*, de qua re vid. interpr. ad Flori IV. 2. et IV. 12. nomen *patris* honorificum ad alia quoque translatum est. Tacit. III. Ann. 13. *Piso appellatus est pater legionum.* XI. Annal. 25. *Consul retulit Claudium Censorem patrem senatus appellandum.* Poëta in Anthol. Burm. T. I. pag. 189. Caesarem facit dicentem: *fuerem pater urbis et orbis.* Pater *urbium* plus est quam *patriae.* Nomen *patriae* plerumque Romam tantum, *urbium* totam Italiam et provincias, et terrarum orbem complectitur.

Sublatam ex oculis quaerimus invidi. Mimnermus: *Δειναὶ γὰρ ἀνδρὶ πάντες ἐσμὲν εὐκλεΐ Ζώντι φθονῆσαι, κατθανόντα δ' αἰνέσαι.* Quem locum praeter alia cum Horatiano comparavit Dresc-

Quid tristes querimoniae,
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges, sine moribus
Vanae, proficiunt? si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreae finitimum latus,
Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt? horrida callidi
Vincunt aequora navitae?
Magnum pauperies opprobrium iubet
Quidvis et facere et pati,
Virtutisque viam deserit arduae?

mius ad Ioseph. Iscanum VI. 967. Adde Picarti Observ. Decad. pag. 115.

Quid leges sine moribus. Hoc est sine *bonis moribus.* v. Gronov. Observ. I. 24. interpr. ad Appulei. T. II. pag. 556. et Tacitum de Causs. Corrupt. Eloq. cap. 7. *Leges* et *mores* saepe sibi opponuntur. Auson. Epiced. patris: *Bonos mores legibus antetuli.* Rittershus. ad Guntheri Ligur. VI. 607. putat Horatium haec sumsisse ex Aristotele II. Politic.: *Ὁ νόμος ἰσχὺν οὐδεμίαν ἔχει πρὸς τὸ πείθεσθαι, πλὴν παρὰ τὸ ἔθος.*

Durataeque solo nives. Bentl. volebat: *Durataeque gelu nives.* Vir doctus in Actis Societatis Traiectinae: *durataeque polo.* Si quid mutandum sit, mallem: *durantesque solo nives:* quae nunquam resolvuntur. Lucan. IV. 52. *Urebant montana nives, camposque iacentes Non duraturae conspecto sole pruinae.* Sed *duratae solo*, sunt in solo duratae vi perpetui frigoris. Ovid. III. Trist. 10. *Nix jacet: et iactam nec sol pluviusque resolvunt. Indurat Boreas perpetuamque facit.* Petron. cap. 99. *Incultis asperisque regionibus diutius nives haerent.*

Vincunt Aequora navitae? Tacit. Agric. 25. *Victus Oceanus.* Quae est pulcherrima Lipsii emendatio pro *auctus*, h. l. Horatii confirmata.

Quidvis et facere et pati. Cicero in Pison. cap. 5. *Qui nihil sibi unquam nec facere nec pati turpe duxit.* Unde, ut putat

Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat et turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas, et lapides, aurum et inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus, scelerum si bene poenitet.
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa: et tenerae nimis
Mentes asperioribus
Formandae studiis. Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer,
Venarique timet; ludere doctior,
Seu Graeco iubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea:
Quum periura patris fides
Consortem socium fallat et hospitem;

Ruhnkenius, Velleius Paterc. II. 100. *Nihil, quod facere aut pati turpiter femina posset, reliquit.* Rectum autem et Latinum est *quidvis*, *multa* pati. Virgil. I. Aen. 5. *Multa quoque et bello passus.* Sed hoc notissimum est, neque dixissem, nisi Burm. ad Anthol. T. I. pag. 306. sollicitasset verba Scholiastae ad Iuvenalem: *Sarmentus tam gulae quam turpitudini deditus, pro qua re patiebatur multa.* Putabat excidisse *dicteria* vel *scommata.*

Cupidinis pravi. Comm. Cruq. *proni.* Hildeb. Mor. Philos. pag. 971. *pravae.*

Formandae studiis. Faber ad Lucretii III. pag. 479. multo melius putat, si Horatius scripsisset *durandae.* Bentleius corrigit *firmandae:* quod verum existimo. Exemplis adde nonnulla a Marklando ad Statii Silv. II. 3. 22. annotata. Et *firmare* cum *formare* perpetuo confunditur. v. interpr. ad Silium Ital. XI. 449. *Peliaca formabat rupe canendo Heroum mentes et magni pectora Achillis.*

Quum periura patris fides

Indignoque pecuniam
Haeredi properet. Scilicet improbae
Crescunt divitiae: tamen
Curtae nescio quid semper abest rei.

Consortem socium fallat et hospitem. Pro *patris* in MS. Voss. *paris.* In MS. Franek. prima syllaba in voce *consortem* a manu recentiore fuit addita. Bentlei. volebat: *Consortem, et socium, fallat et hospitem.* Easdem voces iam separavit Passeratius ad Propert. I. 21. Ad hanc rationem Bentleius emendavit Manil. III. 121. *Et socios tenet, et consortes, hospitiisque Fungitur.*

Haeredi properet. Plane ut Graecum σπεύδειν. Solonis est: Πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνθρώποισιν. Ὅι γὰρ νῦν ἡμῶν πλεῖστον ἔχουσι βίον, Διπλάσιον σπεύδουσι.

CARMEN XXV.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? Quae nemora, aut quos agor in specus,

CARMEN XXV.

Videtur esse praefatio majoris carminis, ad laudandum Bacchum compositi. Horatius tentavit, quid in genere Dithyrambo valeret, in quo et Pindari excellentiam praedicavit, dicens eum: *nova verba per audaces Dithyrambos devolvere.* Dithyrambum singula fere dicta Horatii ostendunt. *Quo me rapis. Tui plenus sum. Stupeo ut Evias. Nil mortale loquar.* Propertius III. 15. simile carmen tentaturus, cecinit: *Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris. Da mihi lymphato vela secunda pater.* Et, postquam attigerat praecipua Bacchi facta: *Haec ego*

Velox mente nova? Quibus
Antris egregii Caesaris audiar

non humili referam memoranda cothurno, Qualis Pindarico spiritus ore tonat. Ipsum autem carmen Horatianum, cuius haec est praefatio, intercidisse puto. Scholiastae, qui viderunt solam praefationem, eam primum glossis, alii deinde versibus interpretati sunt. Ponam carmen, quod genuinum iudico, et addam glossas, originem versuum adulterinorum.

Quo me Bacche rapis tui
Plenum? Quae nemora, aut quos agor in specus?
Edonis stupet Evias,
Hebrum prospiciens, et nive candidam
Thracen, non secus in iugis.
Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Letoë, sequi Deum
Cingentem viridi tempora pampino.

Hoc exordium, antiquae et incorruptae Latinitatis, in hunc modum a Scholiastis illustratum esse suspicor: »Hac ode Liberum patrem invocat, significans suum spiritum non sufficere magno carmini, nisi instinctu numinis iuvetur. *Nemora.* In quibus et Bacchus carmina docebat, et Nymphae discebant, sicuti dicit Horatius. *Agor.* Scilicet *mente*, divino furore correpta. *Specus.* Antra. Nemora et antra, propria poëtarum loca, ubi, coelesti igne incalescentes, carmina canebant. Et mox dicit, se ibi *nil mortale* esse locuturum. *Edonis.* Iuga Edona sunt Thraciae. Cogitat autem praecipue montem Rhodopen, sacris Bacchi et coetu Maenadum celebratissimum. *Evias.* Sacerdos Bacchi furiosa, quas alibi Thyadas appellat. *Non secus in iugis.* Non aliter: scilicet, atque ego stupeo, videns nemora illa et specus. *Nil mortale.* Nil parvum aut humili modo." Ex tali interpretatione, omnes versus, quos esse credo non germanos, facile profluxerunt.

Tui plenum. Usitata formula de iis, qui numine Dei agitantur. Valer. Flaccus II. Argon. 441. *Illi sole novo laeti, plenique Deorum.* v. Burm.

Quae nemora, aut quos agor in specus. Alii: *quae in nemora:* recte a Bentleio repudiatum. Eadem praepositio in priori substantivo intelligitur, quod librarios saepe fefellit. Conf. Cort. ad Lucan. II. 85. Burm. ad Virgil. VI. Aen. 692. Hand. ad Statii Silv. pag. 413. et Hermann. ad Viger. pag. 854.

Velox mente nova. Grammatici, qui et poëticam faciebant, Lucanum admirabantur et imitan-

Aeternum meditans decus
Stellis inserere et concilio Iovis?

do exprimebant. Hic aliquis legens, »*tui*, *Bacche*, *plenum*" statim recordabatur Lucani V. 164. *non unquam plenior artus Phoebados irrupit Paean*, *mentemque priorem Expulit*. Et IX. 564. *Ille Deo plenus*, *tacita quem mente gerebat*. Hinc credibile est *novam* mentem Horatio additam. Aliud glossae vestigium, sicut iam dixi, in eo est, quod verbum *agor* ita interpretabantur: »Mente scilicet, non corpore. Ovidius. *Et quo non possum corpore*, *mente feror*." Si adiungis *mente*, minuis cogitationem furoris divini. Nec facile dictu est, utrum *velox agor*, an *velox mente* sint connectenda.

Antris egregii Caesaris audiar. Unum, credo, antrum sufficiebat. Et cur iterum *antra*? Praecesserunt *specus*. Iam recte in antro meditamur, et canimus, non tamen ut longe lateque *audiamur*. *Decus egregii Caesaris* surripuit Horatio I. Carm. 6. *Laudes egregii Caesaris*. Sed decus Caesaris omnino alienum est ab hac praefatione. Plenus Bacchi, laudes Bacchi cantat. Sicuti cantavit Horatius II. Carm. 19. Grammaticus videns illa *Nil mortale loquar*, et cogitans de argumento tam magni carminis, statim arripuit solitum poëtis argumentum, Caesarem Augustum.

Aeternum meditans decus Stellis inserere et concilio Iovis. Ambigua et ingrata verborum constructio: *audiar*, *meditans inserere*, an *audiar inserere*, *meditans decus*. Neque *meditari* aptum huic rei et loco verbum est. *Meditamur* carmen, dum ad illud canendum nos praeparamus, et exercemus. Homo Bacchi plenus, non meditatur, non cogitate scribit, sed, spiritu isto inflatus, versus ex tempore dicit. Sed *decus Caesaris inserere stellis et concilio Iovis*, fidem obsecro vestram, quis ita loquatur? Laudes *ad astra tollere*, usu probatum est. Laudes *inserere astris et concilio Iovis*, significat, *Laudibus*, tamquam homini, *locum dare*, *Laudes adscribere coelo*. Virgil. I. Georg. 25. *Tuque adeo*, *quem mox*, *quae sint habitura Deorum Concilia*, *incertum est*. Valer. Max. I. 6. *Caesarem Deorum concilio adiecerunt*. Auson. Carm. pag. 478. *Insinuat coelo*, *Disque inserit emeritos laus*. Nemesian. Eclog. I. 50. *coelo*, *dignus Concilioque Deûm*. v. Burm. Qui, quum ad Ovid. XV. Metam. 848. putasse videatur, h. l. non *decus Caesaris*, sed *animam* in astra

Dicam insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. Non secus in iugis
Exsomnis stupet Evias,
Hebrum prospiciens, et nive candidam
Thracen, *ac pede barbaro*
Lustratam Rhodopen, ut mihi devio

abiisse, haec verba non accurate consideravit.

Dicam insigne, recens, adhuc Indictum ore alio. Quia praecessit *decus*, et adiectiva illa *insigne, recens, indictum*, non habent substantivum quo referantur, necessario repetimus *decus*. Dicam illud insigne, recens, et ab aliis indictum decus. Sed decus Augusti iam erat antiquum, et millies decantatum. Igitur intelligendum *aliquid*, seu *carmen*. Dicam *aliquid* insigne. Dura sane ellipsis, et parum usitata. Neque *recens* idem est quod novum, nunquam auditum. Multa enim recentia carmina continent res valde antiquas et bene cognitas. Legit Grammaticus Horatii II. Carm. 19. *Evoë recenti mens trepidat metu.* Ubi Schol. »*Recenti:* inaudito.'' Age vero, sint omnia egregie Latine dicta, sunt tamen orationi pedestri tam similia, ut, qui mox cecinerit, *Nil mortale canam*, se ipse plane refutaverit. Et cur poëta in eodem, tam brevi carmine, tam magni caeteroquin spiritus, dixisset: Canam aliquid *insigne, indictum ore alio, nihil humili modo, nil parcum, nil mortale?*

Exsomnis stupet Evias. Difficultas est in epitheto *exsomnis*, quod significat *vigilans*, quae sine somno est, non, *somno experrecta*, ut nonnulli volunt: v. Bentl. et N. Heins. ad Virgil. VI. Aen. 556. Palmarium est Bentleii *Edonis*. Quae contra disputat Burm. ad Anthol. Latin. Tom. I. pag. 170. parum apud me valent. Dicit: Exsomnis, quae per totam noctem luxuriavit, antequam in somnum cecidit: et Heinsius, locum Horatii ad Virgilium proferens, vulgatum probasse videtur.

Thracen, ac pede barbaro Lustratam Rhodopen. Haec si accurate consideres, videbis esse verba sonora, nihil amplius. Est enim Rhodope, *ubi homines barbari habitant et versantur.* Evias ergo prospicit montem, non a Graecis, sed a Thracibus, hoc est barbaris, habitatum. Alii *pedem barbarum* ipsis Maenadibus tribuunt. Ita Baocha stupe-

Ripas et vacuum nemus
Mirari libet. O Naïadum potens

ret, prospiciens montem, in quo Bacchae barbarae vagantur. In qua re non honestum est epitheton *barbarum*: neque video cur Baccha Bacchae stuporem iniiceret vel augeret. Iam Rhodope est mons altissimus. *Iuga* minorem altitudinem indicant, quam cogitatio totius montis, proprio nomine appellati. Recte *in iugis prospicimus*, eminus e loco editiore, videmus mare, flumen, et valles, minus recte *in iugis prospicimus altissimum montem*. Vim verbi *prospicere* explicaverunt Cort. ad Sallust. B. Iug. 60. et Burm. ad Phaedri II. 5. villa, *Quae monte summo prospicit Thuscum mare*. Et cur Evias prospiceret Rhodopen, qui mons ipse sacris Liberi patris et coetu Maenadum erat celebratus, in quo monte ipsa Evias sacris operata, versari debebat? Horatius, nominans iuga Edona, Rhodopen cogitavit. Quamquam enim in Thracia sint alii montes, ut Haemus, in Bacchico tamen cultu praecipua ratio habetur Rhodopes, Haemus plerumque describitur sedes Martis. Ego reponendum putavi *Thracen*, *non secus in iugis*. In quae nemora agor, Baccho plenus. Non secus, sic, non aliter stupet Evias, scilicet, ut ego stupeo, ita abreptus, et videns illos specus et nemora. Huic interpretationi inprimis favet Scholion, quod legitur in reliquiis Acronis: *Non aliter Baccha prospiciens Hebrum delectatur, quam ego videns nemora*. Quum dixerit *nemora*, respexit antecedentia: *quae nemora*. Si retulisset ad sequentia *ut mihi devio*, scripsisset potius: *quam mihi mirari libet nemus et ripas*. Bentleius quidem affirmat, *non secus*, semper aliquid aut ante se aut post se habere, cum quo instituatur comparatio: hic autem nihil praecedere, quo referas *non secus*, ergo esse adnectendum sequentibus, et legendum: *non secus stupet, ac mihi mirari libet*. Sed constat, *non secus*, *non aliter*, *sic*, *talis* saepe absolute poni, quando comparatio ex antecedentibus petenda est. Virgil. VIII. Aen. 414. Erat illud tempus, inquit, quo pauper et diligens mater familias, post primum somnum sopitos ignes suscitat, et famulas exercet. *Haud secus ignipotens — opera ad fabrilia surgit*. I. Aen. 399. *Adspice cygnos — Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum — portus tenet*. Horat. Epod. 14. *Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo, Anacreonta Teium*. Tibull. IV. 2. *Talis in*

Baccharumque valentium
Proceras manibus vertere fraxinos!
Nil parvum aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Lenaee! sequi Deum

aeterno felix Vertumnus Olympo. Mille habet ornatus, mille decenter habet. Virgil. Eclog. I. 23. *Sic canibus catulos similes, sic matribus hoedos Noram.* Hic nusquam comparatio in antecedentibus diserte per *ac*, *veluti*, *tamquam*, *ceu*, expressa, sed ex sententia verborum repetenda est.

Mirari libet. Volo mirari. Nunc mihi placet mirari. Ita loquimur sedata mente, quando aliquid facere cogitamus, et facere incipimus, ut rusticus in Epodo capturus somnum, cui *Libet iacere modo sub antiqua ilice*, *Modo in tenaci gramine.* Horat. I. Epist. 7. 60. *Scitari libet ex ipso.* Nepos Pelop. 3. *Hoc loco libet interponere, etsi seiunctum ab re proposita est.* Interpretes *ut libet* reddunt *ut volupe est.* Hoc, credo, Horatius dixisset, *ut iuvat*, *ut gaudeo;* tamquam in Epodo: *Ut gaudet insitiva decerpens pira!*

Naïadum potens Baccharumque. Nymphae sunt comites Bacchi, carmina illius discentes. Non tamen iis furorem iniicit. Bacchus potens Baccharum, tenuis laus est, etiam si de fractis manu arboribus addatur. Bacchum esse regem Baccharum, nomen ipsum indicat. Et *potens Baccharum*, peregrinum sonat. Dei apud poëtas vulgo dicuntur potentes *rerum* et *regionum.* Ceres *frugum* potens, Neptunus *litorum*, Diana *silvarum.* Exempla dederunt Gronov. ad Senecae Herc. fur. 300. et Heins. Advers. pag. 219.

Nil parvum aut humili modo. Optima interpretatio vocabulorum *nil mortale.* Prosa autem est *humili modo*, sicuti dicimus *tali modo*, *hoc modo.* Dicere debuerat *humilibus modis.* De *carmine* usurpantur *modi.*

Dulce periculum est. Statius Silv. IV. 5. 25. *hic mea carmina Regina bellorum virago Caesareo decoravit auro. Cum tu sodalis dulce periculum Connisus omni pectore tolleres.* In Cod. Helmstad. et ed. Veneta *est* non legitur. Quod cum Iano melius arbitror.

O Lenaee, sequi Deum. Haec corrupta sunt. *O Lenaee* non esse potest exclamatio Bacchica, qualis *Evoë Bacche*, frequens apud poëtas, et a Prisciano laudata ex Horatio pag. 1012. etiam

Cingentem viridi tempora pampino.

his verbis »*Heu hoe Bacche precor*. Quae nunc in Horatianis non leguntur: memoriter forte a Grammatico citata. Neque Horatius hic recte Bacchum alloqueretur. Esset enim: »Dulce, o Bacche, sequi Deum, qui est Bacchus.'' Bentleius haec ita mutavit: *Te, Lenaee, sequi ducem. Deum* defendit Burm. I. Anthol. Latin. pag. 170. ex opposito *nil mortale loquar, Deum sequar*. Equidem vestigia manus Horatianae servata credo in Codice Galei, ubi, teste Bentleio, legitur *Iloe*. Nimirum: *dulce periculum, O Letoë, sequi Deum, Cingentem viridi tempora pampino*. Poëtae, carmen gravioris momenti incipientes, Phoebum invocabant. Nunc, dicit, o Phoebe, non te imploro, sed alium Deum sequar, hunc, qui tempora sua viridi pampino cingit, Bacchum. Sequar animi impetum, quem Bacchus mihi inspirat. De forma *Letous* vidimus ad I. Carm. 31. Vulgata lectio etiam hoc habet incommodum, ut nesciamus, suane sibi tempora Bacchus pampino cingat, an aliis. In quo iam Scholiastae fluctuant.

CARMEN XXVI.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria:
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Laevum marinae qui Veneris latus
Custodit. Hic, hic ponite lucida

CARMEN XXVI.

Nunc arma, defunctumque bello. P. Brantsma in Specim. Observ. III. pag. 21. volebat *defunctique bello:* dum prolatis exemplis interpretes docebunt Latine dici *defunctum bello barbiton.* Sed *defunctum* plane est ex consuetudine optimorum poëtarum, qui varia adiectiva ab hominibus ad res transferunt. Quod a nullo fere interprete non observatum est. Si in MSS. legeretur *defunctique bello*, ego corrigerem *defunctum.* Comparandi autem hic sunt versus ignoti poëtae, quos servavit Terentianus Maurus vs. 2830. *Opima apposui senex Amori arma Feretrio.*

Barbiton hic paries habebit. Et milites emeritis stipendiis arma in pariete suspendunt, et poëtae citharam. Horatius, quia dixerat se non sine gloria militasse, figurate addit, se *arma* suspendere, vere *citharam:* hoc est, se desinere et amare, et amores canere. *Hic paries*, quia digito ostendit parietem in domo, ubi statim barbitos penderet. Quod antequam facit, Venerem precatur, ut semel etiam Chloën tangat. Tam difficulter ab amoribus recedit. Exitus carminis inexspectatus, fere ut IV. Carm. 1. *Sed cur heu, Ligurine, cur caet.*

Laevum marinae qui Veneris latus Custodit. Quia mox Venus invocatur, Grammaticus *barbiton* in templo Deae dedicatum finxit. Venerem *marinam* non ita appellabant veteres, quin aliqua esset caussa, v. g. si quis mari vectus Deam auxilium rogaret *ortam ex mari.* Diceres Romae templum fuisse *Veneris Marinae.* Quam affectatum porro paries *custodit* laevum latus Veneris, pro simplici: qui est ad laevum latus!

Hic, hic. Inepta repetitio in re tenui.

Funalia, et vectes, et arcus
Oppositis foribus minaces.
O, quae beatam, Diva, tenens Cyprum, et
Memphin carentem Sithonia nive,
Regina, sublimi flagello
Tange Chloën semel arrogantem.

Lucida funalia. Haec et alia *arma* excogitavit Grammaticus, quia non intellexerat Horatium supra figurate esse locutum. Iam *faces* male nominantur *lucidae.* Faces, quae bello defunctae, sunt consumtae, non exstant, in cineres quippe delapsae. Et quis faces ardentes, lucidas in pariete templi suspenderet? Apparet *lucida* esse epitheton metri caussa fictum.

Vectes, et arcus. Et hic Grammaticus nominavit arma, quae versui convenirent. Quid huc faciant *arcus*, explicari non potest. Neque ex plurimis coniecturis interpretum ulla est probabilis, nisi Bentleiana: *securesque.*

Sublimi flagello Tange Chloën. Leviter tange, sublimi, summa parte flagelli, non toto flagello. Levis ictus sufficiebat. Statius V. Silv. 4. ad somnum: *nec te totas infundere pennas Luminibus compello meis: extremo me tange cacumine virgae.* Idem I. Silv. 2. 79. *Ast illum summa leviter, sic namque iubebas, Lampade, parentes, et inerti strinximus arcu.* Et iam Ovid. Heroid. XVI. 275. *Nec mea sunt summa leviter districta sagitta Pectora, descendit vulnus ad ossa meum.* Interpretes sequuntur antiquos Scholiastas: *in altum sublato ictu, ut vehementius feriat.* Imago *flagelli* in poena a Deis infligenda vulgaris est. Noli cum Burmanno ad Valer. Flacci IV. Argon. 13. inde repetere, quod *Furias cum Venere coniungi* dixit Lactantius Scholiasta Statii ad V. Theb. 66.

CARMEN XXVII.

Impios parrae recinentis omen
Ducat, et praegnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino,
Fetaque vulpes:
Rumpat et serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittae
Terruit mannos. Ego cui timebo,
Providus auspex,

CARMEN XXVII.

Impios parrae recinentis omen. Impii malis ominibus proficiscantur, et sint infelices. Tu, Galatea, felix eris, ubicunque malis, quam apud me. Et nihil te vetat abire. Sed imminet tempestas. Itaque, si proficiscaris, in medio mari tuae te audaciae poenitebit, sicuti Europam poenituit, quae a tauro in aequor provecta, tandem palluit, nihil videns praeter astra et undas. Haec est sententia carminis, quod iterum Grammatici suis additamentis inquinaverunt.

Fetaque vulpes. In MS. nostro est glossa interlinearis *pestilens.* Forte in nonnullis fuit *foedaque vulpes.* Nam *foedus*, ut *obscoenus* est, male ominosus.

Rumpat et serpens iter institutum. Grammatici hanc partem, quae est de ominibus, amplificabant. Laeta doctrinae ostendendae materia, et ex poëtis bene cognita. Interpretes iam statim ad primum versum offendunt. Nam si serpens iter impiorum abrumpat, hoc impiis felix est: sic enim ab interitu servantur. Quare Bentleius legit ex Graeviano MS. *rumpit.* h. e. *quis et serpens rumpere solet iter institutum.* Hoc etiam magis Glossam refert. In illa ornanda usus est loco Virgilii V. Aen. 273. *Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens, Aerea quem obliquum rota transiit.*

Ego cui timebo Providus auspex. Noverat Ovidium II. Amor. XI. 9. *Quid tibi, me miserum, Zephyros Eurosque timebo?* Suspectum quoque est h.

Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix, ubicumque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas:
Teque nec laevus vetat ire picus,
Nec vaga cornix.
Sed vides, quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. Ego, quid sit ater
Hadriae, novi, sinus, et quid albus
Peccet Iapyx.

l. *auspex*, propter ea, quae dixit Bentlei. ad I. Carm. 7.

Antequam stantes repetat paludes. Obscuri versus, quos sentias magis non esse Horatii, quam diserte dicas, cur non sint. Tam impedita est sententia et verborum cursus. Et quid differunt ingrato modo repetita illa, *avis* divina imbrium, *corvus* oscen, vaga *cornix*, quibus in cumulum additur *picus*?

Solis ab ortu. Hoc debebit significare *ab oriente*. Quando Romani sic loquebantur, loquebantur ita, ut ex rerum sententia intelligeretur, vellentne *orientem* an *tempus matutinum*. Si dicam simpliciter ab *ortu solis*, dico tempus quo sol oritur. In Horat. IV. Carm. 15. *Porrecta maiestas ad ortum Solis, ab Hesperio cubili:* vel ex voce *porrecta* facile intelliguntur *oriens* et *occidens*. Livius XXI. 30. *Tum nemini id visum longum, quum ab occasu solis ad ortum intenderent iter.* In quo exemplo perspicue *tempus* indicatur.

Ego quid sit ater Hadriae, novi, sinus. Conatur Galateam deterrere ab itinere faciendo, ostendens signa imminentis tempestatis. Orion, dicit, magno tumultu in occasum trepidat. Ego novi, quam periculosum sit in tempestate mare Hadriaticum, et quam fallax Iapyx. In his illa: *quid sit ater sinus* alieno loco posita sunt. Loquitur enim de tempestate imminente. Nam si iam erupisset, ipsa Galatea, non monente amico, domi maneret. Scribendum iudico: *Ego, quid sit ater*

Hostium uxores puerique coecos
Sentiant motus orientis Austri, et

Hadriae, novi, sonus. Audio ex longinquo sonum Hadriae in aëre murmurantem. Novi, quid sit et ferat iste sonus. Mare scilicet ante tempestatem saepe fluctus erigit, quod atrum et coecum murmur in coelo efficit, et late auditur, quia venti nondum advenere, qui alio in loco saevierunt, unde iam fluctus, ab aliis fluctibus impulsi, tument. Nos illud in patria nostra, qui non procul a mari habitamus, saepe audimus. Neque ea res Romanos latebat, neque Graecos: tractata sine dubio ab Aristotele in libro περὶ σημείων χειμώνων, de quo Fabricius Bibl. Graeca Lib. III. I. 1. Virgil. I. Georg. 356. *Continuo ventis surgentibus, aut freta ponti Incipiunt agitata tumescere, et aridus altis Montibus audiri fragor, aut resonantia longe Litora misceri, et nemorum increbrescere murmur.* Ubi Servius: »Duo dicit naturalia. Futura enim tempestate, et ante ventum, fluctus moventur, et fragor auditur ex silvis, arcana quadam ratione naturae.'' Locum Virgilii ante oculos habebat Lucanus V. 551. *Sed mihi nec motus nemorum, nec litoris ictus, Nec placet incertus, qui provocat aequora, Delphin.* v. Cort. Lucanus iterum V. 571. *Si murmura ponti Consulimus, Cori verrent mare.* Plura dederunt interpretes ad l. l. Virgilii, in his memorabile illud Plinii XVIII. 35. *Mare si tranquillum in portu stabit, et murmuraverit intra se, ventum praedicit. Si identidem, et hyemem et imbrem. Litora ripaeque si resonabunt tranquillo, asperam tempestatem, item maris ipsius tranquillo sonitus.* Adde Ovidium XV. Metam. 704. *Murmura qualia fluctus Aequorei faciunt, si quis procul audiat illos, Tale sonat populus.* Quintil. Declam. IV. 16. *Sic futuras tempestates pelagi fragor, et conscium nemorum murmur enuntiat.* Pulchre autem obscurum illud aequoris murmur, dicitur *ater sonus*, cui opponitur *clarus* sonus, ut Graeci λευκὴν φωνὴν et μέλαιναν, hoc est *fuscam* et *candidam*, appellant: v. interpretes ad Sueton. Neronem cap. 20. et Quintil. Inst. XI. 3. Ut ego conieci *sonus*, ita legit Comment. Cruq. »Dicit se nosse futurae tempestatis signa, vel ex Adriatici maris sono, vel ex flatu venti Iapygis.''

Hostium uxores puerique coecos. Repetitio rerum supra dictarum. *Impios ducat omen parrae. Pueri* ob metrum additi,

Aequoris nigri fremitum, et trementes
Verbere ripas.
Sic et Europe niveum doloso
Credidit tauro latus, et scatentem
Belluis pontum, mediasque fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis studiosa florum, et
Debitae Nymphis opifex coronae,
Nocte sublustri nihil astra praeter
Vidit et undas.
Quae simul centum tetigit potentem

licet proverbio usurpetur ἐχθρῶν πεῖθες. *Uxores* probari potest, quia Galateam alloquitur. Quamquam in tali formula solo *hostium* nomine uterentur: *hostibus hoc eveniat:* quae formula frequens apud Ovidium invenitur. Iam *motus orientis Austri* nove dictum. *Fremitus aequoris* et *sonus Hadriae*, vel, si malis, *inter sinus Hadriae* non differunt. Neque *ripae* pro *litora aestatis* Augustae est. Nam Ovidius in Metamorphosi diserte distinxit: *pro ripis litora pulsant.*

Sic et Europe niveum doloso. Ut tu nunc te credes navi, et periculi secura, non cogitas quid accidere possit, sic Europa se credidit tauro: et illa, antea tam audax, altius in mare ablata, palluit.

Mediasque fraudes Palluit audax. Pro *media inter fraudes* dici putat Burm. ad Valer. Flacci II. Argon. 174. Pulchre *audax palluit.* Ita et Seneca Medeae 346. *Palluit audax Tiphys.*

Nocte sublustri. Citavit Serv. ad Virgil. IX. Aen. 373. quod et fecerat Probus, ut annotavit Grammaticus Maii.

Quae simul centum tetigit potentem. Sequitur fabula de Europa, quam cur hic Galateae narraret, nulla adhuc ab uno omnium interprete caussa probabilis allata est. Inveniuntur in ista fabula pulchri versus, sed etiam tales, quales equidem Romano poëta non dignos iudico. Universa autem carminis ratio magis lusum ingenii luxuriantis refert, quam castigati poëtae in quo illa luxuries usu et exercitatione iam depasta est. Statim orationis, quam Europa ha-

Oppidis Creten pater! o relictum
Filiae nomen, pietasque! dixit
Victa furore.
Unde? quo veni? Levis una mors est

bet, initium est obscurum. *Simul tetigit Cretam;* additum aliquid oportebat, unde Galatea intelligeret, *culpam*, *turpe commissum*, et *vitium*. Honeste hoc facere potuisset auctor, ut fecit Ovidius III. Metam. 1. *Iamque Deus posita fallacis imagine tauri Se confessus erat: Dictaeaque rura tenebat.* Nam neque Iupiter in tauro Europam, neque in mari vitiavit. Et tamen, ut vitiata, loquitur. Pro *potentem* in MS. Lips. *patentem* legi testatur Ianus: hoc esset Creta, insula tanti spatii, ut centum oppida capere posset. Sallust. Iugurth. 92. *Mons saxeus mediocri castello satis patens.* Seneca Troad. 820. *Urbibus centum spatiosa Crete. Potens* tamen auctoris est, imitati Horatium Epod. 9. *Centum nobilem Cretam urbibus.*

Pater! o relictum Filiae nomen. Interpretantur *nomen patris*, quod ego filia reliqui: *nomen patris*, pro *ipso patre*. Alii *nomen filiae relictum*, hoc est, ego nomen et officium filiae reliqui. Iam haec sunt poëtae non accurate dicentis, quid velit. Et tamen his interpretandi modis tertium addere possis, quem alteris duobus non peiorem censeo. Europa scilicet hic non dolet se patrem reliquisse, nam hoc statim dicit: *impudens liqui patrios Penates.* Sed, appellato patre, subiungit: o tu pater, iam non pater filiae tuae, sed nomen modo relictum, de quo mihi nil nisi nomen relinquitur et restat. Cicero V. Epist. ad Atticum 15. *Cum exercitum noster amicus habeat, tantum me nomen habere duarum legionum exilium.* Liv. V. 18. *Me iam non eundem, sed umbram nomenque P. Licinii relictum videtis.* Laberius in Prologo illo apud Macrobium: *Sepulcri similis, nil nisi nomen retineo.* v. Iuretus ad Symmachi Epist. pag. 45. et interpr. ad Lucan. I. 313.

Pietasque, dixit, Victa furore. Ambigue iterum. Nam et pietas erat victa furore, et Europa haec loquitur, victa furore. Sunt autem Virgilii: *Ubi concepit furias evicta dolore.*

Unde? quo veni? Notum est illud Virgilii: *Quid loquor? aut ubi sum?*

Levis una mors est Virginum culpae. Ex Propert. IV. 4.

Virginum culpae. Vigilansne ploro
Turpe commissum? an vitiis carentem
Ludit imago
Vana, quae porta fugiens eburna
Somnium ducit? Meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?
Si quis infamem mihi nunc iuvencum
Dedat iratae! lacerare ferro, et
Frangere enitar modo multum amati
Cornua tauri.

19. *Et satis una malae potuit mors esse puellae?*

An vitiis carentem Ludit imago. Dudum emendaveram *vitio*, quod fecerat Bentleius. Seneca Hippol. 483. *Non alia magis est libera, et vitio carens, Ritusque melius vita quae priscos colat.* Vidi a viro docto editioni, qua utebatur, adscriptum *vitii*. Vere fortasse. Nam Horatii aetate Romani non scribebant *vitii*, imo *viti*, ut *auxili*. De qua re vide sententiam Bentleii in Praefatione Manilia.

Vana, quae porta fugiens eburna. Talia verba Horatius Europae non tribuisset, illi, quae insania propemodum agitata, nescit, quid dicat, quid taceat. Quis in tanta animi perturbatione cogitat, utrum imago somnii venerit ex porta cornea an eburnea? Ne dicam hoc esse affectatum in simplici puella. Nam illud de duplici porta pertinet ad doctrinam poëtarum. Et *imago* sufficiebat, praecipue *vana imago*, et quia dixerat *vigilansne ploro*. v. Duker. ad Flori IV. 2.

Meliusne fluctus Ire per longos fuit. Noluit ire per longos fluctus: sed decepta fuit a tauro, non sua culpa. Debuisset dicere: Meliusne fuit in litore tauro insidentem ludere?

Si quis infamem mihi nunc iuvencum. Dedat *iuvencum*, frangam cornua *tauri*, pro frangam *illi* cornua, minus rectum est. In aliis MSS. *multum amati Cornua monstri*. Quod praefert Bentlei. Sed cur *taurus* dicatur *monstrum*, non intelligo, nisi quod Iupiter in eo latebat. Sed hoc Europa ignorabat. Tum *ferro lacerare*

Impudens liqui patrios Penates:
Impudens Orcum moror! O Deorum
Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda leones!
Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneraeque succus
Defluat praedae, speciosa quaero
Pascere tigres.

et *cornua frangere* vehementius est, quam pro Europa.

Impudens liqui patrios Penates. Hoc conveniebat v. c. Helenae. Europa non reliquit, multo minus *impudens.* Quotidie ita linquebat domum paternam, ut cum aequalibus luderet. *Misera* erat, non *impudens.* Miseram vocat Moschus.

Utinam inter errem Nuda leones. Nuda a decoro abhorret, quod puellae in morte etiam observabant, vel curantes, ut, si caderent, honeste caderent. Neque de lèonibus mihi placet. Appellavit auctor Cretam centum oppidis *potentem.* Hoc ignorare potuit Europa, lectores non ignorant. Melius Ariadne in simili causa dubitat apud Ovid. Heroid. X. 85. *Forsitan et fulvos tellus alit ista leones: Quis scit, an et saevae tigrides intus agant.*

Antequam turpis macies decentes. »Nunc etiam pinguis sum, et tigribus operae pretium est me devorare. Si macie confecta fuero, nihil habebunt praeter ossa et pellem.'' De tali sententia nihil dicere attinet. Enimvero, aiunt interpretes, Europa cupiebat mori illaeso et integro corpore, quod erat solatium morientibus et morientium amicis. Sed si unquam puella misere lacerato corpore ad inferos abierit, illa certe abiit, quae in potestate tigridum fuit. Dorvill. ad Chariton. I. 5. hoc votum morientium multis explicat, et Horatium interpretatur verbis Charitonis: *εὔχομαι ἔτι καλῇ τεθνάναι, καὶ εὐσχήμων εἶναι νεκρά.* Neque ille ad *tigrides* istas satis animum attendit. Si Europa tigres pavisset, non descendere poterat ad infernas sedes, antequam reliquiae, ossa, collecta et concinnata, quantum fieri posset, terrae essent mandata. Appulei. VII. Metam. 15. a Dorvillio laudatus, hoc docet: *Et cadaver quidem, disiectis partibus, tan-*

Vilis Europe! pater urget absens:
Quid mori cessas? Potes hac ab orno

dem totum repertum, aegreque concinnatum, ibidem terrae dedere. Scripsit autem Dorv. l. l. *antequam tristis macies.* Memoriae errore, puto. Caeterum *malae decentes* sunt pulcherrimae. Fortasse ea laus sordet in oratione ipsius Europae. Sed auctor tribere potuit *Antequam turpis macies cadentes Occupet malas.* Malas, quae brevi cadent, et macie occupabuntur. Nam, quod Homerus Odyss. Θ. 520. *Τῆς δ' ἰλαροτάτῳ ἄχεϊ φθινύθουσι παρειαί*; hoc Romani *cadere* et *labi* appellant. Statius V. Silv. I. 170. *Iamque cadunt vultus.* Sueton. August. 99. *Supremo die, petito speculo, capillum sibi comi, ac malas labentes corrigi praecepit.* v. Oudend. Seneca Hippol. 364. *lapsae genae:* v. Gronov.

Quid mori cessas? Iam dixerat *Orcum moror.*

Potes hac ab orno Pendulum nexu bene te secuta Laedere collum. Placida deliberatio de genere mortis, abhorrens ab animo perturbato et caetera oratione Europae, vitam sibi adimere meditantis. Seneca in Hippol. 158. minus a naturae veritate discessit; quia Phaedram cum nutrice loquentem fecit: *Decreta mors est. Quaeritur fati genus. Laqueone vitam finiam, an ferro incubem? An missa praeceps arce Palladia cadam?* Ut Eurip. Helen. 305. quae cum Choro loquitur: *Θανεῖν κράτιστον. πῶς θάνοιμ' ἂν οὖν καλῶς; Ἀσχήμονες μὲν ἀγχόναι μετάρσιοι. Σφαγαὶ δ' ἔχουσιν εὐγενές τι καὶ καλόν.* Alia quoque est ratio Ovidiana Heroid. II. 139. ubi Phyllis scribit Demophoönti. *Saepe venenorum sitis est mihi: saepe cruenta Traiectam gladio morte perire iuvat. Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis Praebuerunt, laqueis implicuisse iuvat. Stat nece matura teneryum pensare pudorem: In necis electu parva futura mora est.* Quanto melius in I. Carm. 37. Cleopatra simpliciter appellatur *deliberata morte ferocior?* Et Virgil. IV. Aen. 747. de Didone: *Ergo ubi concepit furias, evicta dolore, Decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque Exigit.* Sed Grammatici, ex poëtis antiquioribus tria ista mortis genera cognoscentes, maluerunt ostentare doctrinam et ingenio indulgere, quam sanae rationi obedire. Sophocles alicubi dixerat: *Λύσω γάρ, εἰ καὶ τῶν τρεῖς ἓν οἴσομαι.* Quod ita exponit Scholiasta Pindari Olymp. I. 97. *ὅτι τρία λέγονται κοινῶς*

Pendulum zona bene te secuta
Laedere collum:
Sive te rupes, et acuta leto
Saxa delectant, age te procellae
Crede veloci: nisi herile mavis
Carpere pensum,

καὶ τὰ πρὸς θάνατον συνεργοῦντα, ξίφος, ἀγχόνη, κρημνός. Lucan. IX. 106, *Nunquam veniemus ad enses, Aut laqueos, aut praecipites per inania iactus.* His similia multa annotavit Pricaeus ad Appuleii Metam. IV. pag. 79. et Cort. ad Lucan. VIII. 654. Hoc tamen vidit Grammaticus, *ferrum* hic minus convenire. Quamquam in antecedentibus Europa taurum *ferro lacerare* cupiat.

Pendulum zona bene te secuta Laedere collum. Dubites, pendulum *ab orno*, an pendulum *zona*. Iocus autem de *zona* ineptus est. Quamquam et serio accipi possit. Bonum factum, Europe, quod zonam non oblita es tecum ferre. Sed zona erat perpetuum virginibus gestamen. Oblivisci non poterant. *Laedere* collum, videtur Grammaticus posuisse quaesita elegantia, pro tam pulchrum collum *foedare*, *lividum facere*. Suffocare enim est *elidere*. Quod Bentl. e MSS. revocavit, et exemplis illustravit. Quibus adde Minut. Felicem Octav. pag. 289. *Vos video procreatos filios nunc feris et avibus esponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere.* Ammian. Marcell. XXVIII. pag. 409. *Laqueo vitam elisit.* Florus III. 3. *Suffocatis elisisque infantibus suis.* v. Dukerus. Et Heins. Adversar., pag. 117.

Sive te rupes et acuta leto Saxa delectant. Si desiliat a rupe et saxis, ea saxa nihil faciunt ad letum, sive sint acuta sive plana. Si desiliat a *rupe* in *saxa*, desilit a *rupe* in *rupem*, quum vulgo saltus fiat a rupe in imam vallem vel barathrum vel mare. Iam saxa *acuta leto* pro *ad letum* consciscendum, vix, puto, Latinum est. Minus etiam *delectant leto*. *Delectant* in hac re pro *placent*, vel *mavis*, est poetae primam vocem arripientis, quae metro conveniat.

Age te procellae Crede veloci. In uno MS. nostro *agite*. Error scribentis, ab altero postea correctus. Qui se procellae credit, is, saeviente procella, proficiscitur sive mari sive terra, et

Regius sanguis, dominaeque tradi
Barbarae pellex. Aderat querenti
Perfidum ridens Venus, et remisso
Filius arcu.
Mox, ubi lusit satis; abstineto,
Dixit, irarum calidaeque rixae,
Quum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.

se furori procellae exponit. Hoc Latinum est. Virgil. VI. Aen. 15. *Praepetibus pennis ausus se credere coelo.* Ovid. I. Art. Am. 411. *tunc, se qui credidit alto, Vix tenuit lacerae naufraga membra ratis.* Claud. Rapt. Proserp. Praefatione, vs. 5. *Tranquillis primum trepidus se credidit undis.* Qui a rupe desilit, et per auras deorsum fertur, non dici potest se credere procellae. Puto auctorem hoc voluisse. Age, Europe, de saxo te in mare proiice. Cogitatio *maris* illi *procellam* suggessit.

Aderat querenti Perfidum ridens Venus. Nunc primum, ut Dea ex machina, an iam dudum? Non liquet. Si iam dudum, quod indicari videtur eo, *mox ubi lusit satis*, Venus aëre septa aderat, vel alicubi latebat, ne ab Europa conspici posset. Haec omnia nunc divinare cogimur.

Abstineto-irarum. Pro *iris* vel *iras.* Suspecta Latinitas. Aliud est *desine irarum.* Tamen Ioan. Saresberiensis Polycrat. I. 4. *Manum contine. Istarum abstine.* Alia res est in participio *abstinens.* *Calidaeque rixae.* Atqui nemo aderat, quocum Europa rixari posset.

Tua sectus orbis Nomina ducet. Haec non sunt Latina, et vehementer dubito an Romanus intelligeret. *Sectus orbis* idem est quod *mundus divisus.* Iam mundus erat divisus in Asiam, et adversam Asiae regionem, quae nondum nomen habebat, sed accepit ab Europa. Igitur non *sectus orbis*, sed *pars secti orbis* ab Europa fuit appellata. Neque illud *sectus* ita nude positum rem accurate significat. Nescimus enim, quid, a quo, sectum sit. Videtur sumsisse ex Carm. I. 3. *Deus abscidit Oceano terras.* Quanto melius Lucan. III. 273. *Tanais divisi nomina mundi Imposuit ripis, Asiaeque et terminus idem Europae, mediae dirimens confinia terrae.* In il-

Uxor invicti Iovis esse nescis:
Mitte singultus: bene ferre magnam
Disce fortunam: tua sectus orbis
Nomina ducet.

lis versibus si *orbis secti* legeremus, nullam haberet obscuritatem. Nunc Grammaticus Horatium fecit dicentem: orbis in duas partes divisus, totus mundus, appellabitur *Europa*. Deinde h. l. non laudandus est pluralis *nomina*, pro *nomen*, neque *ducet tua nomina* pro *sua a te ducet*. Romani loquuntur: *ducit nomen ab aliquo*, id est a nomine alicuius vocatur. Non reperiri puto *ducit nomen alicuius*, pro *gerit*. *Duoi ab aliquo* est originem, genus ab aliquo deducere. Utramque formulam confudit Burmannus in Anthol. Lat. Tom. I. pag. 614. Scripserat ibi poëta: *Quid prodest Martis te vel de nomine dictum*. Burmann. male *ductum* legit, idque hoc exemplo Horatii tuetur. Quod exemplum etiam ab Heinsio ad Ovid. III. Fast. 387. citari miror ad confirmandam lectionem, *Saliis, a saltu nomina ducunt*. Auson. pag. 116. *Arborium*, *Aedusio ductum de stemmate nomen*.

CARMEN XXVIII.

Festo quid potius die
Neptuni faciam? Prome reconditum,
Lyde, strenua Caecubum,
Munitaeque adhibe vim sapientiae.
Inclinare meridiem
Sentis: ac, veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram.
Nos cantabimus invicem
Neptunum, et virides Nereïdum comas:
Tu curva recines lyra
Latonam, et celeris spicula Cynthiae:
Summo carmine, quae Cnidon,
Fulgentesque tenet Cycladas, et Paphon
Iunctis visit oloribus:
Dicetur merita Nox quoque naenia.

CARMEN XXVIII.

Munitaeque adhibe vim sapientiae. Horat. III. Carm. 21. *Tu lene tormentum ingenio admoves Plerumque duro.* Bonav. Vulcan. ad Glossar. Latino-Graecum pag. 22. putat Horatium aptissime explicare vocem ἔμφρουρος, quae sic legatur apud Xenophontem de Rep. Lacedaem. cap. 5. Sed locum Xenophontis non satis expendit.

Nos cantabimus invicem. MS. Graev. *in vices.* Quod probat Burm. ad Petron. cap. 12.

Cnidon. Graecam terminationem MSS. praeferunt. Librarii eam saepe mutarunt: v. Cort. ad Lucan. II. 624.

CARMEN XXIX.

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado,
Cum flore, Maecenas, rosarum, et
Pressa tuis balanus capillis,
Iamdudum apud me est. Eripe te morae:
Ne semper udum Tibur et Aesulae

CARMEN XXIX.

Non ante verso lene merum cado. L. Santenius ad Terent. Maurum pag. 239. rescribendum hic putat *leve merum.* Credo hoc esse discrimen vini *lenis* et *levis*, ut *lene* sit omne vetustum, *leve* seu ἐλαιῶδες etiam esse possit vinum recentissimum. Si igitur vinum vetustum indicamus, semper *lene* praeferendum: hoc quoque ex oppositis apparet. Nam contraria sunt *lene* et *asperum*, *leve* et *tenue.* Quando *asperum* et *leve* opponuntur, *leve* non ad saporem, sed ea, quae manu tangimus, refertur. *Lene* merum idem est quod III. Carm. 21. *languidum* dicitur, ab aliis *marcidum.* v. Burm. ad Claudian. I. Eutrop. 110. et Ruhnken. ad Rutil. Lupum pag. 102. Plurima loca a Santenio collecta in aliis MSS. aliter leguntur: Ciceronis autem V. Tuscul. Quaest. 5. *vina levia*, non sunt λεῖα, sed *tenuia*, quibus aquam addere non opus est: *tamquam levis quaedam vina nihil valent in aqua, sic Stoicorum ista magis gustata quam potata delectant.*

Ne semper udum Tibur. Romani, qui possent, aestate urbem relinquentes, rus ibant. *Discessum hominum ab urbe* vocat Livius IV. 4. Maecenas tamen, aliis omnibus profectis, in urbe manebat. Eum ad se invitat Horatius, et rogat *ne semper contempletur Tibur.* Hoc ita interpretari cogimur: »Ne semper habites in altissima tua turri, unde prospectus in Tibur patet.'' Ne dicam, quam contorta sit istiusmodi interpretatio, verbum *contemplari* vetat, ne ita accipiamus. Nam si Maecenas Roma de turri *prospicere* poterat Tibur, *contemplari* certe non poterat. Contemplamur aliquid praesentes, vel non longius re-

Declive contempleris arvum, et
Telegoni iuga parricidae.
Fastidiosam desere copiam, et
Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatae
Fumum, et opes, strepitumque Romae.

moti, ita ut singulas res visu cognoscere et probe distinguere possimus. Quid multa? Horatius scripsit: *Eripe te morae, Ut semper udum Tibur et Aesulae Declive contempleris arvum, et Telegoni iuga parricidae.* »Eripe te morae, urbem relinque, et contemplare aliquando Tibur, declivia Aesulae arva, et colles Tusculanos, loca amoenissima, vicina villae meae Tiburtinae." Iunge: ut contempleris Tibur *semper udum.* Pomaria Tiburis *uda mobilibus rivis* laudavit Horatius I. Carm. 7. et *aquas quae Tibur fertile praefluunt*, IV. Carm. 3. Adverbium *semper* saepissime cum adiectivis coniungitur. Lucret. I. 125. *Semper florentis Homeri.* Livius, in Praefatione: *Novi semper scriptores.* Idem fit in Graeco ἀεί. Diu post haec ita scripta, vidi emendationem ab aliis esse occupatam. Markland. in Eurip. Supplic. pag. 258. scribit: »capitalis ingenii vir, Nicolaus Hardinge, legit et distinguit *ut semper-udum.* Quo nihil verius puto: ad Tibur enim invitat Maecenatem Horatius."

Declive. MS. Voss. corrupte *declivae.*"

Fastidiosam desere copiam. Scholiastae in superioribus legentes: *nec semper udum Tibur contemplere*, addiderunt hanc interpretationem, quae est Commentatoris Cruquiani: *Turrim in hortis suis construxisse dicebatur Maecenas, unde haec prospiceret.* Et hoc necessarium erat, ut sciremus quomodo Maecenas Romae Tibur videre posset. Non erat necessarium, si Horatius statim addidisset *desere molem propinquam nubibus arduis.* Pro *copia* magis Latinum esset *copiae.* Symmachus VII. Epist. 36. *Successisti in famam Luculli. Quo magis miror ad alia nonnunquam posse transire: nisi forte fastidio fugis copias, et mutatione castigas satietatem.*

Omitte mirari beatae Fumum, et opes, strepitumque Romae. Maecenas, hoc tempore urbi praefectus, erat anxius propter bella imminentia. Tali animo quis mi-

Plerumque gratae divitibus vices
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae, sine aulaeis et ostro,
Sollicitam explicuere frontem.

ratur fumum, opes et strepitum urbis? Et omnino quis miratur, quod in magnis urbibus pessimum est, *fumum et strepitum*? Mirari potest, qui primum videt, v. c. rusticus aliquis, non Maecenas, qui propter consuetudinem iam non sentiebat. Et erat in turre sua satis a molestiis istis remotus. Cur autem ille miraretur opes? Qui omnia haberet, quae cuperet? Sed et vox *opes* hic incertae admodum significationis est, adeo ut interpretes fere nesciant, quam sumturi sint. Neque bene convenit cum *fumo* et *strepitu*. Atque adhuc secutus sum vulgatam *fumi* interpretationem: quo sensu etiam Hieronymus Epist. 5. scripsit: *Quamdiu fumosarum urbium carcer includit.* Quid fiet, si *fumum* non proprie accipiamus? Tum Maecenas miraretur homines *vanos et assentatores*. Martial. IV. epigr. 5. *Vir bonus et pauper, linguaque et pectore verus, Quid tibi vis, urbem qui, Fabiane, petis? Vendere nec vanos circa palatia fumos, potes.* Augustin. De Civ. Dei III. 12. *Nimis enim multos Deos Roma grandi fumo suo ad tuitionem congregaverat.* Neque verbum *omitte* omni vitio caret. Omittimus aliquid, quod non repetimus, nisi addatur *omittimus parumper, aliquamdiu.* Iam Horatius non poterat rogare Maecenatem, ut omitteret Romae vivere, sed ut dies aliquot urbem relinqueret, et ruri frontem explicaret. Quod autem Burman. ad Satyram Sulpiciae vs. 9. pro *omitte* legebat *o mitte*, quia Horatius et alii primam syllabam semper corripiunt, hoc plane inutile est. Nam Horatius in hoc versu saepe utitur iambo pro spondaeo: v. c. Carm. I. 35. *Ad arma cessantes, ad arma.* I. Carm. 37. *Redegit in veros timores.* II. Carm. 3. *Ab insolenti temperatam:* et alibi. Et tamen Burman. minor patrui sui coniecturam laudavit in Anti-Klotrio pag. 108. et in Anthol. Latina T. I. pag. 582.

Plerumque gratae divitibus vices. Comma illud, quod vulgo ponitur post *vices*, delevi, ut melius verborum ordo sentiretur. Gratae vices et coenae *explicuere frontem divitibus.* Citavit haec verba Hildebertus Mor. Philosophiae pag. 985. sed sine varietate.

Iam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem: iam Procyon furit,
  Et stella vesani Leonis,
    Sole dies referente siccos.
Iam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quaerit, et horridi
  Dumeta Silvani: caretque
    Ripa vagis taciturna ventis.
Tu, civitatem quis deceat status,
Curas, et Urbi sollicitus times,
  Quid Seres, et regnata Cyro
    Bactra parent, Tanaisque discors.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus:
  Ridetque, si mortalis ultra
    Fas trepidat. Quod adest, memento
Componere aequus: caetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
  Cum pace delabentis Etruscum
    In mare, nunc lapides adesos,
Stirpesque raptas, et pecus, et domos
Volventis una, non sine montium

Caliginosa nocte premit Deus. Hildeb. Hor. Phil. pag. 990. *Caliginosum nocte coeca.*

Ritu feruntur. MS. Voss. *referuntur.*

Stirpesque raptas. Cledonius pag. 1895. laudavit *raptos.* Servius tamen ad Virgil. XII. Aen. 208. *imo de stirpe recisum*, annotavit *stirpem* masculine dici de arboribus, Horatium autem usurpative etiam feminine adhibuisse. v. Oudendorp. ad Appuleii Metam. VIII. pag. 566.

Et pecus et domos Volventis una. Corrupte apud Serv. ad III.

Clamore vicinaeque silvae,
Quum fera diluvies quietos
Irritat amnes. Ille potens sui,
Laetusque deget, cui licet in diem
Dixisse: Vixi: cras vel atra
Nube polum pater occupato,
Vel sole puro: non tamen irritum
Quodcumque retro est, efficiet: neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna saevo laeta negotio, et
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

Aen. 94. *et specus. Una* intellige stirpes pecus domos et lapides *una volutos*, inter se mixtos. Ita Ovidius in eadem re *simul* posuit, I. Metam. 286. *Cumque satis arbusta simul, pecudesque virosque, Tectaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris.* Quae imago ipsa terrorem incutit: magis, quam si scriberemus *volventis unda*, quod vir doctus suae editioni annotaverat.

Diluvies quietos. Nestor: *inquietos.*

Pater occupato. Hinc emendandus Hildeb. Philos. Moral. pag. 990. ubi legitur: *patet occupatum.*

Non tamen irritum Quodcumque retro est, efficiet: Elegantius, puto, *efficies.* Cras, o pater, sis serenus an nubilus, mea non refert. Quod hodie vixi, hoc mihi non adimes. Ne tempus quidem, quod omnia potest, factum reddet infectum. Idem de tempore Pindarus II. Olymp. 29. *τῶν δὲ πεπραγμένων Ἀποίητον οὐδ' ἂν χρόνος, ὁ πάντων πατὴρ, Λύναιτο θέμεν ἔργων τέλος.* H. l. cum Horatiano comparavit vir doctus in Observ. Miscell. Vol. I. pag. 121. *Hora diffinget*, ut II. Carm. 16. *Et mihi forsan, tibi quod negavit, Porriget hora. Occupato* est *occupa*, ut dicit Comment. Cruq. Cogitabat hunc locum Marbod.

Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quae dedit, et mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quaero.
Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, et votis pacisci,
Ne Cypriae Tyriaeque merces

Carm. pag. 1597. *Quum, quidquid placuit, fugiens avexerit hora.*

Resigno quae dedit. Panegyr. Maxim. et Constant. cap. 12. *Recipe, Iupiter, quod commodasti.*

Si mugiat Africis Malus procellis. Recte alibi: *Malus celeri saucius Africo, antennaeque gemant.* Sed malus *mugit*, nimis tumidum est, quam ut Horatio exciderit. Scripsit, opinor: *si mugiat Africis Litus procellis. Mugire* est Homericum *βοᾶν.* Iliad. Ῥ. 265. ἀμφὶ δέ τ' ἄκραι Ἠιόνες βοόωσιν. Quem locum adeo mirabatur Plato, ut hinc potissimum a faciendis versibus fuerit deterritus. Homerum imitatur Apollon. Rhod. II. Argon. 554. βόων δ' ἁλιμύρεες ἀκταί. Latini poëtae *mugire* et *clamare* dicunt litora et mare. Horat. Epod. X. *Ionius udo cum remugiens sinus noto.* Seneca Hippol. 1026. *totum mare immugit.* v. Oudendorp. ad Appulei VI. Metamorphoseon pag. 406. Statius X. Theb. 94. *Licet omnia clament litora.* v. Gronov. II. Observ. 17.

Ne Cypriae Tyriaeque merces Addant avaro divitias mari. Multo elegantius et magis Latinum est, si scribamus: *ne Cypriae Tyriasque merces.* Non meum est, orare procellas Africas ne Cypriae merces addant divitias mari. Pulchra appositio, qualis illa *decus addite coelo*, et *nos ruinae accessio*, quae illustraverunt Gronov. ad Liv. XLV. 7. et Heins. ad Velleium Paterc. II. 27. Tempestatibus autem vota et preces faciebant. Horat. Epod. X. *Libidinosus immolabitur caper Et agna tempestatibus.* Seneca Quaest. Nat. IV. 7. *Negant posse fieri, ut cum grandine aliquis paciscatur, et tempestates munusculis redimat.* Locum citavit Schol. ad Statii Theb. I. 339.'' *avaris:* indefessis. Avarus enim animus difficile fatigatur. Ut

Addant avaro divitias mari.
Tunc me, biremis praesidio scaphae,
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura feret, geminusque Pollux.

Horatius: *Addunt avaro divitias mari.*"

Aura feret, geminusque Pollux. Si tanta vis ventorum furit, ut magna navis in summo periculo versetur, unde eodem tempore *aura*, quae scapham in portum vel terram ducat? Credo legendum: *Astra ferent geminusque Pollux.* Beneficio Castorum evadam. *Astra et Pollux geminus* pro *Astra gemini Pollucis. Clarum Tyndaridae sidus*, apud Horat. IV. Carm. 8.

CARMEN XXX.

Exegi monumentum aere perennius,
Regalique situ pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum.
Non omnis moriar: multaque pars mei

CARMEN XXX.

Exegi monumentum aere perennius. Hieron. Epist. 86. *Exegi monumentum aere perennius, quod nulla destruere possit vetustas.* Locus communis, a multis tractatus, etiam qui ex Horatio profecerunt. Statius, I. Silv. 1. 91. *Non hoc imbriferas hiemes opus, aut Iovis ignem Tergeminum, Aeolii non agmina carceris horret, Annorumque moras: stabit dum terra poluseque, Dum Romana dies.* v. Burm. ad Propert. III. 1.

Non omnis moriar. Imitatus est Seneca Troad. 378. *An toti*

Vitabit Libitinam. Usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus,
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam

morimur? nullaque pars manet Nostri? Quintil. Declam. X. 2. *Experta non totum mori hominem.*

Crescam laude recens. Auctor epigrammatis in Anthol. III. 14. *Οὔνομα μὴν ἥρωος ἀεὶ νεόν. οὐ γὰρ ἀοιδὰς Ἀμβλίνειν αἰδῶν, κῆν ἐθέλῃ, δύναται.*

Violens. Vocem hanc illustravit Burm. ad Anthol. Tom. I. p. 85. et praecipue Oudendorp. ad Appuleii VI. Metam. pag. 410.

Et qua pauper aquae Daunus agrestium. Versus obscuri, et mali. Fraus Grammaticorum in re nulla facilior erat, quam in Geographica. Itaque videmus poëtas plurimum in hoc genere fuisse inquinatos. Horatius tantum indicare voluit patriam suam. Hanc satis intelligimus ex flumine Aufido. Aliena hic est commemoratio Dauni, et antiquae historiae; nimii sunt tres versus in brevi carmine, ad illud significandum *ubi natus sum.* Et quales versus! Legimus: *qua violens obstrepit Aufidus.* Licet Apulia fuerit siticulosa, tamen male fluvio obstrepenti, quod non fit sine multa aqua, subiungitur *Daunus aquae pauper.* Cogitares te in aliam regionem abduci. Quam bene autem rex agri sicci ipse dicatur *aquae pauper*, alii videant. *Populorum* certe pro *hominum*, non probandum est. Iam illa *ex humili potens* loco et sensu tam ambiguo posita sunt, ut nescias ad Daunum an ad Horatium referas. Origo glossae haec esse potuit. Ad verba *qua violens obstrepit Aufidus* annotare solebant: »*Aufidus flumen in Apulia.*" Hanc glossam in metrum redigebant, ex Geographia addentes, Dauniam esse partem Apuliae, a Dauno, rege antiquo, ita dictam. Caetera sunt ex Horatio, qui *Apuliam* vocavit *siticulosam.* *Ex humili potens* est Horatianum *sanguis pauperum parentum* et *libertino patre natus.*

Sume superbiam Quaesitam meritis, et mihi Delphica. Hem-

Quaesitam meritis, et mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

sterhusius legebat: *Sumo superbiam Quaesitam meritis. Tu mihi Delphica.* Laudavit coniecturam Valcken. ad Fragm. Elegiaca Callimachi pag. 4. Sed obstat, quod boni scriptores, aetate quoque Augusta, ultimam syllabam verborum in *o* non corripiebant. De qua re vere et diligenter disseruit Lennepius ad Ovidii Heroid. XV. 32. Martialis quidem III. Epigr. 60. *Sunt tibi boleti. Fungos ego sume suillos.* Praeterea magis poëticum est *sume.* Horatius Musam Lyricam e Graecia in Italiam deduxerat. Erat haec sua Musa. Sume, inquit, superbiam quaesitam meritis tui vatis, et mihi cinge comam lauru.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER QUARTUS.

CARMEN I.

Intermissa, Venus, diu,
Rursus bella moves. Parce, precor, precor!
Non sum qualis eram bonae
Sub regno Cinarae. Desine, dulcium

CARMEN I.

Intermissa. Bella intermissa. Statius III. Silv. 1. *Intermissa tibi renovat, Tirynthie, sacra, Pollius.*

Bonae sub regno Cinarae. Broukhus. *bonam* interpretatur *non rapacem*, ut in Tibullo II. 2. 4. adde Burm. ad Valer. Flacci VI. 12. Ruhnkenius ad Terent. pag. 239. de *formae pulchritudine* accipit. Ego animadverti, sicuti mortuos appellamus *μακαρίτας* et *felices*, de qua re Ruhnkenius ad Timaeum exposuit, ita eosdem saepe appellari *bonos.* Lucret. III. 1838. *Lumina suis oculis etiam bonus Ancu' reliquit.* Petron. Satyr. 42. *Nec sane lavare potui. Fui enim hodie in funus. Homo bellus, tam bonus Chrysanthus animam ebulliit.* Ubi mallem: *Homo tam bellus, bonus Chrysanthus.* Ita Sponius in libro Franco de Antiquis Inscriptionibus caet. pag. 235. epitaphios titulos vidit, in quibus legitur *ΧΡΗΣΤΟΣ* et *ΧΡΗΣΤΗ.* Apud Arcades et Lacedae-

Mater saeva Cupidinum,
Circa lustra decem flectere mollibus
Iam durum imperiis. Abi,
Quo blandae iuvenum te revocant preces.

monios ποιεῖν χρηστοὺς significabat idem atque ἀποκτιννύναι, quod ex Aristotele docuit Plutarchus Quaest. Rom. 52. et Graeca 5. Eadem puto ratione, qua sub scelestis Romanorum Imperatoribus interdum usurpabatur *divum aliquem facere*, et temporibus aevi medii *sanctum facere* et *canonizare*. Wyttenbachius ad Plutarchum, notionem repetit a χράω, χραίω, χρίω, in quibus est vis *pungendi*, *stringendi*. Illud autem nomen *boni*, quo mortuos appellabant, videtur esse profectum ex insita quadam bonitate et sensu misericordiae: unde et tritum illud: *de mortuis nil nisi bene*. Horatius autem mortuam Cinaram eo libentius vocat *bonam*, qui eam amasset, et in flore aetatis forma eximiam, amisisset. IV. Carm. 13. *Cinarae breves annos fata dederunt. Regnum* est Graecae formulae. Anacreon Carm. 9. vocat Bathyllum ἁπάντων κρατοῦντα καὶ τύραννον: ut forte Cratinus Aspasiam τύραννον. v. Scholiast. Platonis Menexen. T. I. pag. 323.

Flectere mollibus Iam durum imperiis. Tempore Burmanni erant, qui non intelligerent, cur imperia dicerentur *mollia*. Ideo explicavit ad Valer. Flacci VII. 127. De *imperiis* pro *imperio* idem ad III. 620. *Hunc Iovis imperiis fatoque teneri.*

Quo blandae iuvenum te revocant preces. Revocant mihi non placet. Neque verum est, quod dicunt interpretes, compositum pro simplici. Malim: *Quo blandae iuvenum rite vocant preces. Te* insertum est a Grammaticis, adeo ut in quibusdam MSS. fortasse legeretur, *te rite vocant*, unde ortum *revocant*. Pronomen in hoc verbo eleganter omittitur. Virgil. II. Aen. 338. *Quo fremitus vocat, et sublatus ad aethera clamor.* XII. 677. *Quo Deus, et quo dura vocat Fortuna, sequamur.* Livius XXVI. 44. *Quo clamor, quo subita res vocasset.* v. Oudendorp. ad Lucan. I. 146. et Heins. ad Claudian. III. Cons. Honorii 318. Praeterea usitata est formula Deum precibus *vocare*, non *revocare*. Virgil. VII. Aen. 133. *precibusque vocate Anchisen genitorem.* Aen. 275. *Communemque vocate Deum.* Auctor Carminis de Dedicatione Aeneidos: *Non ego thure modo aut pacta tua tem-*

Tempestivius in domum
  Paulli, purpureis ales oloribus,
Comissabere Maximi,
  Si torrere iecur quaeris idoneum.
Namque et nobilis, et decens,
  Et pro sollicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium,
  Late signa feret militiae tuae:

pla tabella Ornabo, et puris serta feram manibus. Adsis, o Cytherea: tuus te Caesar Olympo Et Surrentini litoris ora vocat. Et sic *Deum thure vocare* apud Claudian. Prob. et Olybrii Consul. 195. Gratius Cyneg. 440. *liceatque attingere fontes, Sancte, tuos. Ter quisque vocant, ter pinguia libant Thura.*

In domum. Sic e MSS. cum Bentleio edidi. *Comissari in domo*, vix Latine dicitur: minus etiam, quia Venus ales oloribus defertur ad Maximum. In MS. Franek. legitur quidem *domo*, sed ab altera manu correctum. Nonnulla huc pertinentia dixi in Vol. I. Bibliothecae Crit. Novae.

Centum puer artium. Cicero pro Roscio Amer. cap. 41. *Ut inter suos omnium delitiarum atque omnium artium puerulos, tot elegantissimis familiis lectos, velit hos versari.*

Late signa feret militiae tuae. Multas victorias dux belli reportabit, et fines imperii tui proferet. *Late ferre* ut *late vincere.* v. Cort. ad Lucan. II. 432. et Sallust. Iugurth. cap. 5. Florus in Praefatione: *Populus Romanus late per orbem terrarum arma circumtulit.* III. 5. *Pompeius per nemora illa adorata, per thuris et balsami silvas, Romana circumtulit signa.* Sed iure mihi quaerere videor, an ista imago regni Veneris propagandi, huic loco conveniat. Horatius dixerat: Ego bellum et militiam recuso. Non idoneus sum, neque res mihi grata est, propter aetatem. Tum sibi opposuit Maximum: »Ecce, Maximus. Hic late feret signa militiae tuae." Melius arbitror: *Laetus signa feret militiae tuae.* Comment. Cruq. »*valide amabit et libens.*" Ultima litera in *laetus* facile omitti potuit ob similem literam in voce sequenti. Comparandus autem est Statius I. Silv. 2. ubi Cupido de Stella: *noster comes ille pius-*

Et quandoque potentior
  Largis muneribus riserit aemuli,
Albanos prope te lacus
  Ponet marmoream sub trabe Cypria.
Illic plurima naribus
  Duces thura, lyraeque et Berecyntiae
Delectabere tibiae
  Mixtis carminibus, non sine fistula.
Illic bis pueri die
  Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
  In morem Salium ter quatient humum.
Me nec femina, nec puer
  Iam, nec spes animi credula mutui,
Nec certare iuvat mero,
  Nec vincire novis tempora floribus.
Sed cur, heu! Ligurine, cur
  Manat rara meas lacryma per genas?

que Signifer, armiferos poterat memorare labores. III. Silv. 3. *mandataque fidus Signa tulit.* IX. Theb. 608. *Virgo potens nemorum, cuius non mollia signa Militiamque trucem frequento.*

Largis muneribus riserit aemuli. Gogav. Praeterm. pag. 32. »Lego, ait, *res erit:* hoc sensu. Et quando ei potentior erit res de amore suo, quam aemulo, eum nunc vincente donis. Sic Terent. in Heaut. *Si mihi secundae res de meo amore essent.* Et Satyr. I. lib. 2. ut ego legebam: *Neque si male res erat.*"

Plurima naribus Duces thura. Ordinem esse puto: *tu plurima*, id est tu *multum*, *saepe*, duces thura. Illa significatio vocis *multus* satis illustrata est a Gronovio ad Liv. XXV. 18. et interpretibus ad Flori IV. 2. 50. Ennius apud Ciceronem de Virgine Vestali: *Quamquam multis manus ad coeli coerula templa Tendebam lacrymans.* Ad quam

Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua silentio?
Nocturnis ego somniis
Iam captum teneo, iam volucrem sequor
Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubiles.

rationem Ruhnk. in Epist. Crit. II. pag. 142. putat Callimachum potuisse scribere: πολλῇ δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας, pro vulgato πολλάς. Conferatur etiam Minut. Felix Octav. pag. 347. *Auram boni floris naribus ducere solemus.*

Illic bis pueri die. In MS. Mentel. *in die.* Forte fuit *in diem*, hoc est, *quotidie.* v. Bentlei. ad III. Carm. 29.

CARMEN II.

Pindarum quisquis studet aemulari,

CARMEN II.

Pindarum quisquis studet aemulari. Non recte hinc nonnulli effecerunt Horatium a Pindaro imitando abstinuisse. Refelluntur iam non paucis imitationis exemplis, quae novimus; et magis, credo, refellerentur, si integra haberemus Pindari carmina. Neque cogitarunt discrimen inter *aemulationem* et *imitationem.* Hoc quidem est notissimum, lubet mihi tamen exemplum Plinii afferre ex VII. Epist. 30. *Libellos meos de ultione Helvidii orationi Demosthenis κατὰ Μειδίου confers: quam sane, cum componerem illos, habui in manibus, non ut aemularer, improbum enim ac pene furiosum, sed tamen imitarer ac sequerer.* Quintil. autem X. 1. h. l. respiciens, scripsit: *propter quae Horatius Pindarum merito credidit nemini imitabilem.* Nempe *inaemulabilem* cogitavit, sed voce, usu non recepta, ab-

Iule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusque ruit profundo
Pindarus ore:
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis:

stinuit. Macrob. Saturnal. V. 17. *Pindarus, quem Flaccus imitationi inaccessum fatetur.* Ubi potius legendum videtur *aemulationi.* Quam *aemulationem* etiam Virgilio infelicem cessisse iudicabat Favorinus apud A. Gellium Noct. Attic. XVII. 10.

Iule, ceratis ope Daedalea. Iulus ille, qui vs. 26. Antonius appellatur, ex sententia interpretum fuit Iulus Antonius, filius Antonii triumviri. Sed hic nominabatur *Iulius* Antonius, non *Iulus.* v. Oudendorp. ad Sueton. Claud. 2. ubi viri docti non recte ex Horatio restituere voluerunt *Iulus*, quod idem alii in Velleio Paterc. II. 100. fecerunt. Oudendorpius dicit fortasse Horatium poëtice scripsisse *Iulum.* Sed poëtae proprium nomen hominis viventis non mutabant, nisi interdum fieret ioci causa. Iulus, hoc omnes Romani sciebant, erat Ascanius. Ab Iulo demissum est nomen *Iulius*, unde gens Iulia, ex gente Iulia, Iulius Antonius: quem adeo alloqui *Iulum* Horatius non potuit. Videamus reliquias Scholiastarum: Acro: *Haec ode ad Antonium Iulium, M. Antonii triumviri filium scribitur.* Porphyrio: *Haec ode ad Antonium Iulum* sq. Commentator nihil. Neque Antonium Iulum neque Iulium nominat, sed tantum carminis argumentum proponit. Quare suspicor eum in suo exemplo illud *Iule* non habuisse, et Scholia, quae hic tribuuntur Acroni et Porphyrioni, esse recentiora. Nam iidem in sequentibus ad vs. 26. *Antonii* nomen ita explicant, quasi nulla eius mentio praecessisset. Acce-

Seu Deos, regesve canit, Deorum
Sanguinem, per quos cecidere iusta
Morte Centauri, cecidit tremendae
Flamma Chimaerae:
Sive, quos Elea domum reducit
Palma coelestes, pugilemve equumve
Dicit, et centum potiore signis
Munere donat:
Flebili sponsae iuvenemve raptum
Plorat, et vires, animumque, moresque
Aureos educit in astra, nigroque
Invidet Orco.

dit, quod de doctrina et scriptis Antonii ea tradunt, quae Antonio, triumviri filio, non convenire videntur. Qui si his laudibus innotuisset, memorassent sine dubio Velleius Paterculus II. 100. Dio Cassius LV. 10. et Tacitus I. Annal. 10. qui in simili re facundiam Sempronii Gracchi non silet. Solus Suetonius in Grammat. c. 18. narrat hunc Iulium Antonium fuisse discipulum L. Crassitii, sed eo consilio narrat, ut probet Grammaticum habuisse discipulos nobili genere, non, Antonium doctrina aut ingenio excelluisse. Neque est consuetudinis Horatianae in carminibus eundem hominem bis diverso nomine alloqui. Quid igitur? Scribendum aio, levissima mutatione: *Pindarum quisquis studet aemulari, Ille ceratis ope Daedalea.* Hanc lectionem in suo exemplo habuisse videtur Comment. Cruq. qui argumentum carminis hoc modo exponit: *Continet haec ode laudes Pindari poëtae, Lyrici celeberrimi, quem si quis imitari velit, is ita suae aestimationis et famae periculum, ut Icarus sui conatus, incurrat.* Quis vero sit ille Antonius, versu 26 memoratus, ibi videbimus.

Plorat, et vires, animumque, moresque. *Mores* in iuvene sponsae erepto laudare, sapit aetatem recentiorem, quam Pindari. Melius rei propositae convenit: *vires, animumque, amoresque.* In coelum tollit iuvenis robur, fortitudinem, et multa sancti fidique amoris erga sponsam do-

Multa Dircaeum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: ego, apis Matinae
More modoque,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.
Concines maiore poëta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces

cumenta. *Amores* de honesto et vehementi amore, illustravit Burm. ad Virgil. V. Aen. 334. Martial. X. 35. *Sed castos docet et pios amores.*

Tendit, Antoni. Discimus ex Scholiastis hunc Antonium scripsisse carmen heroicum de Diomede, libris duodecim, et nonnulla alia, oratione soluta, et voluisse aemulari Pindarum. Puto fuisse diversum a Iulio Antonio, triumviri filio, et appellatum *Antonium Rufum*, de quo Comment. ad Art. Poët. vs. 288. pag. 632: *Praetextatas et Togatas scripserunt Elius Lamia, Antonius Rufus.* Ovid. IV. Pont. 16. vs. 23. *Pindaricae fidicen tu quoque Rufe lyrae.* Heins. ad vs. 30. coniicit Rufum Ovidii et Commentatoris esse eosdem. Appuleius in Orthographia pag. 4. *Cornelius Rufus in lyricis ita subscribit... Idem Rufus in Pindarica aemulatione...* Locus Appuleii, a Maio ex Palimpsestis editus, corruptus et mancus est, et Osannus merito de nomine Cornelii dubitat. Fortasse pro *Cornelius* scribendum est *Antonius.* Nam ex Horatio, sicuti volebat Osannus, non confici potest, triumviri filium nominari *Iulium Antonium Rufum.* Hoc constat, fuisse Horatio aequalem Antonium. Ad eum scripsit Horatius carmen de periculo aemulandi Pindari. Ovidius vocat Rufum fidicinem lyrae Pindaricae. Antonius Rufus poëta praetextatarum memoratur a Commentatore. Non igitur a vero abhorret *Antonium* Horatii, fuisse *Antonium Rufum.*

Concines maiore poëta plectro. Adhuc omnia sunt pulchra et Latina, et nativum illum Romanae poësios colorem referentia. In versibus, qui sequuntur, ple-

Per sacrum clivum, merita decorus
Fronde, Sygambros:
Quo nihil maius meliusve terris
Fata donavere, bonique Divi;
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines laetosque dies, et Urbis
Publicum ludum, super impetrato

raque contra: neque ipsi cum priore carminis parte genuina cohaerent. Horatius dixerat: »Quicunque Pindarum aemulari studet, rem suscipit periculosam. Tanti spiritus ille est poëta. Ego cygnum supra nubes volantem non sequar, sed instar apis circa nemus et ripas Tiburis vagabor." Hic explicit carmen de laudibus Pindari. Altera pars est tota de laudibus Augusti, ad quas canendas, uno tantum versu dicit, Antonium esse aptiorem.

Quo nihil maius meliusve terris Fata donavere, bonique Divi. Imitatio Horatiana II. Epist. 1. 17. de Augusto, *Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes:* et ex Carm. IV. 5. *Divis orte bonis.*

Nec dabunt, quamvis redeant in aurum Saecula priscum. Quamvis aurea saecula redeant, homo maior aut melior Augusto non redibit. In his *melior* non pertinet ad laudes bellicas, neque ad triumphum. Neque *maior* ad aureum saeculum, quo erat aeterna pax. Et Horatius dixisset fata *donavere*, *nec donabunt*, vel *dedere*, *nec dabunt*. Ita solent castigati scriptores. Horat. II. Carm. 13. *vis rapuit, rapietque gentes.* Virgil. VI. Aen. 616. *sedet, aeternumque sedebit.* Columella I. Praefat. *Terra, quae et cuncta peperit semper, et deinceps paritura sit.* Plin. II. Ep. 1. *Vivit enim, vivetque semper.* Et sic apud Livium XXV. 38. *Vivunt viventque fama rerum gestarum.* Ita quidem cum Lipsio legendum putamus pro *vigentque*. Conferatur et Trotzius in Memoria Propagata cap. 1. p. 5. Vellei. Paterc. II. 66. *Vivit vivetque per omnem saeculorum memoriam.* v. Ruhnkenius. Neque aliter Graeci. Posidippus apud Athen. XIII. 69. *Σαπφῶι δὲ μένουσι φίλης ἔτι, καὶ μενέουσι, Ἰλδῆς αἱ λευκαὶ φθεγγόμεναι σελίδες.*

Concines laetosque dies. Ex-

Fortis Augusti reditu, Forumque
Litibus orbum.
Tum meae, si quid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars: et, o Sol
Pulcher, o laudande, canam, recepto
Caesare felix.
Tuque dum procedis, Io triumphe!
Non semel dicemus, Io triumphe!
Civitas omnis, dabimusque Divis
Thura benignis.
Te decem tauri, totidemque vaccae,
Me tener solvet vitulus, relicta
Matre, qui largis iuvenescit herbis
In mea vota:

plicatio Grammatica rerum, quae tali festo die plerumque fiebant. Oratio pedestris. Praecipue *publicus urbis ludus*, et hoc pro *ludi*, et *super impetrato reditu*.

Si quid loquar audiendum. Haec et sequentia interpretes explicare non potuerunt. Si quid loquar *audiendum*, est quod operae pretium sit audire. At supra dixit se non canere tam sublimia. *Bona pars vocis* videtur suadere ut exponamus: si *satis clamare possim*, ut audiantur verba mea.

Tuque dum procedis, Io triumphe! Densae tenebrae. Et hic turbatum est in MSS. Fortasse Grammaticus dedit: *Tuque, dum procedit, Io triumphe! et Non semel dicemus Io triumphe! Civitas omnis.* Tu, dum Augustus procedit, dices Io triumphe! tu, qui eum in gravissimo carmine laudaveris. Ego et omnes Romani addemus nostram acclamationem. *Omnis civitas dicemus* ut auctor Epod. 16. *Eamus omnis exsecrata civitas.* Lucan. VII. 641. *Vincimur his gladiis omnis, quae serviet, aetas.* Statius Silv. I. 6. *Una vescimur omnis ordo mensa.* v. Heins. ad Ovid. IX. Metam. 426.

Te decem tauri. Haec singula ex diversis Horatii locis conflata

Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium Lunae referentis ortum,
Qua notam duxit, niveus videri;
Caetera fulvus.

sunt. Neque causa apparet, cur Antonius tot victimas, Horatius vitulum mactaturus sit.

Fronte curvatos imitatus ignes. Humilis exitus celebrati carminis *Pindarum quisquis.* Quam putida diligentia in describenda vituli immolandi forma!

CARMEN III.

Quem tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem, non equus impiger

CARMEN III.

Quem tu, Melpomene, semel. Illud *semel* hic molestum est et otiosum. *Semel videris* indicat tempus incertum, et *nascentem* certum. Horatius, ni fallor, scripsit: *Quem tu, Melpomene, simul Nascentem placido lumine videris. Simul nascentem*, εὐθὺς, ἅμα γενόμενον, statim quum quis natus est. Plerique scriptores, de sorte hominibus destinata loquentes, non simpliciter *nascentibus* destinatam dicunt, sed aliquid addunt, quo significatur, hoc eodem momento fieri. Homer. Odyss. H. 197. *Πείσεται, ὅσσά οἱ αἶσα, Κατακλῶθές τε βαρεῖαι Γεινομένῳ νήσαντι λίνῳ, ὅτέ μιν τέκε μήτηρ.* Menander apud Ammian. Marcell. XXI. pag. 214. *Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται Εὐθὺς γενομένῳ.* Callim. H. Dianae, 22. *ἦσί με μοι-*

Curru ducet Achaico
  Victorem, neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
  Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio:
  Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt,
Et spissae nemorum comae,
  Fingent Aeolio carmine nobilem.
Romae, principis urbium,
  Dignatur suboles inter amabiles

ρα Γεινομένην τὸ πρῶτον ἐπεκλήρωσαν ἀρήγειν. Lavacr. Pall. 104. ἐπεὶ μοιρᾶν ὧδ' ἐπένευσε λίνα, Ἄνικα τὸ πρῶτόν νιν ἐγείναο. Propert. II. 2. 33. *Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus Aureus argutum sternuit omen Amor.* Manilius II. 126. *Et primas quas dant leges nascentibus astra.* II. 832. *Qualiaque excipiant nascentes tempora prima.* Statius Silv. II. 7. *Natum protenus — Blando Calliope sinu recepit.* V. 3. *Protenus exorto dextrum risere sorores Aonides.* Epigramma in Anthologia Latina Burm. T. II. pag. 173. *Sic etenim duxere olim primordia Parcae, Et nevere super vobis fatalia fila, Cum primum Lucina daret lucemque animumque. Simul* fuisse in exemplis antiquioribus, conficio ex annotatione Comment. Cruq.: *Semel, mox.* Nam *mox* est *simul*, non *semel.* Horatium autem sua ex Graecis fontibus duxisse, dicentem *quem placido lumine videris*, iam animadverterat Muretus Var. Lect. IV. 20. ubi vetus poëta, quo respicit Eustathius, est Theocritus Eid. IX. 36. Huc etiam refer Mamertin. Genethl. Maxim. 19. *Nascentes vos, ad opes generis humani, bona sidera et amica viderunt.*

Res bellica. Comment. Cruq. *res publica.*

Romae, principis urbium. Quatuor versus non vidit Scholiasta, ex quo Comm. Cruq. hoc argumentum totius carminis fecit: *Affirmat studio poëtices deditum, nulli posse alii rei laudabiliter vacare. Inde subiungit laudem Melpomenes Musae, cum gratiarum actione.* Roma appellata *princeps urbium*, tenuis laus est, quum Roma esset caput *orbis domiti.* Tum *suboles Romae,*

Vatum ponere me choros:
Et iam dente minus mordeor invido.
O, testudinis aureae
Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas:
O mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum!
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae:
Quod spiro, et placeo, si placeo, tuum est.

obscurum. Alii *genus Augusti*, *Neronum*, alii *universos Romanos* interpretantur. Neutrum Latine satis dictum est. *Minus mordeor invido dente*, non convenit cum sequentibus, *me digito monstrant*, et *spiro et placeo*. Mox pro *mordeor* in uno MS. vidi *modulor*, in altero *medeor*.

Quae Tibur aquae. Inveni in quibusdam MSS. *qua*. *Praefluunt* non mutandum in *perfluunt*. Vide, ne de aliis dicam, annotationem Rittershusii ad Guntheri Ligur. V. 281.

Et spissae. In iisdem MSS. *qua spissae.*

Totum muneris hoc tui est. Leniùs sonaret: *Totum hoc muneris est tui.*

CARMEN IV.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Iupiter in Ganymede flavo,
Olim iuventas, et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium
Vernique, iam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus

CARMEN IV.

Cui rex Deorum regnum in aves vagas. Primam versuum interpolatorum suspicionem mihi excitavit comparationis longitudo. Enarratio autem fabulae tam convenit ingenio Grammatici, quam aliena est a re proposita. Frigida parenthesis ne in oratione quidem pedestri tolerari posset. Neque illa satis recte procedunt: »Sicuti iuvenis aquila, cui Iupiter regnum in aves dedit, quia fidelem expertus est in Ganymede." Nam hic neque intelligi potest eadem aquila, sed genus aquilarum: et quae Ganymedem rapuit, non primos nisus tentabat, sed iam erat robusta. Quod sequitur de eadem aquila, mox impetus in dracones meditante, hoc difficultatem non plane tollit. Cum Horatio comparandus est Quintil. II. 7. *Simile quiddam facientes aves cernimus, quae teneris infirmisque foetibus cibos ore suo collatos partiuntur: at cum visi sunt adulti, paullum egredi nidis et circumvolare sedem illam praecedentes ipsae docent: tum expertas vires libere coelo, suaque ipsorum fiducia permittunt.* Et Guntherus Ligur. I. 677. *Regia sic volucris, primas ubi crescere plumas Artubus, et teneros durescere senserit ungues, Naturae sectatur iter: iam iamque parentum Officio contemnit ali, nidoque relicto Egreditur, parvoque pudet latuisse cubili: Mox confisa sibi, secuto tuta volatu, Aut leporem venatur agris, aut aethere cygnum Corripit, et proprios in acuta rupe penates Aedificat, similesque sibi parat edere foetus.*

Nido laborum propulit inscium. Labores aquilae Horatius, credo, non dixisset. Factus videtur hic versus ex sequenti, docuere *nisus insolitos.*

Venti paventem: mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus:
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnae:
Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta, fulvae matris ab ubere
Iam lacte depulsum leonem,
Dente novo peritura, vidit:

Intenta, fulvae matris ab ubere Iam lacte depulsum leonem. Leo *depulsus lacte* et *ab ubere matris* nihil omnino differt. v. Bentlei. et Ruhnken. ad Sueton. pag. 238. et Markland. ad Statii Silv. IV. 5. 35. Interpretes hanc tautologiam, Horatio indignam, variis coniecturis tollere conati sunt. Bentleius: *iam mane depulsum*, vel *iam sponte depulsum*. Alii, *iam iamque*, *ab uberum iam lacte*, *paullo ante*, *iam ante*, et quid non? Ego mihi locum expedivisse videor, mutata distinctione: *Qualemve laetis caprea pascuis Intenta fulvae matris ab ubere, Iam lacte depulsum leonem, Dente novo peritura, vidit.* Caprea, exsultim ludens, et errans per laeta pascua, ab ubere fulvae matris, procul a matre, matre relicta. Suavis imago capreae imprudentis, et ad misericordiam movendam apta: suavior imago matris in caprea, quam in leone: et poëtis solitum, *matrem* in tali re addere. Anacreon Fragm. XXI. de hinnuleo, qui ἐν ὕλῃ κεροέσσης Ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς Ἐπτοήθη. Horat. I. Carm. 23. *Vitas hinnuleo me similis, Chloë, Quaerenti pavidam montibus aviis Matrem.* Virgil. VII. Aen. 484. *quem* (cervum) *matris ab ubere raptum Nutribant.* Idem IX. Aen. 565. *Quaesitum aut matri multis balatibus agnum.* Iuvenal. Sat. XII. 7. *Quippe ferox vitulus, templis maturus et arae, Spargendusque mero, quem iam pudet ubera matris Ducere.* Ennodius Carm. pag. 581. *Cum matris ab ubere raptis, Blandior a tenero succus subducitur haustu.* Suidas T. III. pag. 445. servavit locum Iamblichi: ἤδη καὶ θήσουσι λύκοι ἄρνας ἐκ τῶν στομάτων, καὶ λέοντες ἀπὸ τῶν ὀδόντων ἀπολύσουσι νεβροὺς ταῖς μητράσιν, ὁπότε καὶ τελώνης ἀφῆκεν ἄγραν τοιαύτην. Cerva autem bene dicitur *fulva*. Sed quum illud epitheton quasi

Videre Rhaetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici: *quibus*
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quaerere distuli,
Nec scire fas est omnia; sed diu
Lateque victrices catervae
Consiliis iuvenis revictae

proprium esset leonibus, propterea interpretes magis in ea opinione confirmati sunt, ut *matrem fulvam* tribuerent leoni. Virgil. III. Georg. 383. *pecudum fulvis velantur corpora setis.* Ovid. II. Artis 373. *fulvus aper.* Ubi male Burm. *torvus.* v. Heins. ad III. Metam. 273. Neque frustra in linguam Francam hoc usu venit, ut cervos et damas appellaverint *bêtes fauves.* Denique *caprea intenta pascuis ab ubere matris*, est procul ab ubere, separata ab ubere. In praepositione *ab* saepe eadem vis cernitur, quae in Graeca ἄπο pro ἀπωθεν, de qua Valcken. ad Theocr. Adoniaz. p. 283. et Bastius ad Gregor. de Dialectis p. 210. Plautus Poenul. III. 3. 77. *Hospitium te aiunt quaeritare a muscis.* Valer. Flaccus VI. Argon. 204. *equis, pater armento quos dives ab omni Nutrierat.* Appulei. Apolog. T. II. pag. 517. *Scitis quod domi conditum celestis, et absque omnibus profanis tacite veneremini.* Iul. Capitolinus in Vita Antonini Philos. cap. 7. *Nec praeter duas noctes ab eo mansit.* Hinc explicandus Dictys Cretensis B. Troi. II. 42. *At Graii infrequentes incuriosique, ab armis, turbati, simul a fugientibus, quos primus hostis incesserat, quominus arma caperent impediti.* Non recte alii *ab armis turbati* interpretantur *ab armatis militibus.*

Quibus mos unde deductus. Hi versus quin a Grammatico aliquo sint compositi, nemo nunc dubitabit. Iam Lambinus non probabat, Faber ab Horatio factos nolebat, Guietus deinde et alii eiicere ausi sunt. v. Excursum Iani.

Sed diu. Deletis versibus spuriis, legendum est *et diu.* Quod etiam volebat Ianus.

Consiliis iuvenis revictae. Burmannus quidem bis ad Valer. Flacci Argon. II. 658. et III. 596. *revictae* explicat *saepe victae.* Temere, et nulla scriptorum au-

Sensere, quid mens rite quid indoles,
Nutrita faustis sub penetralibus,
Posset: quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus et bonis:
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Utcumque defecere mores,
Indecorant bene nata culpae.
Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen, et Hasdrubal

etoritate. Alii etiam vim et elegantiam deprehendere sibi videntur in coniunctis oppositis *victrices revictae*. Sed cogitent illi, an hoc ita sit. *Vincitur victor*, notum est, non *revincitur*. Propertius III. 9. 16. *Vicit victorem candida forma virum*. Manil. III. 15. *Victam, quae vicerat, urbem*. V. 571. *Victorque Medusa Victus in Andromeda est*. Hinc explicanda sunt, non corrigenda, quae idem Manilius scripsit, IV. 30. *Captus et a captis orbis foret? igne sepulto Vulneribus, victor repetisset Mucius urbem?* Captos dicit Romanos a Porsena, cui urbs fuit dedita. Mucius, manu in igne combusta, flammam sepelivit, exstinxit, sanie et sanguine ex vulneribus in ignem manante. Ovidius XX. Heroid. 70. *Utraque victorem victa sequuta suum*. v. Heinsium. Scribendum est cum Bentleio e MSS. *repressae*.

Indecorant bene nata culpae. Hoc de Graeco Euripidis sumtum est, cuius versum servavit Plutarchus de Nobilit. cap. 16. τὸ γὰρ καλῶς Πεφυκὸς οὐδεὶς ἂν μιάνειεν λόγος. Schol. Iuvenal. ad Sat. XIV. 1. verba citavit. Sed corrupta sunt: *utcumque dedecere mores Dedecorant bene nata culpae*.

Testis Metaurum flumen. Latine dici videtur *Metaurus* et

Devictus, et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer et Italas,

Metaurum, etiam non addito *flumen*. Pomponius Mela II. 4. *In Brutio sunt Columna regia, Rhegium, Scylla, Taurianum, Metaurum.* v. Arntzenius ad Aurel. Victor. Vir. Illustr. 48.

Ille dies Latio tenebris. Quis fuerit dies, quid eo gestum, intelligitur ex Metauro et Hasdrubale. *Ille dies* pulchre ac Latine pro *nobile illud proelium et victoria. Dies* enim et *nox* sumuntur pro rebus gravissimi momenti die vel nocte gestis. Cicero ad Atticum X. 8. *Non fuisset et illa nox tam acerba Africano, non tam dirus ille dies Sullanus C. Mario.* Caesar B. Gall. V. 43. *Hic dies nostris longe gravissimus fuit.* Vellei. Paterc. II. 86. *Quid ille dies* (Actiacus) *terrarum orbi praestiterit.* v. Interpr. ad Flori II. 6. Valer. Flacci II. 573. et Taciti Agricolam 34.

Qui primus alma risit adorea. Glossa poëtica Grammatici, *illum diem* explicantis. Et observa, plurimas glossas a voce *qui* incipere, cuius rei in Horatio multa vidimus exempla, et in hoc ipso carmine vs. 18. Neque mihi placet *alma adorea*, neque glossa vera est. Dicit enim auctor, victoriam apud Metaurum fuisse *primam*, quam Romani reportaverint, ex quo Hannibal in Italiam venit. Atqui constat ex historia, iam a. U. c. 538. et duobus sequentibus Poenos a M. Claudio Marcello praetore apud Nolam fuisse profligatos. Clades apud Metaurum accidit a. U. c. 546. Marcellus prima victoria Nolana docuit Hannibalem vinci posse, eaque res Romanis, de re summa fere iam desperantibus, animum reddidit. Itaque historici dies Nolanos multis laudibus celebraverunt. Liv. XXIII. 16. *Ingens eo die res, ac nescio an maxima illo bello gesta sit. Non vinci enim ab Hannibale vincentibus difficilius fuit, quam postea vincere.* Sic Plutarchus in Vita Marcelli et alii iudicant. Sic Valer. Maxim. I. 6. *Marcellus captarum Syracusarum et Hannibalis ante Nolam a se primum fugere coacti gloria inflammatus.* Atque ista victoria Nolana tam crebro et grato omnium sermone usurpabatur, ut propemodum res in proverbium abierit. Cicero in Bruto cap. 3. *Ut post Cannensem illam calamitatem primum*

Ceu flamma per taedas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.
Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et impio

Marcelli ad Nolam proelio populus se Romanus erexit, posteaque prosperae res deinceps multae consecutae sunt; sic, post rerum nostrarum et communium gravissimos casus, nihil ante epistolam Bruti mihi accidit, quod vellem, aut quod aliqua ex parte sollicitudines allevaret meas. Fortasse hunc locum Ciceronis in animo habebat Hieronymus in Epist. 7. *Sic gavisus sum, ut illum diem Romanae felicitatis, quo primum Marcelli apud Nolam proelio, post Cannensem pugnam, Hannibalis agmina conciderunt, ego vicerim.* Pro *alma* in uno MS. inveni *arma*.

Ceu flamma per taedas. Hannibal *equitavit* per urbes, ut Horatius: *Neu sinas Medos equitare inultos;* et: *Eques sonante verberabit ungula.* Sed Hannibal equitavit per urbes, ut flamma *equitat* per taedas, est ἀνυπολογία, Horatio non tribuenda. Rectius dicitur *ventus equitare*, qui aliquando in curru fingitur. Quanto modestior comparatio est Apollonii Rhod. I. Argon. 1026. Σὺν δ' ἔλασαν μελίας τε καὶ ἀσπίδας ἀλλήλοισιν, Ὀξείῃ ἴκελοι ῥοπῇ πυρὸς, ἥ τ' ἐνὶ θάμνοις Αὐαλέοισι πεσοῦσα κορύσσεται.

Post hoc secundis usque laboribus. Horatii sententia est: Victoria apud Metaurum animos Hannibali fregit, et tandem dixit: »Victi a nobis toties Romani nos vicere. Actum de nobis est Hasdrubale interemto.'' Quae post cladem Hasdrubalis accidere, non huc pertinent, et ab oratione Hannibalis aliena sunt. Agitur de laude Claudii Neronis, non aliorum imperatorum, qui post Neronem praeclare de patria meriti sunt. Ne dicam quam humile sit hoc loco *post hoc.*

Romana pubes crevit. Scholiastae interpretantur *Roma crevit.* Et bene diceretur *Roma crescere.* Sed *pubes Romana* Latine significare non potest *Romam.* Est enim *exercitus Romanus*, ex adolescentibus compositus, ut Tibull. I. 7 5. *novos pubes Romana triumphos vidit.* Iam *exercitus crescit* secundis laboribus, esset exercitus *numero augetur.* Latinum est *res Romana crevit*, non *pubes Romana.* Ut Graece. Eurip. Suppl. 323. patria ἐν τοῖς πόνοισιν αὔξεται. Αἱ δ' ἥσυχοι

Vastata Poenorum tumultu
Fana Deos habuere rectos:
Dixitque tandem perfidus Hannibal:
Cervi, luporum praeda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.
Gens, quae cremato fortis ab Ilio
Iactata Tuscis aequoribus sacra,
Natosque, maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbes,

σκοτεινὰ πράσσουσαι πόλεις. Et ut πόνοι, sic *labor* et *labores* in re militari appellantur omnia, quae toleratu sunt difficilia et gravia. Itaque dicuntur *saevi*, *duri*, *magni labores*, an item *secundi*, dubito.

Poenorum tumultu. Tumultus de bello tam atroci tamque diuturno verbum lenius est.

Fana Deos habuere rectos. Quia Dei stant *recti*, hinc non intelligitur templa esse refecta. Alii interpretantur: *Dei et cultus Deorum restitutus est in integrum*, sacra instaurata sunt. Ergo, ut hoc utar, *Iupiter rectus est* significat *Sacra Iovi instaurata sunt*? Non puto. Alii emendarunt *tectos*.

Cervi, luporum praeda rapacium. Comment. Cruq. *Idcirco lupis comparavit Romanos, quia auctor nominis eorum a lupa nutritus dicitur.* Recentiores interpretes hoc risu excipiunt. Nescio quare. Erat certe hoc solitum, quo caeterae gentes Romanos petebant, convicium. Liv. III. 66. *Aequi et Volsci fremebant, occaecatos lupos intestina rabie opprimendi occasionem esse.* Velleius Paterc. II. 27. *Telesinus dictitans Romanis adesse ultimum diem, vociferabatur eruendam delendamque urbem, adiiciens, nunquam defuturos raptores Italicae libertatis lupos, nisi sylva, in quam refugere solerent, esset excisa.* vide Ruhnkenium, et interpretes ad Taciti Agricolam 30.

Fallere et effugere est triumphus. Est non reperitur in quibusdam MSS. non in Vossian. neque D'Orvill. v. Oudend. ad Appuleii Metam. II. pag. 115. Ego tamen verbum retineam. Plenius sonat *effugere est triumphus.*

Duris ut ilex tonsa bipennibus,
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.
Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem:
Monstrumve summisere Colchi
Maius, Echioniaeve Thebae.
Merses profundo, pulchrior evenit:
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Proelia coniugibus loquenda.

Et quod ad productionem brevis syllabae ante duas consonantes sequentis vocabuli attinet, ea ratio in infinitivis durior videtur, quam ut Horatio sine consensu omnium MSS. tribuamus. Exempla a viris doctis collata invenies ad Virgilii IX. Aen. 37. ab Erythraeo in Indice, voce *que*, ad Propert. III. 9. 46. Anthol. Latina Tom. I. p. 70. ad Silium Ital. VII. 618. In his rara sunt infinitivorum, eaque MSS. variantibus.

Nigrae feraci frondis in Algido. Pindarus Pyth. I. 28. *Οἷον Αἴτνας ἐν μελαμφύλλοις δέδεται κορυφαῖς.* Aristoph. Thesmoph. *Μελάμφυλλα ὄρη δάσκια.*

Vinci dolentem crevit in Herculem. Ingeniose Arntzen. ad Plinii Panegyr. 82. coniecit *vinci docentem*. laudante filio ad Arator. II. 844. Claud. B. Getico vs. 140. *Poenum Marcellus vinci docuit.* Seneca Herc. Fur. 241. *Saeva Lernae monstra, numerosum malum, Non igne demum vicit, et docuit mori.* v. Arntzen. ad Aurel. Victor. Vir. Illustr. 45. et in Addendis. Ovid. XIII. Metamorphoseon. 349. *Pergama cum vici, cum vinci posse coëgi.*

Pulchrior evenit. Pulchrior est *fortior*. Burm. ad Virgil. VII. Aen. 656. Heinsius pro *evenit* coniecerat, *pulchrior*, *en*, *venit*. Sed *evenit* est ex profundo venit, *exsilit*, ut in simili metaphora Rutil. Itin. I. 122. *Quae mergi nequeunt, nixu maiore resurgunt, Exsiliuntque imis altius acta vadis.*

Proelia coniugibus loquenda. Alii exponunt, coniugibus *Ro-*

Carthagini iam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis, Hasdrubale interemto.

manorum, quibus victores res in proelio gestas enarrent. Alii coniugibus *Poenorum*, quae caesos maritos defleant. Supererat tertia explicandi ratio: proelia a Romanis coniugibus loquenda, ad inflammandos filios; sicuti de Hispanis narravit Sallust. Fragm. pag. 530. *Hispanis mos fuit, ut in bella euntibus iuvenibus parentum facta memorentur a matribus.* Sed laus ea est tenuis, si feminae tantum de virtute militari loquantur, et mulieres hostium interfectorum doleant. Neque ea laus est diuturna, finienda nempe cum morte earum, quae maritos amiserant. Praeterea *loqui* plerumque in bonam partem accipitur. Quod sane mulieres Poenae non facerent, sed ea proelia potius *detestarentur* et *flerent*. Ut Horatius I. Carm. 1. *Bella matribus detestata:* et Silius Ital. III. 73. *Roma tuos numeret lacrymandos matribus annos.* Emendari oportet: *Proelia carminibus loquenda.* Ea demum vera et maxima laus est, quam poëta aliis verbis expressit, IV. Carm. 9. *Dicenda Musis proelia.* Statius IV. Silv. 4. *propriis tu pulcher in armis Ipse canenda geres.* Gualter. Alexandr. III. 56. *Parmenio, sine quo nil unquam carmine dignum Gessit Alexander.* Hoc est, quod Eurip. Troad. 1245. dixit: ἀοιδὰς δόντες ὑστέροις βροτῶν. Plinius VI. Epist. 16. *Equidem beatos puto, quibus Deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda. Loqui* est *canere* et cum laude memorare. Catull. Carm. LXVIII. 44. *Ne fugiens saeclis obliviscentibus aetas Illius hoc caecos condat tegat studium. Sed dicam vobis*, (Musae) *vos porro dicite multis Millibus, et facite haec charta loquatur anus.* Horat. IV. Carm. 15. *Phoebus volentem proelia me loqui.* Propert. IV. 11. *Si cui fama fuit per avita tropaea decori, Afra Numantinos regna loquuntur avos.* Ubi pauca annotavit Santenius. Martialis V. 26. *Quem chartis famaeque damus populisque loquendum, Qui Stygios non vult totus adire lacus.* Quintil. Declam. VI. 21. *Te quidem omnia saecula loquentur.* Sulpitius Severus Histor. I. 41. *Nihil, quod historia loqueretur, ediderunt.* Ammian. Marcell. XXIV.

Nil Claudiae non perficient manus,
Quas et benigno numine Iupiter
Defendit, et curae sagaces
Expediunt per acuta belli.

pag. 301. *Longae loquentur aetates Sophanem.* Ennodius in Vita Epiphanii pag. 391. *Quod nullae chartae veterum, nulli librorum de quocunque loquuntur.* Tali igitur modo feminae Carthaginienses de fortitudine Romana non loquerentur. Interpretes comparant locum Catulli cum Horatiano Carm. LXIV. 349. *Illius egregias virtutes claraque facta Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres.* Enimvero aliud est *fateri*, aliud *loqui*. *Fatemur*, etiam inviti laudantes; *loquimur*, libenter et cum voluptate laudantes.

Nil Claudiae non perficient manus. Alii putant haec verba esse Hannibalis, alii poëtae, ego Grammatici. Horatius haec orationi non addere potuit. Sic enim perit omnis rei antecedentis gravitas. Et dubito an *manus Claudiae* bene dicantur manus Claudiorum, gentis Claudiae. Scripsisset potius: *Nil Claudii non efficient manu*, *Quos et benigno* sq. Claudios Iupiter tuetur, et sua ipsorum prudentia servat. Hannibalem haec de Claudiis facere augurantem, est ignorare ingenium Poeni. *Acuta belli* parum Latine sonat, nec convenit cum verbo *expediunt*. Quanto pulchrius finitur carmen dicto Hannibalis, qui, conspecto capite fraterno, exclamasse dicitur: *Agnosco fortunam Carthaginis.* v. Livii. XXVII. 51.

CARMEN V.

Divis orte bonis, optime Romulae
Custos gentis, abes iam nimium diu:
Maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto concilio, redi.
Lucem redde tuae, dux bone, patriae:
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles melius nitent.

CARMEN V.

Divis orte bonis. MS. *Dius.* Ortus erat Augustus, divis bonis, quem Dei, Romanis amici, nasci fecerant, cui nascenti et deinde faverant. Scholiastae, ut recentiores interpretes, accipiunt ut Virgilianum: *Dis genite:* et intelligunt originem gentis Iuliae ex Venere. Tum vero epitheton *bonis* plane otiosum est. Laudabant aliquem, qui habebat generis auctores Deos, non *bonos Deos.* Hoc enim sponte apparet. Nisi boni essent, dicerent gravissimum convicium: quod vel ex formulis, *dis natus infelicibus, iratis*, intelligitur.

Lucem redde tuae, dux bone, patriae. Venustatem imaginis merito laudavit Blackwallus de Praestantia Auct. Classic. pag. 109. Magis etiam illa enitescit per comparationem aliorum. Meleager in Anthologia. Ἦν μοι συνεχὴς ὄμμα βάλῃς ποτὲ, χεῖρα διδοῦκα. Ἦν δ' ἱλαρὸν βλέψῃς, ἠδὺ τέθηλεν ἔαρ. Rutil. I. Itiner. 200. *Illic perpetui soles, atque ipse videtur, Quam sibi Roma facit, purior esse dies.* Ubi Heins. suum *esse* h. l. confirmare potuisset. Prudent. Cathem. V. 1. *Inventor rutili, dux bone, luminis, Qui certis vicibus tempora dividis, Merso sole chaos ingruit horridum, Lucem redde tuis, Christe, fidelibus.* Mamertin. in Genethl. Maxim. cap. 10. *Nunc autem, ut primum ex utrisque Alpium iugis vestrum Numen effulsit, toto Italia clarior lux diffusa.* Notandum, in multis MSS. Horatii etiam legi *effulsit.* Quod si sit poetae

Ut mater iuvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domo,
Votis, ominibusque, et precibus vocat,
Curvo nec faciem litore demovet:

manus, iungenda forent, *gratior dies it populo.*

Invido flatu. Hoc rectius, quam *uvido.* Auson. Epist. II. 5. *moestique parentis Oscula et amplexus discreverat invidus amnis.* Alia vide apud Bentleium.

Cunctantem spatio longius annuo. Cuntationis una caussa est invidus Notus. Mirum autem, si notus continuo totum annum et diutius flaret. Iungunt interpretes *cunctantem longius annuo spatio*, et exponunt *dum ultra annum abfuit.* Sed *abesse* et *cunctari* multum differunt. Abest aliquis annum, duos, tres, et tamen non *cunctatur*, si promisso tempore domum redeat. *Cunctatur*, qui ultra promissum tempus, vel horam, abest. Legendum puto: *Cunctantem, spatium longius annuo, Dulci distinet a domo.* Promiserat filius se rediturum in patriam certo quodam et constituto tempore. Tempus venit. Ille non redit. Iam cunctatur. Dies aliquot sunt, mensis est. Hoc spatium matri longius est annuo spatio. Terentius Heautont. II. 2. *Dum moliuntur, dum comuntur annus est.* Virgil. Eclog. VII. 43. *Si mihi non haec lux toto iam longior anno.* Ovid. Heroid. XVIII. 25. *Septima nox agitur, spatium mihi longius anno.* Auson. Epist. II. 11. *Quis fuit ille dies? non annus longior ille est, Attica quem docti collegit cura Metonis.* Horatius dixit *longius annuo:* ut alibi: *Nec cultura placet longior annuâ.* Ipsum adiectivum eodem sensu posuit Ovid. Heroid. XI. 31. *Nec somni faciles, et nox erat annua nobis.*

Distinet. Melius quam *detinet.* Non quia magis poëticum est, ut nonnulli censent, sed quia rem accuratius indicat. Plin. Paneg. XXV. *Hic mari, ille fluminibus distinebatur.* v. Heins. ad Ovid. Rem. Amor. 486. et Ernestius ad Taciti XI. Annal. 12.

Curvo nec faciem litore demovet. Cogitabat hunc locum Hieron. Epist. I. ad Rufinum: *Non sic curvo assidens litori, anxia filium mater exspectat.*

Sic desideriis icta fidelibus,
Quaerit patria Caesarem.
Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas:
Pacatum volitant per mare navitae:
Culpari metuit Fides:
Nullis polluitur casta domus stupris:
Mos, et lex maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerperae:
Culpam Poena premit comes.
Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit,

Desideriis icta fidelibus. Valer. Flaccus VIII. 35. *Icta timore gravi.* v. Burm. Et Oudendorp. ad Sueton. Claud. 33.

Tutus bos etenim rura perambulat. Pro *rura* mallem cum Fabro *prata.* Caeterum praeclara est tota haec imago felicitatis Romanae, duce Augusto, quam haud multum dissimili modo celebraverunt historici, praecipue Velleius Paterc. II. 89. Easdem laudes iisdem pene verbis Anastasio tribuit Procopius T. II. pag. 44. *Καὶ οὕτως ἡμῖν προῆλθες, πάντας ἀποκρύπτων τῷ θαύματι. ὅθεν ἡμῖν αἱ πόλεις εὐδαίμονες, χοροῖς μεμελημέναι καὶ πανηγύρεσιν. εἰρήνη γὰρ ἡμῖν τοῖς πράγμασιν ἐπανθεῖ. Ἄρης δὲ καὶ στάσις πόρρω τῶν ἡμετέρων πλανᾶται. πλεῖται μὲν τοῖς ἐμπόροις ἀκινδύνως ἡ θάλαττα. ἐπὶ δὲ κούφαις ἐλπίσιν ἡ γῆ γεωργεῖται. κράνος δὲ, καὶ δόρυ, καὶ ξίφος, εἰς ἕτερα μετασκευάσται, καὶ φίλας προσηγορίας. τίκτουσι δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι.* Ubi legendum *ἐπὶ δὲ οὐ κούφαις.* Postrema sunt versus notissimi Hesiodi.

Laudantur simili prole puerperae. Latini absolute ponunt *similis*, pro *similis illi*, cui similis *esse debet.* Iuvenal. Sat. I. 6. *Si quis Aristotelem similem vel Pittacon emit.* Stat. II. Achill. 191. *Similem se vidit in auro.* Appul. Apol. T. II. pag. 418. *Filiorum cariores esse, qui similes videntur.*

Quis, Germania quos horrida parturit, Foetus. Horatius

Foetus, incolumi Caesare? quis ferae
Bellum curet Iberiae?
Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores:

in Epod. XVI. *Nec fera coerulea domuit Germania pube.* Manil. IV. 713. *Flava per ingentes surgit Germania partus.* Et Romani timere poterant *pubem* coeruleam et *partus* et *foetus* ingentes, sed non poterant timere foetus, quos Germania *parturibat* vel pariebat, quum Horatius haec scribebat. Silent interpretes. Accipiunt, credo, *foetus*, quos Germania protulit, iuventutem Germanam. Doceri cupiam hoc Latine dici *Germania eos parturit.* Interea scribam: *Quis, Germania quos horrida parturit Motus.* Hoc plane respondet sequenti: *quis bellum curet Iberiae, quis motus Germaniae? Motus* hac significatione frequens est apud historicos, et Horatius ipse posuit II. Carm. 1. *Motum ex Metello consule civicum.* Eleganter porro *Germania motus parturit*, clam et vehementer minatur. Theognis vs. 39. *Κύρνε, κύει πόλις ἥδε. δέδοικα δὲ, μὴ τέκῃ ἄνδρα Εὐθυντῆρα κακῆς ὕβριος ἡμετέρης.* Cicero in Philippica II. *Utinam reipublicae dolor pariat, quod iam diu parturit.* Liv. XXI. 18. *Quod iam diu parturit animus vester, aliquando pariat.* Duplicem significationem respexit Seneca Med. 25. *parta, iam parta est ultio. Peperi.* Ioan. Chrysost. Orat. I. de Sacerd. 1. *Ἀθρόως, ἣν πάλαι ὠδίνεν ἐπιθυμίαν, ἀπέτεκε τότε.*

Condit quisque diem collibus in suis. Condit est *condi cernit.* Eleganter, si cogites locum in *collibus.* Atque ita puto explicanda exempla, quae alii, v. c. Turneb. ad Plauti Menaechm. I. 2. 43. et M. de Roa Singul. T. I. p. 487. ad *diei sepulturam* referunt, quia nempe Plautus et veteres interdum iocose *diem sepelire* dixerunt. Virgil. I. Georg. 221. *Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur.* Plin. IX. Epist. 35. *Quamquam longissimus dies, cito conditur.* Ubi Cortius non recte comparat locutiones *saeculum* et *lustrum condere.* Alia vide apud Burm. ad Valer. Flacci II. 443. qui neque veram dictionis naturam perspexit. Statius IV. Theb. 54. *Condiderant iam vota diem.* Ante Callimachum dixerat Euripides, ut videtur, apud Plutarch. Moral. T. I. pag. 91. *Εἰ δὲ θανεῖν θέμις, ὧδε θανεῖν καλὸν, Εἰς ἀρετὴν καταδυσαμένους βίον.* Vitam in

Hinc ad vina redit laetus, et alteris
Te mensis adhibet Deum:
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris: et Laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris,
Et magni memor Herculis.

virtutem condemus, sicuti dies et sol conduntur in mare. Sic etiam *nautae terram aperiunt*, *abscondunt*, quam e longinquo aperiri et abscondi vident. *Γῆν ἀποκρύπτειν* exposuerunt interpretes ad Thucyd. V. 65. Apollon. Rhod. I. Argon. 580. *Αὐτίκα δ' ἠερίη πολυλήϊος αἶα Πελασγῶν Λύετο.* Virgil. III. Aen. 275. *Et formidatus nautis aperitur Apollo.* Hemsterhusius in annot. MSS. ad Statii Achill. III. 4. *Decrescit Bacchica Naxos*, haec posuit: »Virgil. III. Aen. 72. Claudian. Raptu Proserp. III. 190. Lucan. V. 457. Seneca Troad. 1046. Plato Protag. p. 235. *B.* *φεύγειν εἰς τὸ πέλαγος τῶν λόγων, ἀποκρύψαντα γῆν.* Lucian. T. I. p. 774. Gregor. Nyssen. T. III. p. 312. *A.* Heinsius ad Valer. Flacci I. 285. Pricaeus ad Acta *A.* XXI. 3."

Hinc ad vina redit. Vellem aliquis hunc locum probabili coniectura emendare potuisset. Ego non potui. Bentleius ex MSS. ad *vina venit.* Sono ingrato *vitem viduas vina venit.* Et omnino *redire* requiritur de eo, qui mane domum ad colendas vineas liquit, vespera repetit. Ut Virgilianus senex IV. Georg. 132. *Seraque revertens Nocte domum, dapibus mensas onerabat inemptis.* Horatius scribere potuit: *Hinc limen repetit: Hinc ad tecta redit:* vel aliud eius modi, quod propius ad vulgatam lectionem accedat.

Defuso pateris. Melius quam *diffuso.* Vide Burmannum ad Gratii Cyneg. 474.

Longas o utinam, dux bone, ferias. Quaedam MSS. *rex.* Pessime, ut annotavit Broukhusius. Bentleius tamen non contemnendum dicit, et esse appellationem familiaritatis, *ducis* autem nomen pertinere tantum ad laudem bellicam. Quod ad familiaritatem attinet, ab ea totum carmen abhorret. Appellabant Romani se invicem in ioco et hilaritate *dominos* et *reges*, Martialis in epigrammate quodam sic *cocum suum* salutabat. Sed vide quid de Augusto narret Sueton. 53. *Augustus dominum se ap-*

Longas o utinam, dux bone, ferias
Praestes Hesperiae, dicimus integro

pellari ne a liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel ioco, passus est: atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit. In istiusmodi blanditiis etiam erat *rex*, magis invidiosum quam *dominus*, si serio acciperetur. Quam invisum esset nomen *regis* temporibus liberae reipublicae, constat ex omni Romana historia, ab eiectis inde Tarquiniis. Exempla legantur praecipue apud Ciceron. II. Phil. 34. Florum III. 16. Polyb. X. 40. Plutarch. Anton. 12. qui mirum dicit, quod Romani *τοῖς ἔργοις τὰ τῶν βασιλευόντων ὑπομένοντες, τοὔνομα τοῦ βασιλέως, ὡς κατάλυσιν τῆς ἐλευθερίας, ἔφευγον.* Atque hoc ita per omnem Imperatorum aetatem permansit. Narrat Trebellius Pollio in Vita Triginta Tyrannorum cap. 9. *Regillianum ioco militari ad imperium pervenisse. Derivari audientes nomen eius a rege, unus dicebat:* Ergo potest rex esse: *alter:* ergo potest nos regere: *item alius:* Deus ei *regis* nomen imposuit. Et tamen, ut Pollio subiungit: *a principiis salutatus est imperator.* v. Markland. ad Statii Silv. IV. I. 46. qui Bentleium aliis exemplis refellit. Neque huic disputationi repugnat, quod in Numis Graecis et apud scriptores Graecos Romani Caesares appellantur *βασιλεῖς*, de qua re Spanhem. De Usu et Praest. Numism. pag. 686. et Observ. Miscellan. T. VII. pag. 92. Est enim interpretatio dignitatis Romanae, cui Graece reddendae illi aptiorem iudicabant vocem *βασιλέως* quam *αὐτοκράτορος*. Ut historici Romani saepe appellabant *regem*, qui barbarae civitati praepositus, a suis tamen non *rex* appellabatur. Non dissimulabo in Vita Horatii, quae Suetonio tribuitur, exstare epistolam Augusti ad Maecenatem: *Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum: nunc occupatissimus et infirmus, Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa, ad hanc regiam, et nos in epistolis scribendis adiuvabit.* Rutgersius in Lect. Venus. 30. haec Augustum scripsisse non credit, propter verba *coenam regiam:* alii hinc confecerunt, Romanos non adeo refugisse nomen *regis* sub Imperatoribus. Sed illi non cogitarunt differre *coenam regiam* et *coenam regis.* Nam coena *regia*, ut *regalis*, significat etiam *rege digna*, *splendida*, *liberalis.* Cuius rei nullum inveni testimonium, quod huc magis faciat, quam dictum Scipionis apud

Sicci mane die, dicimus uvidi,
Quum Sol Oceano subest.

Polyb. X. 40. *Βασιλικὸς μὲν, ἔφη, βούλεσθαι καὶ λέγεσθαι παρὰ πᾶσι, καὶ ταῖς ἀληθείαις ὑπάρχειν. βασιλεύς γε μὴν οὔτε ἀθέλειν εἶναι, οὔτε λέγεσθαι παρ' οὐδενί.* Denique *dux* Augustus et alii imperatores etiam in media pace dicebantur, nulla belli habita ratione. Ovid. II. Fast. 139. *Tu rapis, hic castas, duces es, iubet esse puellas.* Loquitur Ovidius de Romulo et Augusto v. Markland. l. l. et Burmann. ad Propert. II. 13. 20.

CARMEN VI.

Dive, quem proles Niobea magnae
Vindicem linguae, Tityosque raptor
Sensit, et Troiae prope victor altae
Phthius Achilles,
Caeteris maior, tibi miles impar:
Filius quamquam Thetidos marinae
Dardanas turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.

CARMEN VI.

Tityosque raptor. MS. *raptos.*

Dardanas turres quateret tremenda. Magis concinna sunt et Romana: *Filius quamvis Thetidos marinae, Procidit late.* Quae in medio posita sunt, glossam huiusmodi olent: » *Quamvis filius Thetidos* sc. *fortissime pugnaret: Late procidit: velut*

Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late posuitque collum in
Pulvere Teucro.
Ille non, inclusus equo, Minervae
Sacra mentito, male feriatos
Troas, et laetam Priami choreis
Falleret aulam:
Sed palam captis gravis, heu nefas! heu!
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentem
Matris in alvo:

arbor securi vel vento deiecta. Glossa sublata, melior procedit sententia. Quamvis filius esset Thetidis, Deae marinae, ac propterea mori non posse videretur, tamen cecidit.

Ille mordaci velut icta ferro. Ille metri caussa. Nam dissimilia sunt *ille* cecidit, *ille* non falleret. Veteres talia repetebant in re eadem, et cum vi, quae hic nulla cernitur. Nam suffecisset: Late procidit, velut icta ferro pinus. *Mordax* ferrum, recte, credo, diceretur *lima* vel *serra*, quae effectus neque tam subiti neque vehementes sint. Non recte acuta et magna securis, qua, brevi tempore, altae arbores demittuntur.

Pulvere Teucro. Pro *Teucro* olim in MS. Franck. alia vox legebatur. Nunc erasa est, et *Teucro* in locum posita.

Sed palam captis gravis. Variant MSS. et habent *captos*, *victor*, *raptor*. Facilis scribentium error. Praeferrem *victis*. Achilles non amabat belli furta, sed vim apertam. Tum vero erat gravis *victis*, nemini parcens, quod praecipue in Hectore ostenderat. Quid ille non fecisset, capta armis Troia? *Palam* in re simili apud Tacit. I. Annal. 59. *Non enim se proditione neque adversus feminas, sed palam adversus armatos bellum tractare.* Iustin. IX. 8. *Vincendi ratio utrique diversa. Hic aperta vi, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fusis.* Buttman. in Miscellan. Criticis Friedemanni a.

Ni, tuis victus, Venerisque gratae
Vocibus, Divûm Pater annuisset
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.
Doctor Argivae fidicen Thaliae,
Phoebe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniae defende decus Camenae,
Levis Agyieu.
Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem

MDCCCXXIII. pag. 40. scribendum esse putabat *captor*.

Ni, tuis victus, Venerisque gratae. Primum e MSS. cum Bentleio mallem *flexus*. Habuit et Comm. Cruq. »*Penitus periisset Troia, et Troiani ad unum omnes manibus Achillis, ni Iupiter*, flexus *tuis precibus et Veneris, promisisset* caet. Deinde arbitror epitheton *gratae* hic esse nimis tenue et vulgare, adeo ut inventum esse videatur ad versum supplendum. Absit ea paupertas ab ingenio divite. Quanto melius: *Ni tuis flexus tenerisque gnatae Vocibus.* Iupiter flectitur teneris vocibus natae suae. Illud *natae* magis ornatum et poëticum est. Venerem intelligi, apparet ex mentione Aeneae. Et Venus in orationibus suis praecipue pugnabat nomine *filiae*. Virgil. I. Aen. 250. *Nos tua progenies.* Et vs. 255. Iupiter *oscula libavit natae.* Et omnino poëtae de Iove et Venere loquentes, amant nomen *natae.* Statius Theb. V. 277. *infandum natae concessit honorem.* Ubi Schol. laudat Horatiana: *Ni tuis Venerisque Gratae, Rebus Aeneae potiere ductos. Gnata* autem legitur in sat bonis MSS. v. c. Virgil. II. Aen. 663. III. 12.

Levis Agyieu. Eurip. Phoeniss. 634. *Καὶ σὺ Φοῖβ' ἄναξ Ἀγιεῦ.* v. Valcken. *Levis* h. l. tuetur Santen. ad Terent. Maurum pag. 249. Alii *lenis*, *laetus*.

Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem. Quomodo hi versus, quos obelo confixi, cum antecedentibus connectantur, ego me nescire fateor. Horatius adhuc laudaverat Apollinem, et hymnum ita finivit, ut suam laudem Deo commendaverit. Est hoc integrum carmen, cuius ratio et consilium in luce manifesta apparent. Nunc subito in tenebras et difficultates transferimur, quas ne

Carminis, nomenque dedit poëtae.
Virginum primae, puerique claris
Patribus orti,

tum quidem tolles, si cum Sanadono hic initium novi carminis facias. Horatius hymnum, ut dicebam, finivit, orans Apollinem, ut decus Camenae Dauniae defenderet, hoc est, ut Carmen suum Sacculare Augusto et Romanis placeret. Horatii gloria in illo Saeculari Carmine agebatur. Augustus eum scribere iusserat: ludi agerentur, quos una aetas semel adspicit. Pueri et puellae impubes in Capitolio canerent: magna erat omnium de poëta exspectatio, cuius verba deinde legerentur, qua late pateret Romanum imperium. Haec omnia sentiebat Horatius. Igitur finito Saeculari Carmine, in hoc hymno Apollinem precatur, ut illius carminis tutelam suscipiat. Quae in hymno leguntur de ferocia Achillis, ea et augent beneficium Dei, a quo esset interfectus, et coniuncta sunt cum memoria Veneris et Aeneae, unde Romani ducerent originem. Quod neque in Saeculari Carmine omisit. Operae pretium est audire Acronem, qui hoc argumentum proposuit: »*Hymnum hic Apollini dicit, et commendat carmina sua saecularibus ludis.*" Eadem fere reperias apud reliquos Scholiastas. Atque hoc argumentum sine dubio manavit ex antiquioribus Commentariis, et exemplo, non plures quam viginti quatuor versus continente. Iam Grammaticus aliquis, lecto tali argumento, imprimis animum advertit ad *ludos saeculares*, et praeclaram ostendendi ingenii occasionem se nactum arbitrans, nonnulla *de choro* adiecit. Auctor argumenti, quod nunc Acroni tribuitur, ista additamenta non vidit. Porphyrionem et Commentatorem vidisse diceres, nisi constaret, Scholia, quae habemus, conflata esse et identidem in compendium redacta ex variis variorum temporum interpretationibus: fere, ut in Didymo Homerico accidit.

Spiritum Phoebus. Ductum ex Horat. II. Carm. 16. *Spiritum Graiae tenuem Camenae Parca non mendax dedit.*

Nomenque dedit poëtae. Humile dictum. Melius Horat. IV. Carm. 3. *Totum muneris hoc tui est Quod monstror digito praetereuntium Romanae fidicen lyrae.*

Virginum primae. Poëta Carm. Saecul. 6. *Virgines lectas, puerosque castos.* Catull. Carm. 34. *Dianam pueri integri Puellaeque canamus.* Maior et iustior hic est commendatio a castitate, quam a genere.

Delliae tutela Deae, fugaces
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem, meique
Pollicis ictum,
Rite Latonae puerum canentes,
Rite crescentem face Noctilucam,
Prosperam frugum, celeremque pronos
Volvere menses.

Lyncas et cervos cohibentis arcu. *Cohibemus* fera animalia, leones, tigres, quae impetum faciunt, non cervos fugaces nec timidos lyncas. Fugam cervi cohibemus, quando eam cistimus. Cervum arcu *cohibere* vel *sistere*, Satyra dignum est. Repehendit etiam Scaliger VI. Poët. cap. 7. Meliora sunt haec Plinii Paneg. 81. *Certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu.*

Lesbium servate pedem. Imago ridicula. Horatius pueros et puellas carmen saeculare ad citharam suam canere docet, exclamans: Servate metrum Sapphicum! Aures et animum attendite ad ictum pollicis mei! Et hoc ille diceret in Carmine, cuius maxima pars ad gravitatem composita, hymnum Apollinis continet!

Crescentem face Noctilucam. *Fax Phoebea*, *Solis*, usu poëtarum recepta est. Neque Dianae, clara luce nitenti, et astrorum decori, *facem* negaverim. Sed quando audimus Lunam crescentem, alienа est cogitatio *facis*. Luna crescit luce, cornibus, orbem implet: non crescit *face*. Veri poëtae non amant naturam falsis imaginibus corrumpere.

Prosperam frugum. Auctor cognovisse videtur Carmen Catulli XXXIII. In eo pueri et puellae canunt ad Dianam: *Tu curru Dea menstruo Metiens iter annuum*, *Rustica agricolae bonis Tecta frugibus exples.* Nam eandem sententiam verbis mutatis expressit. Sed putans se pulchrum excogitavisse Hellenismum, *prosperam frugum*, scripsit, quod hic dubito an Latinum sit. *Terra*, quae fruges magna copia profert, *prospera*, *laeta*, *fertilis*, *felix*, *facilis frugum* dicitur: Dea, quae fruges rore nocturno alit, *prospera frugum* non dicitur, sed *prospera frugibus*, dativo casu. Horat. Carm. Saecul. 29. *Fertilis frugum pecorisque tellus.* Sallust. Fragm. II. *Frugum pabulique laetus ager.*

Nupta iam dices: ego Dís amicum,
Saeculo festas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horatí.

Claudian. Laus Serenae 54. *Dives equis, frugum facilis.*

Pronos volvere menses. Ex Epistola ad Pisones 60. *pronos mutantur in annos.*

Nupta iam dices. Quae adhortatio! Strenue et alacriter discoe. Alioquin te domum mittam, neque sic olim nupta dicere poteris, te choro interfuisse. Pueros autem nihil curat. Chorus tamen sine illis non constabat.

Saeculo festas referente luces. Sumsit e Carm. Saecul. 21. *Certus undenos decies per annos Orbis ut cantus referatque ludos.*

Vatis Horatí. Sic II. Carm. 6. pro *vatis amici* in quibusdam MSS. reposuerunt Grammatici *Vatis Horatí.*

CARMEN VII.

Diffugere nives: redeunt iam gramina campis,
Arboribusque comae:
Mutat terra vices: et decrescentia ripas
Flumina praetereunt:

CARMEN VII.

Mutat terra vices. Grammaticus poëta in Anthol. Latin. Tom. I. pag. 139. *Foecundo semine rerum Mutat terra vices.* Horatium quoque cogitabat alter in Anthol. Vol. II. pag. 321. *Alternant elementa vices:* praecipue in fine: *Omnia dat, tollit,*

Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet annus, et almum
Quae rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris: ver proterit aestas,
Interitura, simul

minuitque volatile tempus. Ver, aestas, auctumnus, hyems, redit annus in annum.

Audet. Venuste. In re eadem ad terram transtulit Manilius III. 649. *Et varios audet flores emittere tellus.*

Immortalia ne speres. Nemo tam ineptus est, ut speret immortalitatem, neque, ut non speret, opus est admonitore anno et hora. *Optare* possumus. Ut Cicero in Laelio cap. 3. *Nisi enim, quod ille minime putabat, immortalitatem optare vellet.* Scribendum potius censeo: *Immortalia ne spires.* Spirat immortalia, qui animum aeternis consiliis et magnis rebus fatigat, et maiora agitans, quam mortalem decent, non cogitat mortem brevi adventuram: qui semper futura prospicit, nunquam praesentibus fruitur. Similia sunt Graecorum loca, partim sententiae, partim dicendi formulae. Pindarus Olymp. XI. 93. κενεὰ πνεύσας. Isthm. V. 20. θνατὰ θνατοῖσι πρέπει. Anacreon Fragm. pag. 423. τί μακρὰ δὴ φρονεῖς, τάλαν; Aeschyl. Pers. 817. Ὦς οὐχ' ἁπίφρων θνητὸν ὄντα χρὴ φρονεῖν. Excerpta Grotii pag. 923. θνητὰ χρὴ τὸν θνητὸν, οὐκ ἀθάνατα τὸν θνητὸν φρονεῖν. Propert. II. 12. *Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes, Forsitan includet crastina fata dies.* Ubi v. Burm. et Heins. ad Ovid. v. Metam. 348. et Cortium ad Lucan. II. 138. qui multa huius significationis, et permutatorum in MSS. vocabulorum, exempla praebuerunt.

Almum quae rapit hora diem. Franck. MS. *album*, addita glossa: *Quia semper meliorem diem consumimus. Meliorem autem dicit diem, quia omnis dies sequente melior est, quantum spectat ad aetatem hominum. Diem* hic de *sole* accipiebat Burm. ad Valer. Flacci VII. 229. Minus bene. Neque melius illi, qui *horam* intelligunt Deam vicissitudini temporum praefectam. Nam annus, dies et hora saepe ita coniunguntur, ut significent perpetuum temporis non morantis cursum. Cicero Senect. 19. *Horae*

Pomifer auctumnus fruges effuderit: et mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant coelestia Lunae:
Nos, ubi decidimus,

quidem cedunt, et dies, et menses et anni. Sil. Ital. IX. 549. *Venit hora diesque.*

Ver proterit aestas. Scribendum existimo: *Ver proteret aestas.* Nunc ver est, frigora nunc Zephyris mitescunt. Sed ver abibit, ab aestate protritum. Aestas item interibit. Postea recurret hyems, quae nunc abiit. *Recurret* in MSS. nonnullis legitur. *Proterit* eadem notione apud Manil. I. 626. *Posteriora pedum Cynosurae proterit astra.* Ubi Scaliger Horatium laudavit.

Damna tamen celeres reparant coelestia Lunae. Dicunt interpretes: *Lunae reducunt anni tempora, quae perierunt.* Sed tum Horatius scripsisset *terrestria damna*, hoc est, damna quae terra fert: nam *coelestia* non sunt, nisi quae ipsa Luna fert. Iam Luna *reparat* damna veris, aestatis, et auctumni. Hoc intelligimus. Sed Luna *reparat damna hyemis*, quae hyems fert a vere repulsa, non intelligimus. Neque Horatius ita effugiet tautologiam. Lunae restituunt damna variis anni tempestatibus, quid aliud est, quam *frigora mitescunt Zephyris* sq.? Ver, aestas *et* auctumnus suo tempore redeuntes, iam ipsae sua damna reparant. Istae difficultates statim evanescunt, si, parva literarum mutatione scripseris: *Damna etiam celeres reparant coelestia Lunae.* Quo facto sententia carminis egregio ordine composita est. Ne spires immortalia. Mortalem te esse monent anni, menses, dies et horae celeriter praetereuntes. Vita quotidie minuitur, et, quod amissum est, nunquam recipies. Variae anni tempestates semper redeunt. Luna etiam occidit et redit. Nobis semel mortuis, omnis spes ademta est. Similes comparationes sunt apud Moschum Epitaph. Bionis vs. 105. *ταὶ μαλάχαι μὲν, ἐπὰν κατὰ κᾶπον ὄλωνται, Ὕστερον αὖ ἐζώοντι, καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φύοντι· Ἄμμες δ' — ὁππότε πρῶτα θάνωμες — εὕδομες ἀτέρμονα ὕπνον.* Catull. Carm. V. *Soles occidere et redire possunt. Nobis cum semel occidit brevis lux, Nox est perpetua una dormienda.* Albinov. Eleg. II. 113. *Redditur arboribus florens revirentibus aetas: Ergo non homini, quod fuit ante, redit.* Atque haec interpretatio propterea quoque alteri est praeferenda, quia Romani *Lunam damna re-*

Quo pius Aeneas, quo Tullus dives et Ancus,
Pulvis et umbra sumus.

[illegible] [illegible] [illegible] [

Quis scit, an adiiciant hodiernae crastina summae
Tempora Dî superi?

dam ad inopiam delaberetur. Ut recte emendavit Ernest. pro *dilaberetur.* Iam si haec ad locum Horatii accommodemus, nemini, credo, dubium erit, quin scribi oporteat non *decidimus*, quia cum mortis cogitatione nulla coniuncta est *turpitudo*, sed *recidimus.* Ubi nos e vita et bonis nostris in miseram conditionem recidimus, et eo venimus, quo venit Aeneas. Sic Ovid. X. Metam. 17. *o positi sub terra numina mundi, In quem recidimus, quidquid mortale creamur.* Significatio *moriendi*, quam nonnulli verbo *decidere* tribuunt, loco Horatii non convenit. Neque eam significationem, ut illi volunt, sese habere puto. Non enim *decidit* simpliciter ponitur pro *mortuus est*, sed *deiectus est a morte*, veluti *victus a victore*, fera a venatore deiecta, *decidit.* Haec et alia huiusmodi parum accurate in Lexicis, quae adhuc habemus, Latinis exposita sunt.

Quo pius Aeneas, quo Tullus dives, et Ancus. Cur hic Tullum vel Ancum nominet *divitem* non assequor. Bentleius corrigit: *Tullus, pauper et Ancus.* Neque illius epitheti rationem intelligo, quae sententiae sit accommodata. Vel enim homines, quorum exempla proponimus, nullo epitheto sunt insigniendi, vel eo, quod indicat, nos putasse, *talem* hominem mori non debuisse nec potuisse. Sic Lucret. III. 1083. *Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit, Qui melior multis quam tu fuit, improbe, rebus.* Horat. I. Carm. 28. *Occidit et Pelopis genitor, convivа Deorum.* Occiderunt Ancus et Tantalus, quamvis hic convivio Deorum, ille virtutibus esset insignis. Virgil. IX. Aen. 327. *regi Turno gratissimus augur: Sed non augurio potuit depellere pestem.* Iam Ancus dives occidit, est divitiae Ancum morte non potuerunt liberare. Sed de divitiis Anci nihil constat. Si constaret, ut de Croeso, lectionem non moverem. Nam rectum est: *Occidit et dives Croesus.* Contra paupertas Anci a scriptoribus memoratur. Non tamen hinc emendemus *pauper Ancus.* Nempe facimus Horatium dicentem: *Occidit et Ancus, quamvis esset pauper.* Quasi quis unquam putasset, paupertatem esse debere auxilium contra mortem. Apparet, ni fallor, neque *dives* neque *pauper* ab Horatio scribi potuisse. Neque legit Commentator. Antiquum hoc est vulnus, ortum ex confusione unius literulae, quod iam

Cuncta manus avidas fugient haeredis, amico
Quae dederis animo.

facili medela sanabo: *Vos ubi recidimus. Quo pius Aeneas. quo Tullus abiit et Ancus. Pulvis et umbra sumus.* *Ab* et *d* in MSS. saepe permutantur. quin ductus literarum sunt similimi, et facile coalescunt. Hinc v. c. in Virgil. MSS. Aen. VI. 849. pro *dederat* scribi potuit *abierat*, quod se non intelligere dicit Burman. Ita et permutantur *el.* et *d.* Markl. ad Statii Silv. II. 7. pag. 253. et ipse Burm. ad Valer. Flacci VI. 747. In multis autem MSS. legitur *Tullus dives*: non *dives Tullus*. *Abire* in hac re notum est verbum. Lucilius: *Inopinato abiit, quem una angina abstulit hora.* Plaut. Casin. Prolog. 19. *Qui nunc abierunt hinc in communem locum.* Phaedr. IV. 19. *Abiturus illuc, quo priores abierunt, Quid mente coeca miserum torques spiritum? Tibi dico avare, gaudium haeredis tui.* Pontius Paullin. Carm. pag. 89. *Qua proceres abiere pii.* Quod ad formam *abivit* pro *abiit*, ea in optimis MSS. saepe cernitur, male ab aliis deinde extrusa. Caeterum haec coniectura mihi in mentem incidit, quum legebam Horat. I. Epist. VII. 27. *Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.* Ibimus quo devenit Ancus, recidemus quo abivit Ancus, omnino eadem sunt. Bentleius nunc est in Philos. Eur. Hildeb. pag. 970. et 982. nulla varietate, nisi quod vitiose legitur: *Ire tamen restat in via, quo devenit et Ancus.*

Hodiernae crastina summae. Hildeb. Phil. Eur. pag. 990. *hodiernae crastinae vitae.*

Cuncta manus avidas fugient haeredis, amico Quae dederis animo. MSS. quaedam *haerebis* et *haerebit*: unde G. Waddel. Animadv. Crit. pag. 46. hanc lectionem effecit: *Cuncta manus avidas fugient: haerebit amico Quod dederis animo.* Haec cum Scholiasta veteri exponit: *Quidquid habueris, moriendo relinques; si autem aliquid feceris boni, tecum portabis.* Ego quoque in Voss. et alio MSS. inveneram *haerebit*, addita glossa: *haerebit animo, quod dederis amico.* Neque istam lectionem spernebam, aliter tamen, quam Waddelius, explicans. Hic nempe praeceptum e philosophia petitum huic carmini interponit, quod in tali argumento nimis severum, neque consuetudinis Horatianae videtur. Eripit etiam poëtae dictionem *amico animo dare*, ψυχῇ διδόναι, cuiusmodi dictiones Horatio, toti Graeco, propriae sunt. Quare illud *haerebit*, *amico Quod*

Quum semel occideris, et de te splendida Minos
Fecerit arbitria;

dederis animo, ita interpretor. »Omnia bona morte amittimus. Quid iuvant igitur, si vivens non fruare. Elabuntur e manibus tenacibus omnia, illud haeret quasi et remanet, hoc tecum portabis, quod Genio indulseris. Horatius hoc e philosophia hilariori hausit, et multo honestius expressit, quam Bacchidas, cuius versum servavit Athenaeus VIII. pag. 240. πιὲν, φαγὲν, καὶ πάντα τᾷ ψυχᾷ δόμεν. Longe etiam turpiora, quae inscripta erant in sepulcro Sardanapali apud Strabon. XIV. pag. 919. Εὖ εἰδὼς, ὅτι θνητὸς ἔφυς, τὸν θυμὸν αἔξε, Τερπόμενος θαλίῃσι· θανόντι τοι οὔτις ὄνησις. Καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι, Νίνου μεγάλης βασιλεύσας. Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος Τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται. Quae auctor incertus in Anthol. Lat. Tom. I. pag. 187. reddidit: *Haec habeo, quae edi, quaeque exsaturata libido Hausit, at illa iacent pulchra et praeclara relicta.* v. Burman. Idem epigramma praeclarum in modum illustravit Naekius in Choerilo suo pag. 196. et multa Graecorum dicta collegit, quae ad intelligendum Horatium valde apposita sunt, quibus addo versum Theocriti Eidyll. XVI. 42. Ἀμγαστοι δὲ, τὰ πολλὰ καὶ ὄλβια τῆνα λιπόντες, Ἀειλοῖς ἐν νεκύεσσι· μακρούς αἰῶνας ἔκειντο. Hoc igitur haerebit, quod animo dederis, hoc *tecum auferes*, ut Cicero de eodem Sardanapalo de Fin. II. 32. *Corporis autem voluptas si etiam praeterita delectat, non intelligo cur Aristoteles Sardanapali epigramma tantopere derideat: in quo ille rex Assyriae gloriatur, se omnes secum libidinum voluptates abstulisse.* Meliores philosophi dicebant virtutes et bene facta sola manere. Cicero de Senect. 19. *Mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. Cum enim id advenit, tunc illud, quod praeterit, effluxit: tantum remanet, quod virtute et recte factis consecutus sis.* Plinius I. Epist. 3. *Effinge aliquid et excude, quod sit perpetuo tuum. Nam reliqua rerum tuarum post te alium atque alium dominum sortientur.* De beneficiis in alios collatis idem dixit Lactant. III. 23. *Potest et pecuniam effugere, et tamen bene collocare: quia salvum est, quidquid pluribus profuit.* Relandus in Dissert. de Samarit. Parte II. pag. 70. laudavit epigramma Persicum, cuius haec est sententia:

Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas:
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum:
Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoö.

Etiam si divitias Carunis in manu haberes, nihil maneret ex iis, nisi quod aliis dederis. Similia vide apud Waddelium.

Non, Torquate, genus, non te facundia. Totum hoc carmen formis typographis expressum ad calcem Ciceronis de Officiis editionis principis Moguntinae Io. Fust, a. 1465. Sed nulla est varietas, nisi quod hic legatur: *sed te facundia.*

CARMEN VIII.

Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus;
Donarem tripodas, praemia fortium
Graiorum: neque tu pessima munerum
Ferres, divite me scilicet artium,

CARMEN VIII.

Donarem pateras, grataque commodus. Grata aera, hoc est, *iucunda*, de tam splendidis muneribus, parum efficax est epitheton. Scholiastae, hoc sentientes, interpretati sunt *grato animo*. Vereor, ut Latine *gratum monumentum* intelligatur *grato animo datum*. Neque recte scio quid hic velit *commodus*, vel, ut in quibusdam MSS. legitur, *commodis*. *Commodus* homo est *humanus*, lenis, facilis: quod Ruhnken. ad Terent. pag. 161. et Sueton. pag. 231. ostendit. Sed in donandis istiusmodi muneribus non morum *lenitas*, sed magis animi *liberalitas* cernitur. Si quis putat notionem *liberalitatis* ex priore illa deduci posse, illi ipse ostendo Ausonium, qui in Caesaribus bis ita usurpasse videtur, praecipue in Vespasiano: *Quaerendi attentus, moderato commodus usu*. Sed in Horatio praeterea haeremus, iungendane sint *donarem* sodalibus, *commodus* sodalibus, an *grata* sodalibus. Titius ad Nemes. Eclog. II. 10. interpretatur *commodus*, quia *donarem*. Sed hoc parum iuvat. Denique *aera* plerumque indicant *statuas aeneas*. Mox autem dicit, se Censorino singulare aliquod munus esse daturum, *statuam* nempe vel pictam *tabulam*. Quod non esset singulare, si amici iam accepissent *statuas*. Tot difficultates faciunt, ut scribendum putem: *Donarem pateras, atque Corinthia, Censorine, meis aera sodalibus*. Quam emendationem non longe a vulgatis literarum ductibus discedere illi optime norunt, qui vetera MSS. tractaverunt. *Aera Corinthia*, quae Virgilius II. Georg. 464. vocat *Ephyraeia*, et eximie *Corinthia*, intellecto *aera* vel *vasa* notiora sunt, quam ut de iis aliquid dicamus. Vide interpretes ad Propertium III. 3. 28. et Florum II. 16.

Neque tu pessima munerum

Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.
Sed non haec mihi vis: non tibi talium
Res est aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus: carmina possumus
Donare, et pretium dicere muneris.
Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis

ferres. Tibi donarem artes Parrhasii et Scopae.

Res est. In uno ex MSS. nostris legitur: *mens est.*

Non incisa notis marmora publicis. Haec et praecedentia ante oculos fuerunt homini, qui Valerio Flacco II. 465. hos tres versus affinxit: *Exanimum veluti, multa tamen arte coactum Moeret ebur: Pariusve notas et nomina sumit Cum lapis, aut liquidi referunt miranda colores.* Hieron. III. adversus Rufinum: *Incisa publicis literis aera cognosces.*

Per quae spiritus et vita redit bonis. Sententia Horatii est: Non marmora notis publicis incisa, clarius indicant laudes illius, qui domita Africa nomen lucratus rediit, quam Pierides Calabrae. Atque haec sententia est facilis, et vera; interpositis quatuor versibus, difficilis, neque plane vera. *Spiritum* et *vitam* poëta debet Virgilio VI. Aen. 848. *Excudent alii spirantia mollius aera: Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus.* Quod Virgilius recte ad artis excellentiam dixit, hoc meus poëta perverse ad laudis immortalitatem transtulit, et sententiam formavit huic loco et communi poëtarum opinioni contrariam. Non enim tanti faciebant status et monumenta, quia, ut ait Tacit. Agric. 46. *ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla et mortalia sunt.* Diogeni cives sui statuam posuerunt hoc titulo, apud Diog. Laërt. VI. pag. 415. *Γηράσκει μὲν χαλκὸς ὑπὸ χρόνου, ἀλλὰ σὸν οὔτι Κῦδος ὁ πᾶς αἰὼν, Διόγενες, καθελεῖ.* Albinov. de Obitu Maecen. 37. *Marmorea Aonii vincunt monumenta libelli. Vivitur ingenio, caetera mortis erunt.* v. interpr. et Burm. Anthol. Tom. I. p. 448. et Propert. III. 1. 63. Et quid

Post mortem ducibus; non celeres fugae,
Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae,
Non incendia Carthaginis impiae,
Eius, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides. Neque,
Si chartae sileant, quod bene feceris,

opus erat tantopere laudare Musas Ennianas, si ducibus per marmora *vita* et *spiritus* rediret? Iam novimus apud poëtas simulacra *vivere* et *spirare*. Neque culpaverim mortuis vitam in statua quasi redire. Sed κακόζηλον est, mortuo *redire spiritum*, ipsam vitae actionem. Credo auctorem cogitasse Horatiana IV. Carm. 9. *Spirat adhuc amor, vivuntque calores.*

Non celeres fugae. Non marmora, non fuga reiectaeque Hannibalis minae clarius indicant laudes Scipionis, quam Ennius. Putabam reiectas Hannibalis minas esse ipsas Scipionis laudes, cuius gloria in ea re cerneretur. Hae laudes efficiebant argumentum carminis Enniani. Ut hoc incommodum evitent, nonnulli exponunt in marmoribus inscriptum esse, Hannibalem celeriter fugisse, vel *ipsam fugam* in marmore excisam. Sed verba, ut nunc leguntur, talem interpretationem non ferunt, et audissemus, credo, aliquid, de monumento tam artificioso, quod Romani Africano posuissent. Pro *celeres fugae* in MS. inveni *celeris fuga.*

Non incendia Carthaginis impiae. In Bibl. Critica Nova Vol. I. pag. 126. hanc coniecturam proposui: *Non Carthaginis incendia perfidae.* Eam nunc repudio, et cum Bentleio versum eiicio. Quod idem censet faciendum Buttman. Mythol. II. p. 367.

Lucratus rediit. Ne quis humile putet *lucratus*, sicuti putavit T. Faber. Cogitemus Scipionis dictum apud Valer. Maxim. III. 7. *Cum Africam totam potestati vestrae subiecerim, nihil ex ea, quod meum diceretur, praeter cognomen, retuli.* Hoc unicum erat Scipionis lucrum. Alii alia lucra spectabant.

Si chartae sileant, quod bene feceris. Nota sententia, et a multis illustrata. Addo Vopiscum in Probo 2. *Cn. Pompeium, tribus fulgentem triumphis, multarumque rerum gestarum maiestate sublimem, quis tandem nosset, nisi eum M. Tullius et T. Livius in literas retulis-*

Mercedem tuleris. Quid foret Iliae
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
Virtus, et favor, et lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori;
Coelo Musa beat. Sic Iovis interest
Optatis epulis impiger Hercules:
Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates:
Ornatus viridi tempora pampino
Liber, vota bonos ducit ad exitus.

sent? P. Scipionem Africanum, imo Scipiones omnes, nonne tenebrae possiderent et tegerent, nisi commendatores eorum historia nobiles atque ignobiles extitissent?

Sic Iovis interest optatis epulis. Auctor Dialogi de Causis Corruptae Eloquentiae, Tacitus, ut puto, 12. »*Nec ullis aut gloria maior, aut augustior honor. Primum apud Deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur.*

CARMEN IX.

Ne forte credas interitura, quae,
Longe sonantem natus ad Aufidum,
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis.
Non, si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent,

CARMEN IX.

Sententia carminis, ut nunc legitur, hoc ordine procedit: »Ne crede, Lolli, mea carmina esse interitura. Si Homerus principapatum inter poëtas tenet, magna tamen est Pindari aliorumque Lyricorum gloria. Plura bella olim fuerunt, quam Troianum, plures fortitudine eluxerunt, quam Agamemnon. Sed, quia vate caruerunt, ignoti sunt. Ego non committam, ut tuae virtutes per me non praedicentur." Iam inter priora illa: »Mea carmina non peribunt, fuere multi fortes ante bellum Troianum, sed ignoti, quia non vatem habuere;" nulla est connectio, sed impeditior cogitationis cursus. Credo Grammaticos, qui hoc carmen interpolaverunt, etiam versuum ordinem mutavisse, et Horatium scripsisse, ut indicabo, positis cuiusque tetrastichi primis versibus.

Non sola comtos arsit adulteri.
Visere fortes ante Agamemnona.
Paullum sepultae distat inertiae.
Impune, Lolli, carpere lividas.
Vindex avarae fraudis et abstinens.
Iudex honestum praetulit utili.
Nec forte credas interitura quae.
Non si priores Maeonius tenet.
Nec si quid olim lusit Anacreon.

Quo facto sententia exoritur facilis et expedita. »Bellum Troianum et viri in eo bello clari, omnium sermonibus celebrantur. Sed fuere plures istiusmodi homines, nunc tamen ignoti, quia vate caruerunt. Ita nemo mercedem virtutis habet, sine poëta. Hoc tibi, Lolli, quantum in me erit, non accidet. Dicam enim laudes tuas. Nec forte credas mea carmina esse interitura. Non sum Homerus. Sed vivunt etiam, qui Homero minores sunt."

Ne forte credas. Ordine versuum, ut dixi, mutato, emen-

Ceaeque, et Alcaei minaces,
Stesichorique graves Camenae:
Nec, si quid olim lusit Anacreon,
Delevit aetas: spirat adhuc amor,
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.
Non sola comtos arsit adulteri
Crines, et aurum vestibus illitum
Mirata, regalesque cultus,
Et comites, Helene Lacaena:
Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non semel Ilios

dandum erat: *Nec forte credas.*

Stesichorique. MS. Franck. *Therstichoriche.* Supra positum: *pitagoricus.* Hinc autem Sidon. Apollin. Carm. IX. 217. *Vel plus Stesichori graves Camoenas.*

Nec, si quid olim lusit Anacreon, Delevit aetas. Vetus interpres Virgilii ad Eclog. VI. 1. a Maio ex Cod. Palimps. editus: »*Nec sicut olim lusit Anacreon vel Veronensis Catullus:* Cui domo lepidum - - meas esse aliquid putare nugas. *Item Horatius:* Ibam forte via sacra sq." Malum hic locus Horatii fugit, quod ex eo etiam apparet, quia *Anacreontem* retulit in indicem Scriptorum a Grammatico citatorum. Verba corrupta sic emendemus: »*Horatius:* Nec si quid olim lusit Anacreon Delevit aetas. *Catullus:* Cui domo sq. *Item Horatius:* Ibam sq." Ex verbis *item Horatius*, coniicio nomen Horatii supra esse omissum. Ipsa verba *delevit aetas* non distinguere potuit, credo, et effoxit *vel Veronensis.*

Non sola comtos arsit adulteri. Bellum Troianum significans, nominavit Helenam auctorem, Agamemnonem vindicem, qui erat rex regum.

Primusve Teucer tela Cydonio. Laetum Grammatico argumentum rei ex Homero amplificandae. Bellum Troianum satis intelligimus ex Helena et Agamemnone. Sed quia Horatius dixerat *multi fortes vixere*, Grammatici glossam facientes, nonnullos nominarunt eosque elegerunt, qui metro apti essent. Horatius Achillem, Ai-

Vexata: non pugnavit ingens
Idomeneus, Sthenelusve solus
Dicenda Musis proelia: non ferox
Hector, vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Coniugibus, puerisque primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrymabiles
Urguentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.
Paullum sepultae distat inertiae
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores

cem et Diomedem non omisisset. De Deiphobo, certe ut minorum gentium, tacuisset. Ante oculos habuisse videtur I. Carm. 15. ubi etiam Teucer et Sthenelus laudantur. Sed in maiore aliorum numero, et alia quadam ratione. Quam odiosae praeterea repetitiones: *Non sola, primusve, solus, primus. Cydonia tela* sumsit ex Horat. I. Carm. 15. *calami spicula Gnossii:* inque versu formando secutus est Virgil. Eclog. X. 59. *Partho torquere Cydonia cornu Spicula.* Talia Grammaticis erant notissima, Panegyristis quoque, v. c. Eumenio de Constantino cap. 8. *Non enim ulla Persarum Cydonumve tela tam certis iactibus destinata fixerunt.*

Non semel Ilios vexata. Ovid. II. Trist. 318. *Vexata est iterum carmine Troia meo.*

Dicenda Musis proelia. Horat. IV. Carm. 4. *Proelia carminibus loquenda.*

Pro pudicis Coniugibus. Si voluit *coniugibus Troianorum*, additum aliquid oportebat, ne acciperemus coniuges Hectoris et Deiphobi. De Deiphobo hoc inprimis ridiculum, qui, mortuo Paride, uxorem duxerit Helenam.

Paullum sepultae distat inertiae Celata virtus. Sepultum dicitur omne illud, quod e conspectu et memoria hominum est

Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens, et secundis
Temporibus dubiisque rectus;

sublatum et deletum, quod est *solutum*, *finitum*. Eo referre possis omnia exempla, laudata et varie exposita a viris doctis ad Propert. III. 13. Ovid. Heroid. X. 76. Petron. pag. 676. Claudian. I. Eutrop. 211. et Anthol. Latin. Burm. Tom. I. pag. 586. Iam sive inertiam *sepultam* hic dicas oblivione *obrutam*, sive *finitam*, neutra significatio convenit. Quare Bentleius volebat: *Paullum sepultae distat inertiâ Celata virtus.* Hac nempe sententia: Viva virtus, inertiâ poëtarum celata, paullum distat virtuti sepultae. In qua emendatione mihi non placet *inertiâ* sic solum positum, sine addito nomine *vatum*. Neque recte accuses vatum inertiam, quippe qui illis temporibus, diu ante Homerum, laudes heroum diligenter canerent, sed infelicitatem heroum, quibus virtutum non obtigerit praeco tam praeclarus, ut cantus illius, sicuti Homerici, memoria servati fuerint. Scribendum censeo: *Paullum sepulti distat inertiae Celata virtus.* Virtus hominis sepulti, si celata sit neque ad posterorum notitiam venerit, paullum distat ab inertia. Parum refert, fueris homo fortis an iners, κάτθαν' ὁμῶς ὅ τ' αἰργὸς ἀνὴρ, ὅ τε πολλὰ ἐόργως, nisi tuae laudes post mortem tuam a poëtis vulgentur. Dum vivis, tui aequales de te loquuntur, de inertibus silent. Inertes iam tum sepulti sunt. Sed quum et tu moreris, in eodem eris silentio, in quo sunt inertes, quia vate cares, tua gloria per vatem ad nos non pervenit. Eadem plane sententia est in Cicerone pro Archia cap. 10. *Nisi Ilias illa extitisset, idem tumulus, qui corpus Achillis contexerat, nomen etiam obruisset.* Hoc nempe accidisset Achilli mortuo, *sepulto*, viventi accidere non potuit. Auson. Prof. Burdig. X. *Ne pariter tumulus nomen et ossa tegat.* Similis est sententia Ovidii XIII. Metam. 446. *Obrutaque est mecum virtutis gratia nostrae.* Sueton. August. 18. *Augustus, viso cadavere Alexandri, rogatus an et Ptolemaeos inspicere vellet*, dixit: »Regem se voluisse videre, non mortuos." Iohannes Sarisber. Polycrat. Prolog. pag. 1. *Eadem est asini et cuiusvis Imperatoris post modicum tempus gloria, nisi quatenus memoria alterutrius scriptorum beneficio prorogatur. Quot et quantos er-*

Vindex avarae fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae:
Consulque non unius anni,
Sed quoties bonus, atque fidus

litteris fuisse reges, de quibus sermo nusquam est aut cogitatio? Inutiliter eis geruntur egregia, perpetuis tenebris obducenda, nisi literarum luce clarescent. Gualter. Alexandr. I. 494. *Post mortem cineri ne desit fama sepulto.* VI. 98. *Vivere per famam dabitur post fata sepultis.*

Vindex avarae fraudis, et abstinens. Omnino scribendum *Vindex avarae ex fraudis.* Quod refertur non amplius ad animum Lollii, sed ipsum hominem. Iam melius appellatur animus prudens et aequus in utraque fortuna, et homo vindex fraudis et abstinens pecuniae; sed emendatio nostra imprimis necessaria est, quia alioquin idem animus diceretur *consul non unius anni* et *iudex honestum utili praetulit*, et *alto vultu dona reiecit.* Nam nihil affectatum est, si hoc non est. Itaque Faber et Dacierius negarunt ista ullo modo posse excusari. Bentleius magna exemplorum copia, similium ut putat, Horatium defendit. In his legitur *animus contemtor, victor, rex, rector, dominus, liberator, carnifex, proscriptor, censor.* Habeo etiam alia in promtu, sed nullum ad Horatii caussam valere arbitror, ne Prudentii quidem Cathem. VII. 200. *imperator late triumphans spiritus.* De *animo victore, contemtore* caeteris tacebo. Centena sunt exempla apud Cort. ad Sallust. Iugurth. 64. Richterum Observ. Crit. pag. 65. et Iensium Lect. Lucian. I. 8. Nam haec significant animum *vincentem, contemnentem.* Sed Bentleius praecipue fidit animo *proscriptore, carnifice, censore.* Plin. Histor. Natural. VII. 12. *Ut ille proscriptor animus, modo et contumelia furens, non aliud in censu magis et fortuna sua duceret.* VII. 7. *His principiis nascuntur tyranni, his carnifex animus.* Seneca de Ira III. 36. *Cum aut laudatus est animus aut admonitus, et speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis.* Haec autem nihil differunt a superioribus. Animus enim *proscriptor* Antonii, est Antonii *proscribentis;* animus hominis *carnifex*, est hominis *carnificantis; speculator* et *censor*, *speculantis* et *censentis*, qui munere quasi censoris fungitur, et sui

Iudex honestum praetulit utili, et
Reiecit alto dona nocentium

quidem censoris: sicuti etiam Arnobius dixit VII. pag. 239. *Deis dicere et consecrare turpissimas res, quas censor animus respuat.* Ad hanc normam explicari debebit *animus consul*, hoc est, *consulens*, qui facit, quod consules facere solent: ita Iupiter *consul* vel *consulens* apud Vopiscum in Firmo cap. 3. quem Graeci, ut annotavit Casaubonus, vocant διὰ βουλαῖον, et poëtae βουληφόρον. Hoc iam intellectu difficile est, sed ineptum fit, si cogites *consul non unius anni*. Omnes actiones, quae animo tribuuntur, sunt corporeae, a corpore ad animum translatae. Sed his actionibus sana ratio modum et fines posuit, ultra quos non progredi licet. Atque hoc praecipue tenendum in *alto vultu animi*, cuius dictionis patrocinium etiam Bentleius suscepit. Si recte dicam animus *dona reiicit*, non recte addo *vultum*. Animus sibi omnia *subiicit*. An *manibus*, *pedibus*, *humeris*? Animus luctu *refugit*. An *celeri gradu*? Animus perversas opinionis *imbibit*. An *ore avido*? Ne igitur Horatio putidum illud et affectatum de *animo* tribuamus, sed mutemus: *Vindex avaraе es fraudis.*

Iudex honestum praetulit utili. Hanc quoque elegantiam nostra emendatione lucrati sumus, ut *iudex* dicatur, *persona et officium iudicis*, ipsa *iustitia*. Vindex fraudis es, Lolli, et consul, non unius anni, ut fuisti, sed quoties iudex, tu iudicium exercens, honestum praetulisti utili, et dona nocentium alto vultu reiecisti. Exempla nonnulla apponam, unde dictionis venustas percipiatur. Ovid. XIII. Metam. 187. ubi Agamemnon negat filiam Bisaae immolare: *Atque in rege tamen pater est.* Iustin. I. 6. *Cyrus in Astyage nepotem magis quam victorem egit.* Petron. 97. *Petii ut saltem ostenderet fratrem.* Stat. Silv. III. 3. 152. *Blandus, et imperio nunquam pater.* Valer. Max. V. 1. *Caesar, oblitus hostis, soceri vultum induit.* Auson. Epist. IV. 25. *in partem scelerum de iudice transit.* Theon ille Paganus, ad quem scripta est epistola, fuit Irenarcha, ut puto. Plura vide apud Heins. et Burm. ad Ovid. VI. Met. 629. Cort. ad Lucan. I. 131. Gronov. Observ. I. 6. Cuperum Observ. I. 8. et Ruhnken. ad Terent. pag. 254. Caeterum Lollius erat consul, non unius anni, sed quoties iustitiam, spretis muneribus, ostenderet. Multi dicuntur consules, qui non merentur, neque re vera sunt. Cicero IX. Epist. 14. *Dolabellae*

Vultu, et per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.
Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque leto flagitium timet:
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

et gratulor et gratias ago: *quidem post te consulem possumus vere consulem re.* Prudent. Perist. II. 559. *Roma coelestis sibi Legit nem Consulem.* Trebellius lio in Valeriano cap. 2. *Valeri vita censura est. Valeri a prima pueritia censor t.* Stoicorum sententiam quo- expressit Ambrosius T. II. p. . *Sapiens semper liber est, per honoratus, semper is, praesit legibus.* Minus recte hanc rationem Cortius expo- Sallust. Iugurth. LXXXV. 12. *gerere, quam fieri poste, re atque usu prius est.* o enim ita sunt intelligenda: res bellicas gerere, quam sulem fieri, apud istos nobiles berius est, sed re ipsa et usu prius. Prius debebant res gerere, quam consules fieri, homines praeposteri.

Explicuit sua victor arma. Seneca Phoeniss. 628. *Licet arma longe miles et late explicet.* Animus victor sua *arma explicat*, aeque minus ferendum est, atque superiora.

Non possidentem multa vocaveris. Lollius laudatus erat tamquam abstinens, et utile honesto postponens, itaque rebus suis contentus. Ampl...catio sententiae per octo versus debetur, puto, glossatori. Ad argumentum quidem carminis plane non pertinet: versus magnam partem ex Horatio sunt conflati, et illa *non recte beatum vocaveris*, *rectius nomen beati occupat*, valde abhorrent a reliquorum gravitate.

CARMEN X.

O crudelis adhuc, et Veneris muneribus potens,
Insperata tuae quum veniet pluma superbiae,
Et, quae nunc humeris involitant, deciderint comae,
Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae,

CARMEN X.

Insperata tuae cum veniet pluma superbiae. Plumam intelligunt primam barbae nascentis lanuginem. Non patiuntur sequentia. Neque enim simul comae decidunt, nec color purpureus mutatur in faciem hispidam, ut se aliquis in speculo contemplans non esset agniturus. Bentleius legebat: *bruma*. Ego cogitabam: *Insperata tuae cum veniet ruga superbiae.* Monet Ligurinum ne superbiat florenti aetate et amicos contemnat: aetatem cito transire, venire rugas, decidere comas, faciem turpari. Usitatum hoc est poëtarum praeceptum. Tibull. I. 1. 69. *Interea, dum fata sinunt, iungamus amores. Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit, Dicere nec cano blanditias capite.* Ovid. II. Artis 116. *Et tibi iam canî venient, formose, capilli: Iam venient rugae, quae tibi corpus arent.* Trist. III. 7. 33. *Iste decens facies longis vitiabitur annis, Rugaque in antiqua fronte senilis erit. Cumque aliquis dicet: fuit haec formosa: dolebis, Et speculum mendax esse querere tuum.* Statius I. Silv. 2. 164. *nunquamne virili Submittere iugo? veniet iam tristior aetas; Exerce formam, et fugientibus utere donis.* Withofius coniiciebat: *poena*. Quod ingeniosum est, et Horatio dignum. Anthol. Lubini VII. 70. *Τὴν πολιὴν καλέω Νέμεσιν πόθον, ὅστις δικάζει Ἔννυμα, καὶ σοβαραῖς θᾶσσον ἐπερχομένη.* Pro *cum veniet* in Franck. est *conveniet*. Marbodus in Carmin. pag. 1617. Horatiana expressit, unde haec notanda: *Inplumesque genae grata dulcedine plenae. Tempus adhuc veniet, cum turpis et hispida fiet.* Markland. in Eurip. Supplic. pag. 259. etiam coniecit *ruga*, et apposuit Propert. III. 23. 32. *Et veniet formae ruga sinistra tuae.* Idem tamen praeferebat emendationem amici sui *poena*.

Et, quae nunc humeris in-

Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam:
Dices, heu! quoties te speculo videris alterum,
Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?

volitant, *deciderint comae*. Nemo Romanus intelliget comas cultro tonsorio decidentes, nisi cultri vel tondendi diserta mentio accesserit: ut Virgilius Eclog. I. 29. *tondenti barba cadebat*. Qui interpretantur *defluentes*, *per aetatem rariores factas*, hi *plumam* de *lanugine* barbae non accipere possunt. Hic autem locus in animo erat Prudentio Peristeph. III. 151. *Crinis odoros ut in iugulos Fluxerit*, *involitans humeris*.

CARMEN XI.

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus: est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis:
Est hederae vis

CARMEN XI.

Ego non praestare ausim, carmen esse Horatii. Hoc tamen unusquisque mecum sentiet, meliora, in simili argumento, de vena illius fluxisse. Deest illud castigatum et venustum, in quo Catullum, Propertium, Tibullum et Horatium agnoscimus. Verbo,

Multa, qua crines religata fulges.
Ridet argento domus: ara, castis
Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.

non apparet Latinus ille color aureae aetatis, neque in verbis, neque in rebus.

Multa, qua crines religata fulges. Linguae ratio postulat *fulgeas.* Et sic nonnulli coniecerunt, et ego inveni in MS. Voss. mutatum deinde in *fulges*, addita glossa: *solita es fulgere.* Synizesis ea *fulgeas* Horatio indigna est. Indignum *fulgas* a *fulgere* tertiae coniugationis, indignum *fulgis*, ut *edis* pro *edas.* *Edis* usu receptum et probatum fuit, *fulgis* et aliae formae, ab interpretibus propositae, aetate Horatii, non fuerunt. *Religata* ex I. Carm. 5. *Cui flavam religas comam.* Comam *religare* et *ligare* (nam haec non differre concedo Passowio ad Taciti German. 38.) est in *nodum colligere*, nodo cogere. Quomodo autem *corona* ex apio et hedera esse possit *nodus* quo crines religantur, intellectu difficile est. Corona crines *cingit*, *redimit*, *ornat.*

Ridet argento domus. Hoc de Catullo transtulit in Epithal. 284. *Quis permulsa domus jucundo risit odore.* Ruhnk. comparavit Hymnum Cereris vs. 13. Κηώδει δ' ὀδμῇ πᾶς οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν Γαῖά τε πᾶσ' ἐγέλασσε. Domus autem *argento ridens* tantum splendorem et divitias ostendit, quantas Horatius ubique se neque habere neque cupere declarat. Ille, qui auream mediocritatem commendans, felicem praedicavit eum, cui salinum paternum in tenui mensa splenderet, hic domum ostentaret argento nitentem?

Avet immolato Spargier agno. Iuvenalis imitatus est vs. 17. Horatii, ut annotarunt Scholiastae. Si totum hoc carmen sit Horatii, non dubito. Sed haec certe Horatio ex Iuvenale affinxerunt, Sat. XII. 1. *Natali, Corvino, die, mihi dulcior haec lux, Qua festis promissa Dis animalia cespes Exspectat: niveam Reginae caedimus agnam.* Caetera ducta sunt ex lib. I. Carm. 19. *Hic vivum mihi cespitem, hic Verbenas pueri ponite. Mactata veniet lenior hostia.* Sed habeo certius argumentum, quo demonstrem hos versus esse spurios. Homo Scholasticus fecit Horatium die Maecenatis natali aram sanguine agnae immolatae spargentem. Veteres autem illo die a caede et sanguine plane ab-

Cuncta festinat manus: huc et illuc
Cursitant mixtae pueris puellae:
Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertice fumum.

stinebant, ne, quod ex Varrone retulit Censorinus, *quo die ipsi lucem accepissent, aliis demerent.* v. Casaubon. ad Persii Sat. II. quem Ouzelius ad Minut. Felicem pag. 63. refutare voluit h. l. Horatii, et exemplis Alexandri Severi apud Lampridium, et Anton. Getae apud Spartianum. Ouzelius eam partem suae annotationis sumsit ex Lindenbrogio ad Censorinum cap. 2. qui eadem Severi et Getae exempla citavit. Sed illa tempora, quibus alia multa de veteri disciplina et religione fuerunt remissa et mutata, non faciunt ad aetatem Augustam. J. Rutgersius in Lect. Venus. cap. 2. pag. 237. etiam negat privatis natalibus sanguinem fundere nefas fuisse, idque probat ex h. l. Horatii, nam neque Rutgersius de versibus spuriis cogitavit, et ex Iuvenalis Satyr. XI. 84. *Et natalitium cognatis ponere lardum, Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.* His Rutgersius tertium argumentum addidit hoc, quia Varro dixit: *id moris institutique maiores nostri tenuerunt.* Ergo non aetate Varronis, ait vir eximius. Imo Censorini, qui vivebat etiam sub Severo. Rutgersius locum Censorini non accurate inspexit. Haec enim sunt verba: *Hic forsitan quis quaerat, quid caussae sit, ut merum fundendum Genio, non hostiam faciundam, putaverit? quod scilicet, ut Varro testatur in eo libro, cui titulus est Atticus, et est de numeris, id moris institutique maiores nostri tenuerunt, ut, cum die natali munus annale Genio solverent, manum a caede et sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent.* Apparet Censorinum laudare *suos maiores*, quod saepe alibi facit. De Iuvenale idem dicere possem, quod de Severo et Geta. Nam et hic post Augustum vixit. Et ex aetate Augusti nullum tale exemplum invenitur, non in Tibullo, non in Ovidio, qui festum natale accuratissime describunt, adeo ut *hostiam*, si mactata fuisset, omittere non potuerint. Sed verba Iuvenalis alia ratione explicanda esse arbitror. Praecedunt nimirum hi versus: *Sicci terga suis, rara pendentia crate, Moris erat quondam festis servare diebus.* Loquitur universe de festis diebus, et ex-

Ut tamen noris, quibus advoceris
Gaudiis; Idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris marinae
Findit Aprilem:
Iure sollemnis mihi, sanctiorque
Paene natali proprio, quod ex hac
Luce Maecenas meus affluentes
Ordinat annos.
Telephum, quem tu petis, occupavit,
Non tuae sortis iuvenem, puella

empli causa, in medio, citat diem natalem, addens, lardo, quo non nisi festis diebus utebantur, interdum accedere novam carnem, si quam ex hostia, festo die, quicunque is fuerit, mactata, nancisci possent. Iam iste dies festus non necessario est natalis, ut neque hostia necessario est, quam iidem, qui parte vescuntur, mactaverunt. Nam hoc est alterum frugalitatis et parcimoniae indicium. Rara erat recens caro, neque semper in promtu apud lanios. Itaque de victimis emebatur, et vendebatur. Hoc, ut avaritiam, in Atheniensi notavit Theophrastus Char. Eth. 22. ubi vide Casaub. Flavius Vopiscus in Tacito 11. *Hostias suas semper domum revocavit, iisdemque suos vesci iussit.* Denique Horatius in Carminibus nunquam utitur forma antiqua infinitivi *spargier.* Alia res est in Epistolis et Satyris.

Cuncta festinat manus. Bicceres lautissimum multis hominibus apparari convivium, et solam Phyllidem invitat. Puellae pueris mixtae, ad cibos coquendos et in mensam ferendos, non Romanum est. Soli servi faciebant.

Quibus advoceris Gaudiis. Horatius in sequenti carmine *convivium* vocat *gaudia.*

Sanctiorque Paene natali proprio. Plinius III. Epist. 7. *Virgilii natalem religiosius quam suum celebrabat.* Pontius Paullin. Carm. p. 42. *Natalis tuus felis natali proprio mihi carior. Ista dies ergo et nobis solemnis habenda Quae tibi natalis.* Censorinus de Die Natali 3. *Nefas arbitror, si diem tuum, qui te mihi in hanc lucem edidit, meo illo proprio negligentius celebravero.*

Quod ex hac Luce. Qui *dies*

Dives et lasciva, tenetque grata
Compede vinctum.
Terret ambustus Phaëthon avaras
Spes: et exemplum grave praebet ales
Pegasus, terrenum equitem gravatus
Bellerophontem:
Semper ut te digna sequare, et, ultra
Quam licet sperare nefas putando,
Disparem vites. Age iam, meorum
Finis amorum,
(Non enim posthac alia calebo
Femina) condisce modos, amanda
Voce quos reddas: minuentur atrae
Carmine curae.

mihi sanctior est, quod ex hac *luce*: parum Latina videntur.

Pegasus, terrenum equitem gravatus. Locus paullo aliter est distinguendus: *Pegasus, terrenum equitem gravatus, Bellerophontem.* Ut intelligatur Pegasus praebuisse Bellerophontem grave exemplum, idque eo ostendisse, quod gravabatur terrenum equitem. *Gravatus*, quod tamen sono haud ita suavi statim sequitur vocem *grave*, explicavit Graevius ad Iustin. XX. 3. et interpr. ad Lucan. V. 258. ut Graecum, βαρυνόμενος ξυντυχίαν Cratini, Priscianus. Vide Spengelium ad Varronem de Lingua Latina pag. 614. Adde Arntzenium ad Plinii Panegyricum 45.

CARMEN XII.

Iam veris comites, quae mare temperant,
Impellunt animae lintea Thraciae:
Iam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, et Cecropiae domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistula,

CARMEN XII.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens. Tria nostra MSS. *Itys*, *Ichis*, *Hithis*, cum glossa interlineari *fassa*. Glossator voluit *phassa*, in quam Ityn fuisse mutatum nonnulli tradiderunt. v. Serv. ad Virgil. Eclog. VI. 78. et Muncker. ad Hygin. Fab. 45. *Phassa* Romanis est *palumbes*. De palumbe Plinius Nat. Hist. X. 35. *Cantus omnibus similis atque idem, trino conficitur versu, praeterquam in clausula, gemitu: hyeme mutis, vere vocalibus.* Si igitur *Itys* vera esset lectio, dixisset Horatius: Palumbes nidum ponit, flebiliter gemens, avis infelix et opprobrium domus Cecropiae, quod illa domus, Procne scilicet et Philomela, tam crudeliter ulta est Terei libidines. Itys magis dicendus *infelix avis*, qui crudeliter interfectus sit, quam Procne vel Philomela, quae Ityn interfecerunt. Itys opprobrium, ut Homer. Iliad. II. 498. *Σοὶ γὰρ ἐγὼ καὶ ἔπειτα κατηφείη καὶ ὄνειδος.* Callim. Hymn. Deli 240. *Ζηνὸς ὀνείδεα.* Theocrit. Eidyll. A. 103. *Δάφνις κ' εἰν ἀΐδᾳ κακὸν ἔσσεται ἄλγος ἔρωτος.* Silius VI. 84. *Te vidi crimen culpamque Tonantis, Occidere.* Lucan. II. 266. *Quis nolit scelus esse tuum.* Lucilius de Aetna 584. *Tu quoque Athenarum crimen Erigone.* v. Cort. ad Lucan. V. 59.

Delectantque Deum, cui pecus et nigri
Colles Arcadiae placent.
Adduxere sitim tempora, Virgili:
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, iuvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quae si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tinguere poculis,
Plena dives ut in domo.
Verum pone moras, et studium lucri:
Nigrorumque memor, dum licet, ignium,
Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.

Delectantque Deum. MS. Voss. *Delectanteque:* postea mutatum in *delectantque.*

Accubat horreis. MS. Voss. *decubat.* Supra *de* posito *ac.*

Ad quae si properas gaudia. Locum ante oculos habuit Auson. Epist. X. 35. *Ad quae si properas, tota cum merce tuarum Veni Camenarum citus.*

Meditor tinguere poculis. Hedylus in Epigrammatibus apud Athen. XI. 45. *Ἀλλὰ κάδοις Χίον με καταβρέχε.*

Et studium lucri. Ex illo lucri studio veteres et recentiores plurimi interpretes fecerunt Virgilium Maronem, mercaturae deditum, sive alium Virgilium mercatorem. Iocatur Horatius. Vinum mereberis nardo: immunis apud me non eris. Lucrum non facies, ego ita damnum meum cavi. Ne morare igitur, deliberans, utrum tua nardus pluris sit, quam meum vinum. Ex isto errore orti sunt tituli in quibusdam MSS. *Ad Virgilium negotiatorem.*

CARMEN XIII.

Audivere, Lyce, Dî mea vota, Dî
Audivere, Lyce. Fis anus, et tamen
Vis formosa videri,
Ludisque, et bibis impudens,
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas. Ille virentis, et
Doctae psallere Chiae
Pulchris excubat in genis:
Importunus enim transvolat aridas
Quercus, et refugit te, quia luridi

CARMEN XIII.

Audivere Lyce. Fis anus, et tamen. Horatius Deos oraverat, ut Lyce superba, anus fieret, non, ut etiam anus luderet, et formosa videri vellet. Hoc enim a natura proprium habent istiusmodi mulieres. Locus omnino ita distinguendus est: *Audivere Lyce: fis anus. Et tamen vis formosa videri.*

Pulchris excubat in genis. Haec cum Graecis iam comparavit Muretus Variarum Lectionum XI. 20.

Importunus enim transvolat aridas Quercus. Horatius in hoc carmine multa de Graecis fontibus hausit, quae interpretes non effugerunt. Hic comparandus erat Plato in Symposio pag. 296. *Ἀνανθεῖ γὰρ καὶ ἀπηνθηκότι, καὶ σώματι καὶ ψυχῇ, καὶ ἄλλῳ ὁτῳοῦν, οὐκ ἐνίζει Ἔρως. οὗ δ' ἂν εὐανθής τε καὶ εὐώδης τόπος ᾖ, ἐνταῦθα καὶ ἵζει καὶ μένει.* Athenaeus IV. pag. 133. *Φυγοῦσα γ' οὖν σε καὶ τοὺς σοὶ παραπλησίους ἡ ἀρετὴ, ἡδονῇ παρακάθηται.* Quae Athenaeus ex antiquiore sumsit. Inprimis hoc referatur fragmentum Anacreontis, quod in ed. Fisch. pag. 431. sic legitur: *Ἔρως μὲν εἰωθὼν ῥεν Ὑποπόλιον γένειον, Χρυσοφαεννῶν πτερύγων Ῥιπῇ, αἰθεσὶς ὅμοιος, Παρπέταται.* *Importunus* est superbus. Unde tyranni *importuni*. v. Duker. ad Flori I. 8.

Refugit. MS. Voss. *refugit:* cum glossa *eradicat.* In margine correctum *refugit.*

Dentes te, quia rugae
Turpant, et capitis nives.
Nec Coae referunt iam tibi purpurae,
Nec clari lapides tempora, quae semel
Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.
Quo fugit Venus? heu! quove color? decens
Quo motus? Quid habes illius, illius,
Quae spirabat amores,
Quae me surpuerat mihi.

Capitis nives. Multi hanc translationem reprehenderunt. Est Graeca γήραϊ νιφόμενος, eamque non pauci sua imitatione comprobarunt. Prudent. Praefat. 25. *Sub quo prima dies mihi, Quam multas hyemes volverit et rosas Pratis post glaciem reddiderit, nix capitis probat.* Ennodius Epist. 24. *Tibi apparuit inauspicata nix capitis.* Iosephus Parisianus T. VII. Poët. Ital. pag. 82. *nigraque tempora Spargit Thrēcia tristis hyems nive.* Neque poëtae orientales eam metaphoram refugiunt. Memoratur dictum Sadi, vatis et Gnomici Persae: *Nix annorum sedet in capite meo. Et tamen animis sum iuvenis.* Sozomenus Hist. Eccles. III. 20. Λέγεται δὲ τῆς κεφαλῆς ἐφαψάμενος, ὑπὸ πολιᾶς λευκῆς, εἰπεῖν· ὡς ταυτησὶ τῆς χρόνος λυθείσης, πολὺς ἔσται πηλός.

Nec clari lapidis. Cari, quod in MSS. legitur, ortum videtur ex scriptura *chari*, corruptum ex *clari*. *Clari* proprium fere gemmarum epitheton. *Lucida gemma* apud Ovidium. Adde Stat. I. Achill. 297. Tertull. de Cultu Fem. cap. 10. Ammian. Marcell. XXIII. 6. Serv. ad I. Aen. 643. Haec annotavit ad h. l. Broukhusius. Quibus addi multa possent, v. c. Ciceronem in Verrinis saepe dicere *clarissimas gemmas*, alia. Sed et gemmae saepe appellantur *carae*, ut ostendit, et praefert Bentleius: idque eodem fere redit, quia quae *clarae* sunt, sunt etiam *carae*. Ad ornatum significandum, magis mihi valere videntur *clarae*.

Notis condita fastis. Burman. ad Valer. Flacci I. 531. significationem adiectivi *condita* h. l. non satis perpendit.

Quae me surpuerat mihi. Si-

Felix post Cinaram, notaque et artium
Gratarum facies? Sed Cinarae breves
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem
Cornicis vetulae temporibus Lycen:
Possent ut iuvenes visere fervidi,
Multo non sine risu,
Dilapsam in cineres facem.

pius Ital. IV. 403. *Quis vos, heu, vobis pavor abstulit?*

Dilapsam in cineres facem. Nonnulli h. l. minus recte defendunt alteram lectionem *delapsam*, v. Bentleius. *Labi*, *collabi*, *delabi* et *dilabi* in cineres de aliis rebus dicitur, faces tantum *dilabuntur*. Ovid. II. Metam. 628. *In cineres labi.* Valer. Maxim. V. 3. *In cineres collabi passus non fuerat.* Lactant. II. 4. *Tecta consumta incendio, dilabuntur in cinerem.* XIII. 13. *Viperam exustam in cineremque dilapsam.* Ad exemplum Horatii Ios. Scaliger bene correxit Lucilii de Aetna vs. 425. *In cinerem pulvis tresque iacet dilapsus arenas.* De vocabulorum permutatione v. Ernest. ad Taciti Annal. IV. 43. Locum Horatii negligenter imitatus est Huetius Carm. pag. 82. *Dilapsamque facem in cineres suscitas.* Hoc enim fieri non potest. Pro *in cineres* quaedam MSS. hic habent *in cinerem*, et Burm. ad Anthol. Tom. I. pag. 89. putat singularem esse magis poëticum. Equidem nihil hic poëtici cerno, sive dicas *cinerem* sive *cineres*, nam utrumque Latinum est, neque alterum utrum poëtis proprium. Hic quidem sonus omnino postulat *cineres*. Quare et Bentleius servavit.

CARMEN XIV.

Quae cura Patrum, quaeve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum
Per titulos memoresque fastos
Aeternet? O, qua Sol habitabiles
Illustrat oras, maxime principum,
Quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper,

CARMEN XIV.

Quae cura Patrum. Cura est amor. Hoc autem carmen et multis modis esse interpolatum iudico, et a sequenti divulsum per eundem Grammaticum, qui suos versus inseruit. Porphyrio ad initium Carm. XV. annotavit: *Quidam separant hanc Oden a superiore, sed potest illi iungi, quoniam hic laudes dicuntur Augusti.*

Aeternet. Aeternare in aevum, mihi nunquam placere potuit. *Aeternare* iam significat aeternum facere: *in aevum*, ut *per aevum*, idem est atque *in aeternum*. Unicus locus, in quo *aeternare* praeterea invenitur, est Varronis apud Nonium: *aeternare literis ac laudibus. In aevum* est apud Propert. III. 3. 19. *hoc sit in aevum, Cernis ab Aenea quod superesse caput.* Priscian. de Laude Anastasii 152. *delevit in aevum. Per aevum* est apud multos poëtas, quorum exempla collegit Bentleius ad Carmen Saeculare vs. 26. Dixisset igitur Horatius *aeternum facere in aeternum.* Tacent omnes interpretes, et probare videntur formulam, ut castigato scriptori convenientem. Tanta nimirum vis est consuetudinis, quae efficit, ut, quod iam pueri legimus et admirari didicimus, etiam viri imprudentes feramus, nec corruptum esse vel suspicemur. Horatius sine dubio vitasset verbum et substantivum eiusdem originis in ea caussa, quae multum diversa est a *ludere ludum*, *servire servitutem*, caeteris. Liberemus poëtam his sordibus, et repona-

Quid Marte posses. Milite nam tuo

mus: *Auguste, virtutes in aevum Per titulos memoresque fastos Extendet.* In MSS. aciem oculorum intendas necesse est, si discernere velis *aeternet* ab *extendet*. *Extendere*, et *extendere in aevum* vere Latinum est. Horat. II. Carm. 2. *Vivet extento Proculeius aevo.* Virgil. X. Aen. 468. *famam extendere factis.* Statius I. Theb. 607. *Famam posthabita facilis extendere vita.* v. Barth. et interpretes ad Virgil. VI. Aen. 807. et Oudendorp. ad Appul. Metam. pag. 360. Pro *extendere* alii etiam aliis verbis utuntur, ut Manil. V. 469. *Quis in cuncta suam produxit saecula vitam.* Lucan. I. 448. *Vos quoque, qui fortes animas belloque peremtas Laudibus in longum vates dimittitis aevum.* Sidon. Apollin. Carm. II. 188. *Quidquid in aerum Mittunt Euganeis Patavina volumina chartis.* Est et Graecum ἐκτείνειν βίον. Eurip. apud Plutarch. Moral. T. II. p. 436. Μισῶ δ' ὅσοι χρήζουσιν ἐκτείνειν βίον Βρωτοῖσι καὶ ποτοῖσι. Sed magnum emendationis meae praesidium est in Symmacho Epist. X. 32. qui aperte Horatium imitatur: *Praetextatus, quem Consulem iure feceratis, ut fasti memores celebre nomen extenderent.* Nae ille scripsisset *aeternarent*, si in Horatio vidisset, quod nos videmus. Sic et Gualterus Alexandr. I. 181. *Aeternum extendes in saecula nomen.*

Quid Marte posses. Milite nam tuo. Versus a me notati tam male inter se ipsi, et cum aliis, quos genuinos habeo, cohaerent, tantis quoque difficultatibus laborant, ut non putem eos ab Horatio esse compositos. Videamus, quomodo sententia incepta procedat et ad finem perducatur. »Quibus honoribus tua virtutes, Auguste, aeternitati consecrabimus? O maxime principum, quem Vindelici nuper cognoscere. Nam Drusus cum tuis militibus Genaunos et Brennos vicit. Hic Tiberius tuis auspiciis Rhoetos pepulit, et se in proelio fortissime gessit, dum tu milites et consilium et tua auspicia dabas. Iam tertio lustro post captam Alexandriam Fortuna prosperos exitus huius belli dedit, et tibi iam parent omnes totius terrarum orbis gentes." Hic est ordo carminis. Quem nemo probet. Iam oratio videtur non hominis ingenio et sana ratione utentis, sed illius potius, qui parum cogitans unde sit profectus, et oblitus quo rem velit deducere, in medio interim multa aliena effundit, et pueri instar garrit. Horatius dixerat: *Quem Vindelici didicere*

Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque veloces, et arces
Alpibus impositas tremendis,
Deiecit acer, plus vice simplici:
Maior Neronum mox grave proelium

nuper. Accommodata ad h. l. est glossa: »Nam Drusus et Tiberius Vindelicos et gentes Alpinas auspiciis Augusti vicerunt." Hoc noverat Grammaticus ex Horatii IV. Carm. 4. Caeterum color orationis similis est in Ammiano Marcellino XXXI. pag. 476. *Post inflictas rei Romanae clades immensas, ultimis proeliis per duces amplissimos superati, quid potestas Martia de habitu prudentiae valeat, radicitus exstirpati, discriminibus didicere supremis.*

Drusus Genaunos, implacidum genus. Si *didicere* supra interpretari velis, ut sine dubio Horatius intelligi voluit, *novere, sensere cum damno et clade sua*, haec de victis Genaunis non patiuntur. Nunc enim sententia ita concipienda est: »Vindelici nuper didicere quid bello posses; nam Drusus Genaunos vicit." Vindelici igitur non ipsi victi intelliguntur, sed exemplo gentium vicinarum, quas Drusus vicit, didicere, viderunt, quid Marte posses. Grammaticus autem hic memor erat versus Ovidiani: *Quid morsistis oves, placidum genus.*

Arces Alpibus impositas. Horatius II. Epist. 1. 252. *Terrarumque situs, et flumina dicere, et arces Montibus impositas.* Qui locus Grammatico ante oculos versabatur.

Deiecit acer, plus vice simplici. Quid sit *plus vice simplici*, nemo facile dicet. Alii *plus semel, non semel.* Sed hoc Latinis auribus inauditum, et, si auditum, hoc loco plane prosa est. Alii *proelium* per *vicem* intelligunt. Sed, ne alia dicam, tum Romani utuntur plurali: Servius ad Virgil. II. Aen. 433. »*Vices* significant *pugnam*, quia per vicissitudinem pugnabatur, ut inquit Sallustius. Legimus etiam *poenas vices* dici. Horatius. *Vicesque superbae te maneant ipsum.*" Atque hanc significationem *poenae ultionis* alii hic praeferunt. Sed *vices* pro *ultione* fere ponuntur, quando par pari refertur. Drusus deiecit Genaunos ex Alpibus plus vice simplici; ergo Genauni eum antea deiecerant, ut nunc vicem redderet. Quod non verum est. Et sic instituendus erat talis verborum ordo: Drusus deiecit Genaunos vice plus

Commisit, immanesque Rhaetos
Auspiciis pepulit secundis:
Spectandus in certamine Martio
Devota morti pectora liberae.

simplici, hoc est, *plus quam simplici*. Quod esset obscurum et ambiguum. Addendum in tali re *quam*. Ita Lucan. I. Phars. 1. *Bella plus quam civilia*. Credo Grammaticum *plus vice simplici* pro *saepius* adhibuisse. Hoc certe non magis pedestre est, quam quod sequitur: *Maior Neronum mos grave proelium commisit*. Quae verba Eutropio historico dignior sunt, quam poëta Lyrico.

Maior Neronum mos grave proelium. Sanadonus putat haec esse contra narrationem Velleii Paterc. II. 95. in qua Drusus dicitur *adiutor operis*, quod Augustus Tiberio iniunxerat: et credit Velleium haec scripsisse in gratiam Tiberii tunc viventis, et Druso iam mortuo. Sed non dubito, vera tradidisse Paterculum. Sic et Liv. Epit. CXXXVI. *Rhaetia a Tiberio Nerone et Druso Caesaris privignis, domita*. Suetonius quoque in Vita Horatii vocat *Vindelicam victoriam Tiberii Drusique*. Dicendum tamen, Drusum et Tiberium *partes divisisse*, ut scribit Velleius, ut parum referat, utrius gesta prius memorentur. Poëta autem servavit ordinem temporis, quod ex addito *mos* apparet. Sed hoc non probem, Drusi vix fieri mentionem, in Tiberio tot versus impendi. Praeterea carmen destinatum est laudibus Augusti, quod ex initio apparet. In eo carmine Horatius partem fere dimidiam non tribuisset laudibus Tiberii. Drusum et Tiberium cecinit in lib. IV. Carm. 4. data opera, et ab Augusto invitatus, idque fecit multo brevius ac parcius, quam hic Grammaticus fecit loco alieno. Denique Horatius ubique profitetur se a proeliis describendis abstinere: rem esse nonaptam suae lyrae. vide I. Carm. 6. et IV. 15. *Phoebus volentem proelia me loqui. Victas et urbes increpuit*. Quid autem est proelia loqui, si hoc non est?

Devota morti pectora liberae. *Devota* sunt vel *a fato*, vel quae se ipsa *devoverunt*. De *fato* vix bene additur *liberae*. Nam mors libera in milite honos est et beneficium. Fatum vero *devovet* rebus tristibus et duris. Si se ipsa devoverunt *morti liberae*, ambiguum est. Nam mors libera est vel quam ipsi petimus, nullo cogente, vel quam subimus liberi, nondum in servitutem redacti. Gram-

Quantis fatigaret ruinis:
Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster, Pleïadum choro
Scindente nubes: impiger hostium
Vexare turmas, et frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni praefluit Apuli,

maticum scripsisse puto: *Devota morti pectora libera.* Liberos homines, quos fatum morti devoverat. Virgil. I. Aen. 712. *pesti devota futurae:* ubi Servius narrat Augustum in oratione funebri Marcelli dixisse: *eum maturae morti devotum fuisse.*

Quantis fatigaret ruinis. Liviana sunt *strages similis ruinae, ruina fundi, in praeceps devolvi.* Aliorum, *ruinae prosternunt, feriunt, obterunt. Ruinis* aliquem *fatigare*, novum est.

Indomitas prope qualis undas. Non memini me apud bonum poëtam legere *prope* vel *fere* in comparatione. Hoc minuit gravitatem, adeo ut imagine minus afficiamur, moniti, rem comparatam non plane tamen esse similem, sed prope accedere. Itaque prosae scriptores, non amantes hyperbolas, sic loquuntur. Liv. II. 23. *Turba prope in concionis modum circumfusa.* Bentl. scribit *indomitus.* Et hoc credo esse Grammatici, qui respexerit Ovid. Heroid. XV. 9. *Indomitis ignem exercentibus Euris.*

Mittere equum medios per ignes. Ignes sunt vel *veri* vel *figurati.* In utraque re veteres lectorem non dubium relinquebant, uter esset intelligendus. Liv. IV. 33. *Ipse princeps calcaribus subditis evectus, effreno equo in medios ignes infertur.* Virgil. VIII. Aen. 296. *Medias acies, mediosque per ignes Invenere viam.* Ubi satis manifestum est, *veros ignes* significari, ex rerum sententia. *Ignes* figurate pro summis periculis ponuntur, sed ita, ut videas esse tamquam proverbium. Xenoph. Sympos. IV. *ἐγὼ οὖν μετὰ Κλεινίου κἂν διὰ πυρὸς ἰοίην.* Memor. I. 3. *οὗτος κἂν εἰς μαχαίρας κυβιστήσειεν, κἂν εἰς πῦρ ἅλλοιτο.* Cuius proverbii auctor est Homerus in Iliad. *K.* 246. *Τοῖτον δ' ἑσπομένοιο, καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο Ἄμφω νοστήσοιμεν.*

Qui regna Dauni praefluit Apuli. Quasi nescirent Romani,

Quum saevit, horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris:
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque et extremos metendo,
Stravit humum, sine clade victor:
Te copias, te consilium, et tuos
Praebente Divos. Nam, tibi quo die
Portus Alexandrea supplex,
Et vacuam patefecit aulam,

in qua regione Italiae esset Aufidus. Bentl. legit *qua*. Quod eodem redit. Locus Catulli Carm. XI. non similis est nostro: *Sive quae septemgeminus colorat Aequora Nilus.* Neque eleganter illa coniunguntur *Sic volvitur* Aufidus, qui *praefluit.*

Primosque et extremos metendo. Primi et extremi historicum est et significat agmen *primum* et *extremum.* Sallust. B. Iug. 100. *Primos et extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat.* Ut apud Homerum in narratione saepe πρῶτοι et πύματοι. Hic plus est quam narratio simplex rei gestae. Propter similitudinem orationis ostendo locum Lactantii de Mort. Persec. 47. *Caedebatur acies eius impune; tanta vis militum a paucis metebatur. Quasi ad devotam mortem, non ad proelium venissent. Iam strata erat ingens multitudo.*

Stravit humum, sine clade victor. Pyrrhus, victor non sine clade appellari poterat. Claudius qui vicit barbaros *sine damno* Romani exercitus, non recte appellatur victor *sine clade.* Volebat poëta *sine sanguine multo.* Obstabat metrum.

Te copias, te consilium, et tuos Praebente Divos. Hoc tertium est, quod idem in uno carmine legimus. Supra *milite tuo.* Tum *auspiciis secundis.*

Nam, tibi quo die. Drusum vicisse Vindelicos eodem die, quo ante annos quindecim Augustus Alexandriam ceperat, multi dubitant. Et annotassent, credo, historici, praecipue Suetonius, qui talia non praetermittit. Glossam ita conceptam puto: »Horatius enumerat victorias Augusti,

Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.
Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque, et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela praesens
Italiae, dominaeque Romae!
Te, fontium qui celat origines,
Nilusque, et Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis:
Te non paventis funera Galliae,
Duraeque tellus audit Iberiae:
Te caede gaudentes Sygambri
Compositis venerantur armis.

quindecim annis ab initio imperii illius post proelium Actiacum reportatas." Talis glossa in versus redacta est. Neque opus erat praecedere mentionem Alexandriae, hanc enim victoriam mox intelligimus ex *Nilo*.

Laudemque et optatum peractis Imperiis decus arrogavit. Omnia humili et pedestri modo expressa, et plane diversa a sublimi spiritu aliorum, quae genuina putamus.

Te belluosus qui remotis. Belluosus vox dubiae auctoritatis, quae nusquam praeterea, nisi apud Avienum inveniatur. Et Romani melius noverant Oceanum, quam ut tempore Horatii etiam appellarent *belluosum*. Horatius, ni fallor, scripsit: *Te bellicosis quas remotus Obstrepit Oceanus Britannis.* Oceanus *remotus* opponitur *nostro* mari, ut vocabatur *Mediterraneum*, et ipse indicat Britannos remotos, orbe divisos.

Sygambri. Hanc orthographiam tuentur Dukerus ad Flori IV. 12. et Oudend. ad Sueton. August. 21. Vocem ingeniose Velleio Paterculo restituit Heinrich. ad Orat. Ciceronis pro Scauro pag. 103.

CARMEN XV.

Phoebus volentem proelia me loqui,
Victas et urbes, increpuit lyra,
Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. Tua, Caesar, aetas

CARMEN XV.

Phoebus volentem proelia me loqui. Hoc igitur carmen non diversum est ab antecedente. Oratio ita cohaeret: O Maxime principum, quem nuper Vindelici didicere. Tu vicisti Cantabros, Medos, Indos, Scythas, Aegyptios, gentes ad Istrum et Tigridem, Britannos, Gallos, Iberos, et Sygambros. Quas victorias, gesta proelia, captas urbes, celebrare non possum, neque audeo. Tu fruges agris, signa Iovi restituisti. Tu Ianum Quirinum clausisti, caet. Verba *Phoebus volentem* sq. quasi in parenthesi posita sunt. Orationem ea parenthesi abruptam, repetit: *Tua Caesar aetas Fruges* sq.

Victas et urbes, increpuit lyra. Alii iungunt *loqui lyra.* Quod propter interpositum *increpuit* est durissimum, et a Romana verborum constructione alienum. Licet D. Heinsius ad Aristotelis Politica pag. 1043. h. l. referat ad exempla *transpositionum*, et dicat Horatium sic aliquoties in Satyris loqui. Obliviscebatur vir eximius, magnum esse discrimen orationis Satyricae et Lyricae. Alii *increpuit lyra* interpretantur: »Apollo me increpuit verbis, et simul ipsa increpuit lyra." Horatius talem dilogiam non probasset. Neque opus erat Apollini lyra, ut Horatium admoneret, eique aurem velleret. Heynius ad Virgil. I. Aen. 747. accepit *lyra increpuit* pro *lyram increpuit.* De quo, inquit, aliquando ad Horatium pluribus. Editionem Heratii, quam vir praeclarus meditabatur, non accepimus. Locus est difficilis, quia corruptus. Hunc ita restitui: *Phoebus volentem proelia me loqui, Victas et urbes, increpuit: lyrae Ne parva Tyrrhenum per aequor Vela darem.* Hoc rectum est et Latinum. Habet ea Metaphora aliquid, quod nostris auribus sonat peregrinum: Romanis non sonabat, neque Graecis, ut vel ex Pindaro

Fruges et agris retulit uberes,
Et signa nostro restituit Iovi,
Derepta Parthorum superbis
Postibus, et vacuum duellis

constat. Apponam exempla quaedam Romana, ut appareat, Horatium potuisse scribere *vela lyrae dare*. Cicero IV. Tuscul. 5. *Quaerebam igitur, utrum panderem vela orationis statim, an eam dialecticorum remis propellerem*. Ovid. I. Pont. 8. 72. *Voti contrahe vela tui*. III. Trist. 4. 32. *propositi contrahe vela*. Martial. VIII. 70. *Pieriam tenui frontem redimire corona Contentus, famae nec dare vela suae*. Sil. Ital. III. 706. *Claroque feros das vela labori*. Nemesian. Cyneg. 58. *talique placet dare lintea curae: Dum non magna ratis nunc primum dat vela notis*. Auct. Panegyr. Maxim. et Constant. 9. *Te umquam patientur reipublicae vela contrahere, quae tam felicibus ventis etiam iuvenis impleveris*. Rutilius in Itinere I. 35. *Et desideriis addere vela meis*. Putide Valer. Max. V. 7. *Det nunc vela pii et placidi affectus parentum erga liberos indulgentia; salubrique aura provecta, gratam suavitatis secum dotem afferat*. Modestius Plin. IV. Ep. 20. *Ingenii simul doloriseque velis latissime vectus es*. Vide ibi Cortium, et Burmannum ad Propertii III. 2.

Signa nostro restituit Iovi. Vetus Scholiasta Maii ad Virgil. VII. Aen. 606. *Parthosque reposcere signa*; annotavit: »Huius facti notae repraesentantur in arcu, qui est iuxta aedem Divi Iulii."

Derepta. Minus recte alii edunt *direpta*. Lucan. I. 240. *Deripuit sacris affixa Penatibus arma*. v. Cort.

Et vacuum duellis Ianum Quirinum clausit. Numa, ut scribit Liv. I. 19. *Ianum indicem pacis bellique fecit; apertus, ut in armis esse civitatem, clausus, pacatos circa omnes populos significaret*. Poëtae hoc symbolum variis modis exornarunt, ita tamen, ut foribus clausis Bellum, quasi Deus, contineri coërcerique spectetur. Hinc *Belli portae, fores*, alia. Locus classicus est apud Virgil. I. Aen. 291. quem Heynius in Excursu IX. egregie illustravit, merito dubitans de sententia Ovidii I. Fast. 281. ubi Ianus, interrogatus cur pace lateret, motis armis reeluderetur, respondet: *Ut*

Ianum Quirinum clausit, et ordinem
Rectum evaganti frena licentiae
Iniecit, emovitque culpas,
Et veteres revocavit artes:

populo reditus pateant ad bella profecto, Tota patet demta ianua nostra sera. Pace fores obdo, ne qua discedere possit. Caesareoque diu nomine clausus ero. Nam ibi certissima est emendatio Marcilii *ne qua discedere possim.* Clausus ero, ne qua discedere possim, id est *templum meum claudetur.* Belli ipsius imaginem Ovidius non attigit. Apud alios poëtas, Bellum indignans, fere ut Aeolus in antro, semper erumpere conatur. Si igitur Ianus, templum Iani, quod Augustus clausit, vacuum est Bello, Bellum in templo non coëroetur, tum pax et otium non vigent, sed bellum est. Hoc iam contrarium est menti Horatianae. Illud etiam magis, quod non *duello*, sed *duellis* legimus. Sic enim agitur non de Bello, tamquam numine, sed proeliis et pugnis, quae non magis in templo *concludi*, quam templum *relinquere* possunt. Credo Horatium scripsisse: *et vacua ab duellis, Ianum Quirinum clausit.* Tua aetas, o Caesar, fruges reddidit agris, signa Iovi, et, vacua a bellis, quae composuisti omnia, Ianum clausit. Bella prius esse debebant composita, quam templum claudebatur. Horat. II. Ep. 1. 253. *Iusque Auspiciis totum confecta duella per orbem, Claustraque custodem pacis cohibentia Ianum.* Sueton. August. 22. *Ianum Quirinum, terra mariqne pace parta, ter clausit.* Sic *aetas* Augusti clausit Ianum, quum erat vacua ab duellis, duella erant confecta. Recte autem Gronovius et alii voluerunt *Ianum Quirinum*, non *Quirini.* Bentleius *Quirini* etiam propter sonum meliorem praefert. Si iam legamus *vacua ab duellis, Ianum Quirinum* neminem puto offendet. Scripsi *ab duellis*, ut *ab Diis* et similia in optimis MSS. v. Bentl. ad Horat. III. Carm. 16. Burmannus sua memoria fefellit, quando ad Propert. II. 9. 18. scribit *duella* vocem esse ab Horatio non usitatam. Arbitror etiam Markl. ad Stat. Silv. IV. 5. 24. eleganter Ovidio II. Am. 9. 23. restituisse: *Me quoque, qui toties mersi sub Amore, duello Defunctum placide vivere tempus erat.*

Frena licentiae iniecit. Ut Plato figurate ψαλιον ἐνιβαλε.

Per quas Latinum nomen, et Italae
Crevere vires, famaque et imperî
  Porrecta maiestas ad ortum
    Solis ab Hesperio cubili.
Custode rerum Caesare, non furor
Civilis, aut vis eximet otium,
  Non ira, quae procudit enses,
    Et miseras inimicat urbes.
Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Iulia, non Getae,
  Non Seres, infidive Persae,
    Non Tanaim prope flumen orti.
Nosque et profestis lucibus et sacris,
Inter iocosi munera Liberi,
  Cum prole matronisque nostris,
    Rite Deos prius apprecati,
Virtute functos, more patrum, duces,
Lydis remixto carmine tibiis,

Comparavit iam Wyttenbachius ad Plutarch. De Sera N. Vindicta pag. 44. Valer. Maxim. II. 9. *Freni sunt iniecti vobis, Quirites. Lex lata est, quae vos frugi esse iubet.*

Emovitque culpas. Bene Scholiastae laudant Virgilianum: *emoti cardine postes.* Pausan. III. 7. *Ὁ πόλεμος οὗτος εὖ τὴν Ἑλλάδα ἔτι βεβηκυῖαν διέσεισεν ἐκ βάθρων.*

Edicta rumpent Iulia. Quomodo *edicta* Augusti pertineant ad Danubii accolas, Getas, Seras, Persas et Scythas, narratu difficile est. Lambinus et Torrentius intelligunt varias *Leges Iulias*, de adulteriis, alias. Minus quidem recte, sed non illorum culpa magis, quam poëtae, qui scribere debuisset v. c. *non spernent imperium, leges Augusti. Spernere* et similia in tali re sunt propria. Iustin. XXVIII. 2. *Qui Alexandri Magni edicta sprevérint.* Sallust. Iugurth. 31. *Sin Iugurtha ea iussa* (senatus) *con-*

Troiamque et Anchisen et almae
Progeniem Veneris canemus.

temnit. Idem in Catil. 5. *negligere* posuit. v. Cort. Neque caussa probabilis est, cur hic iterum victoriae Augusti celebrentur, quod iam supra, memoratis eisdem Indis, Scythis, Persis, et accolis Danubii factum sit. Sunt huius carminis duae partes, prior continet laudes Caesaris bello, altera, pace partas.

Q. HORATII FLACCI

E P O D O N

LIBER.

CARMEN I.

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula,

Epodon liber. »Librum *quintum Odarum* vult dici Laur. ad Ciceronis II. Agrar. 27. Sed Archilochus scripsit librum Epodon. v. Hephaest. p. 12. Laërt. in Solone p. 22. et Galenus de Usu Part. p. 380.'' Haec annotavit vir doctus suae editioni Bontianae, in Bibliotheca Leidensi. Mihi de hac inscriptione disputare post Muretum, Fabrum, Dacierium et alios, non libet. Memorabo tantum quae in MSS. inveni. In duobus hic liber post *Artem Poëticam* scriptus est. In Voss. Ars Poëtica sequitur ultimum carmen libri quarti, additurque haec annotatio: *Terminatis superioribus quatuor carminum libris, composuit istum quintum de Arte Poëtica, ad Pisonem quendam poëtam, in quo vitia superstitiosorum poëtarum cavenda esse docet.* Et alibi: *Liber hic Epodon inscribitur, clausuralis scilicet, quod versus in eo ita ordinati sunt, ut singulis, quibus clausulae sunt, recinant. Clausulas appellant Lyrici minores versus maioribus subpositos, quasi praecisos integris subiectos.* Quae eadem fere in Scholiis Comm. Cruq. et aliis leguntur. Servavi inscriptionem *Epodon*, quae in plurimis Codd. reperitur. Et Horatius mihi videtur talem librum

Paratus omne Caesaris periculum
Subire, Maecenas, tuo.
Quid nos, quibus te vita si superstite
Iucunda; si contra, gravis?
Utrumne iussi persequemur otium,
Non dulce, ni tecum simul?

composuisse, quia non intelligo, quomodo alias illud nomen in MSS. venisset. Movet me quoque exemplum Archilochi, neque frustra, puto, decem priora Carmina sunt metro Iambico Archilochio composita, et argumenta plerorumque mordacia et vehementia. Non tamen credo omnia carmina, quae nunc in libro Epodon legimus, ab Horatio in eum fuisse relata. In vetustissima editione vidi: *Q. Horatii Flacci Epodos incipit.*

CARMEN I.

Paratus omne Caesaris periculum Subire Maecenas tuo. Haec de se dici nollet Caesar. Nam si Maecenas omne illius periculum suo subiret, nihil erat quod Caesar ageret, et domi manere poterat. Neque Latina formula mihi placet, *subire periculum alicuius suo periculo.* Quamquam Heinsius satis probabat, adeo etiam ut hinc in Propertio II. 8. 4 corrigeret: *Mortem ego non fugiam morte subire tuam.* Melius est: *Paratus omne Caesari periculum Subire, Maecenas, tuo.* Latinum est *subire periculum Caesari*, Caesaris causa, pro Caesare. Propert. IV. 6. 24. *Signaque iam patriae vincere docta suae.* Ubi vide Barkland. et Cuperi Observ. II. pag. 260. Eleganter etiam *tuo Caesari.* Propert. II. 1. 25. ad eundem Maecenatem: *Bellaque resque tui memorarem Caesaris.* Statius I. Silv. 4. 55. *vigilesque suo pro Caesare curae.* Postea vidi Bothium, qui editionem Horatianam Caroli Fea a. MDCCCXX. suis quibusdam annotationibus auctam repetiit, in eandem emendationem incidisse. Idem ostendit Wakefieldum voluisse: *Caesaris tui.* Rectius puto Bothianum.

Quibus te vita si superstite Iucunda. Sic legitur in plurimis MSS. Duriore, ut mihi videtur, constructione. Bentleius tamen hic singularem elegantiam videt, et explicat: Quibus vita iucunda, si te superstite vivitur, si contra, gravis. Alii legunt *quibus te vita sit superstite:* quod et praeferebat Heinsius, et

An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros?
Feremus: et te vel per Alpium iuga,
Inhospitalem et Caucasum,
Vel Occidentis usque ad ultimum sinum,
Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid iuvem meo,
Imbellis, ac firmus parum?
Comes minore sum futurus in metu,
Qui maior absentes habet:
Ut assidens implumibus pullis avis
Serpentium allapsus timet,

malto facilius est. Cogitasse videtur haec verba Auson. Epist. 7. *Sexaginta horas super et duo millia centum Te sine consumsi, quo sine et hora gravis.*

Nil tecum simul? MS. *ni sit.*

An hunc laborem mente laturi. Notandam puto ellipsin *summus.* Statius Praefat. II. Silv. *Ad Ursum nostrum scriptam Consolationem huic libro inserui, quia honorem eius tibi laturus acceptum.* Ubi Markl. addidit *est.* Hieron. Praefat. Scriptor. Eccles. *Ego quid acturus?* Quintilianus Declam. XVIII. 12. *Rogo, quid facturus, si pernegaverit?*

Qui maior absentes habet. Caesar B. Gall. VII. 84. *Omnia plerumque, quae absunt, vehementius hominum mentes perturbant.*

Ut assidens implumibus pullis avis. Poëtae hanc imaginem variis et pulcherrimis coloribus exornaverunt. Sophocles in Oenomao Fragm. pag. 68. *Λήθουσα γάρ τοι κἀνέμων δείξοδοι Θήλειαν ὄρνιν, πλὴν ὅταν τόκος παρῇ.* Statius V. Theb. 599. *Ac velut aligeras sedem foetusque parentis Cum piger umbrosa populatus in ilice serpens, Illa redit, querulaeque domus mirata quietem Stat super impendens, advectosque horrida moesto Excutit ore cibos, cum solus in arbore cara Sanguis, et errantes per capta cubilia plumae.* X. Theb. 452. *volucrum sic turba recentum Cum reducem longo prospexit ab aethere matrem.* Similia sunt apud Homerum, Virgilium, Ovidium, et quae hic laudarunt interpretes, et ad

Magis relictis; non, ut adsit, auxili
Latura plus praesentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum in tuae spem gratiae:
Non ut iuvencis illigata pluribus
Aratra nitantur mea,
Pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascua;
Nec ut superni villa candens Tusculi
Circaea tangat moenia.
Satis superque me benignitas tua
Ditavit: haud paravero,

Ciceron. Divin. II. 30. Talia Grammaticos non latebant. Nostra comparatio non uno nomine reprehendenda est. Primum Horatius minus recte diceretur Maecenati timere, ut mater timet pullis inplumibus. Maecenas erat natu maior quam Horatius. Deinde comparatio illa verbis obscuris et male cohaerentibus explicata est. Praecipue *assidens pullis*, et *magis relictis*, adeo intelligentiam nostram fugiunt, ut non nisi longo labore aliquem sensum extorqueas. Et parum iuvat, si cum Gogavio Praeterm. p. 33. et aliis legamus *minus relictis*. Neque castigati poëtae sunt repetitiones: *qui habet absentes, assidens, relictis, ut adsit, praesentibus*. Ibi notionem *absentis* bis, *praesentis* ter tam brevi intervallo positam invenimus.

Serpentium allapsus timet. *Allabi* et *allapsus* propria serpentibus vocabula, in celeri et insidioso motu. Valer. Maxim. I. 6. *Allapsus serpentium arceri, neque fuga impediri poterat*. v. interpr. ad Iulii Obseq. Prod. 88. *Anguis duo nigri in cella Minervae allapsi, civilem caedem portenderunt*. Ubi non contemnendum, quod in aliis editionibus legitur *elapsi*, puta ex loco aliquo, e columna in cella ista. Sic Liv. I. 56. *Portentum terribile, anguis ex columna lignea elapsus*.

Nec ut superni villa candens Tusculi. Broukhus. conjecerat *superbi*, postea delevit coniecturam, et citavit Festum in *Tu-*

Quod aut, avarus ut Chremes, terra premam,
Discinctus aut perdam ut nepos.

sces. Eadem est coniectura Marklandi ad Statium I. Silv. 3. 86. non probante Handio. Pro *candens* in MS. Voss. *tangens*, supra *candens* scriptum est.

Discinctus aut perdam ut nepos. In MSS. nonnullis *ut* abest, etiam Dorvill. v. Dorvill. ad Charit. p. 677. Et elegantius abest, etiamsi non praecederet *ut Chremes.* Ita solet Horatius. Epod. II. *Neque excitatur classico miles truci.* Similis autem sententia haec est apud Senecam de Vita Beata 20. *Quidquid habebo, nec sordide custodiam, nec prodige spargam.*

CARMEN II.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni foenore:
Neque excitatur classico miles truci,
Neque horret iratum mare;
Forumque vitat, et superba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos;

CARMEN II.

Beatus ille. Nonnulla citantur ab Hildeberto Mor. Phil. pag. 984. sine varietate.

Altas maritat populos. Post hunc versum potius legantur: *Inutilesque falce ramos amputans Feliciores inserit.* Haec enim pertinent ad eandem actionem;

Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges;
Inutilesque falce ramos amputans,
Feliciores inserit;
Aut pressa puris mella condit amphoris;
Aut tondet infirmas oves.
Vel, quum decorum mitibus pomis caput
Auctumnus agris extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem et uvam purpurae,
Quis muneretur te Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium!
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine:
Labuntur altis interim rivis aquae;
Queruntur in silvis aves;

maritat populos vitibus, ramos vitium amputat, alios inserit. Et iste versuum ordo cernitur in multis MSS. et libris impressis. Fabricius et Stephanus non recte mutarunt. vide Bentleium.

Auctumnus agris extulit. Plurimi MSS. *agris.* In Franck. *extulit agris.* Alii *arvis.* Simili figura dixit Seneca Agam. 484. *Quid rapidus ora Corus Oceano exserens.*

Libet iacere modo sub antiqua ilice. Pro *modo* Franck. *nunc.* Videtur emendatio Grammatici metro timentis. Similes emendationes in hoc et aliis carminibus reperiuntur: ut vs. 39. *conius*, pro *mulier;* vs. 65. *sitosque* pro, *positos;* vs. 67. *ubi haec*, pro *haec ubi.*

Labuntur altis interim rivis aquae. MSS. alia *rivis*, alia *ripis.* Bentleio placet *ripis*, quia auctumno non alti sunt rivi sed altae *ripae*, cum arescunt flumina. Sed haec imago minus iucunda est tempore auctumni. Iacens enim sub ilice vel in gramine, talem rivum, arefacto flumine currentem, neque satis prospicit, neque sonantem audit. Et mox lymphae dicuntur *manantes*, et *strepere* intelliguntur et

Fontesque lymphis obstrepunt manantibus;
Somnos quod invitet leves.
At, quum tonantis annus hibernus Iovis
Imbres, nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
Apros in obstantes plagas;
Aut amite levi rara tendit retia;
Turdis edacibus dolos;
Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,
Iucunda captat praemia.

verbo *obstrepit*. Mihi legendum esse videtur: *Labuntur altis interim rupibus aquae*. Hoc in MSS. primum in *ripis*, deinde in *rivis* corruptum credo. Admisi dactylum, ut vs. 67. *Haec ubi locutus foenerator Alphius*. Et Epod. VII. 1. *Quo, quo scelesti ruitis*. In Cod. Silvii, teste Cruquio, legitur *ab rivis*: quod sine dubio olim fuit *ab rupibus*. Nam aquae labuntur *ab rivis* vel *ripis* hic non est Latinum. *Labuntur rupibus*, ut Virgil. II. Georg. 187. *huc summis liquuntur rupibus amnes*. Horat. Epod. XVI. 67. *montibus altis Levis crepante lympha desilit pede*.

Fontesque lymphis obstrepunt manantibus. Vere correxit Marklandus *frondesque* in Euripidis Suppl. p. 254. et in annotatione ad Propert. IV. 4. 4. *Multaque natalis obstrepit arbor aquis*. Ubi Burm. annotationem Britanni MS. protulit. Notum est Theocriti: ἁ πίτυς Ἁ ποτὶ ταῖς παγαῖσι μελίσδεται. Nemes. Eclog. 1. 31. *nobis ne vento garrula pinus Obstrepat*.

Somnos quod invitet leves. Statius I. Silv. 3. 42. *teneros invitant murmura somnos*. vide Markl. Sic Petronius cap. 42. dixit: *Coepimus invitare convivarum sermones*. Ubi Schefferus loci Horatiani meminerat.

Multa cane. Hoc melius, quam, quod alii edidere *multo*. Veteres in re praecipue venatica, genere feminino *canis* praeferunt. v. interpretes ad Appuleii Metam. pag. 514. Pro *acres* vitiose in MS. Leidensi *agris*.

Rara tendit retia. Nestor in voce *Hames* legit *parva*.

Quis non malarum, quae amor curas habet. Versus importuni turbant rectum ordinem sententiae. Dictu difficile, quid hic sit

Quis non malorum, quas amor curas habet,
Haec inter obliviscitur?
Quod si pudica mulier in partem iuvet
Domum, atque dulces liberos,
Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Apuli;
Sacrum vetustis exstruat lignis focum,
Lassi sub adventum viri:
Claudensque textis cratibus laetum pecus,
Distenta siccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet;
Non me Lucrina iuverint conchylia,
Magisve rhombus, aut scari,

amor. et a intelligendus amor unitata significatione. non intelligunt quod foenerator cum amore. Iam Graecismus non est durus "obliviscitur. quas curas malos habet amor:" sed alia ratio est verborum. *obliviscitur malorum, quas curas amor habet.* Sed fictus puto versus ad interpretationem sequentium: *quod si pudica* sq. Scilicet "cum tali uxore nemo amores leves, non legitimos, cogitabit." Forte auctori glossae in mente fuit locus Terentii, Eunuchi I. 1. 32. *Neque. praeterquam quas ipse amor molestias habet, addas.* Behotius in Apophor. I. 7. explicat, quia, *qui amorem amare vellet, rus ibant.* Sed foenerator non amare solet, quod magni constaret.

Quod si pudica mulier in partem iuvet. Vel hic legendum iuvas, vel in sequentibus *Sacrum et vetustis*, quod Cruq. e MS. volebat.

Exstruat lignis focum. Hieronymus Epist. 55. *Ligna concidas, focum exstruas.*

Scari. MS. scuri. Ennius *Scarum*, *cerebrum Iovi pacus supremi*: illustravit Burm. ad Emendat. Valesii pag. 25. et in Addendis pag. 221. Ennius primum produxit.

Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare:
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis, et gravi
Malvae salubres corpori,
Vel agna festis caesa Terminalibus,
Vel hoedus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut iuvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido!
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares!

Si quos Eois intonata fluctibus. MS. Voss. *intonat et. Intonata* sine exemplo dictum. Nec opus erat tanta tempestate, luxuriosi Romani nanciscerentur *scaros.* Petron. cap. 93. *Atque Afrae volucres placent palato, Quod non sunt faciles. Hiemis ab oris Attractus scarus probatur.* Gula erat avidior ingeniosior, quam ut delitias ventis exspectarent. Auson. Ept. VII. 40. *Non hic* (cibus) *naufrago quaeritur aequore, Ut possit pretium grande pericula.* Magnae illae tempestates, quae cogebant pisces in alienam sedem abire, erant rarae, adeo ut in historia annotarentur. Schol. Iuvenal. IV. 4. servavit fragmentum Sallustii: *Itaque tempestate vis piscium Ponto erupit.*

Vel hoedus ereptus lupo. Pulchre Silius Ital. VII. 717. *Ceu, stimulante fame, rapuit quum Martius agnum Averso pastore lupus, foetumque trementem Ore tenet presso; tum, si vestigia cursu Auditis celeret balatibus obvia pastor, Iam sibimet metuens, spirantem dentibus imis Reiectat prae-*

Haec ubi loquutus foenerator Alphius,
Iam iam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam;
Quaerit Calendis ponere.

dam, et vacuo fugit aeger hiatu.

Alphius. Vide Wesseling. de Iud. Arch. pag. 89.

Omnem redegit Idibus pecuniam. Optimi interpretes, praecipue Bentl. *redegit* ita vindicaverunt, ut *relegit*, quae est altera lectio, locum porro habere non debeat. Ante Bentleium idem fecerat Gronov. Observ. I. 20. et iisdem fere exemplis locutionem probaverat. Adde Valcken. ad Theocriti Adon. pag. 340. Heinsius tamen Adversar. pag. 235. praefert *relegit*, ut etiam Oudend. ad Appul. Metam. VI. pag. 340. qui explicat: *renumeravit*, *rursus pecuniae summam deduxit*; addens, talem pecuniae redactionem, qualem volebant Gronovius et Bentleius, uno die fieri non posse. Sed Alphius, diligens foenerator, noverat homines, quibus pecuniam credebat. Columella dictum eius servavit: *vel optima nomina non appellando mala fieri*. Unde apparet, neque timidum fuisse in appellando. Denique hanc credo fuisse Romanorum consuetudinem, non ut eodem die pecuniae a debitore reposcerentur et solverentur, sed Kalendis reposcerentur, Idibus solveretur. Itaque novi mensis Kalendis iterum aliis foenori dare poterant, atque interea dispicere, quibus daturi essent. Hinc Cicero Catil. I. 6. *Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere proximis Idibus senties.* Creditores nimirum Catilinam Kalendis monuerant, ut sortem Idibus redderet. Senties, inquit, Idibus, ruinas impendere fortunarum, quum dies venerit, et solvere non poteris. Kalendas poëtae appellant *tristes* et *celeres*, quia tum usura erat solvenda. Nam ea erat usurarum.

CARMEN III.

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edit cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni saevit in praecordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas praeter omnes candidum
Medea mirata est ducem,
Ignota tauris illigaturum iuga,
Perunxit hoc Iasonem:

CARMEN III.

Edit cicutis allium nocentius. Naevius in Apella apud Priscian. VI. pag. 681. *Ut illum Di terant, qui primum olitor cepam protulit.*

Perunxit hoc Iasonem. J. C. Scaliger in VI. Poët. pag. 819. ita Horatium reprehendit. »Non est illud supino aut oscitanti iudicio admittendum. Quippe ait Iasonem a Medea perunctum allio, scilicet ut eo medicamento esset a tauris tutus. At enimvero eadem quo modo unxit vestem, qua Creüsa flagraret?" Interpretes reprehensionem Scaligeri non diluerunt. Neque ea diluetur, nisi hos versus aliter distinguamus: *Medea mirata est ducem Ignota tauris illigaturum iuga; Perunxit hoc Iasonem.* Medea, postquam amorem conceperat ducis Argonautarum, qui Colchos venerat ut tauros Martis sub iugum mitteret, hoc medicamine eum perunxit, ut pari amore flagraret, quo ipsa flagrabat. Et sic Commentator: *ut per hoc etiam arte magica eum flecteret in amorem sui.* Horatius ubique allio vim igneam tribuit. Igitur Iasonem non ardenti medicamine tinguere debuit, sed eo, quod ignes taurorum defenderet, ut Phoebus in Phaë-

Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.
Nec tantus umquam siderum insedit vapor
Siticulosae Apuliae:
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit aestuosius.
At, si quid umquam tale concupiveris,
Iocose Maecenas, precor,
Manum puella savio opponat tuo,
Extrema et in sponda cubet.

thonte fecit apud Ovid. II. Metam. 122. *Tum pater ora sui sacro medicamine nati Contigit, et rapidae fecit patientia flammae.* Si Iasonem Medea allio unxit, unxit ut eum amore incenderet. Conferantur autem versus Sidonii Apollin. Carm. IX. 62. *Non vectos Minyas loquente silva, Dicam Phasiaco stetisse portu. Forma percita cum ducis Pelasgi, Molliret rabidos virago tauros.*

Serpente fugit alite. Seneca Medea 1025. *Ego inter auras aliti curru vehor.*

Iocose Maecenas precor. Verum puto, quod emendavit Marklandus in Eurip. Supplic. pag. 258. *iocosa.* Versus poëtae, quem memoriter citavit, reperitur in Anthol. Burm. T. II. pag. 563. *Puella nec iocosa te levi manu Fovebit.* Iocosa nimirum est *petulans, procax.* Vide Barth. Adversar. Inedita p. 114. Gogav. Praeterm. pag. 33. putat Horatium indicare, sibi inscio *per iocum* a Maecenate allium in coena fuisse appositum.

Manum puella savio opponat tuo. Antiphanes apud Athenaeum XIII. p. 572. *Διὰ ταῦθ' ὁ κόρος οὗτος, οὐδὲ τῶν πράσων ἐπόστοτ' ἐπιδειπνεῖ μεθ' ἡμῶν, τοῦτο δ' ἦν ἵνα μή τι λυπήσειε τὸν ἐραστὴν φιλῶν.* Xenophon in Symposio cap. 4. *ὁ Νικήρατος κρομύων ὄζων ἐπιθυμεῖ εἰκαδε ἐλθεῖν, ἵνα ἡ γυνὴ αὐτοῦ πιστεύῃ, μὴ διανοηθῆναι μηδένα ἂν φιλῆσαι αὐτόν.*

CARMEN IV.

Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordia est,
Ibericis peruste funibus latus,
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic Triumviralibus,
Praeconis ad fastidium,

CARMEN IV.

Lupis et agnis quanta sortito obtigit. Imitatur Pontius Paullin. Carm. pag. 22. *Nec enim ulla nocti et lumini concordia est, Lupus nec agno congruit.* Pro *sortito* alii legerunt *fortuito*, quod notavit Comm. Cruquii.

Tecum mihi discordia est. Verbum *est* in MS. Graeviano non legitur.

Funibus. In uno Leid. corrupte *finibus.*

Licet superbus ambules pecunia. Valer. Maxim. VI. 9. *Crassus, quum egens ambularet, dives ab occurrentibus salutabatur.* Hildeb. Philos. Mor. pag. 990. *Quod nobilitas nulla sit ex pecunia, monstrat qui dicit: Licet foecunda ambules pecunia, fortuna non mutat genus.* Ubi in margine vir doctus corrigit: *licet abundes.* Nesciebat esse Horatiana.

Fortuna non mutat genus. Non dissimili forma sunt sequentia. Velleius Paterc. II. 53. *Aut quando Fortuna non mutat fidem?* Statius III. Silv. 3. *Mutavitque genus et celso natarum aequavit honori.* Ambros. Oper. II. p. 933. *Contractus non mutat genus.*

Liberrima indignatio. Tacit.

Arat Falerni mille fundi iugera,
Et Appiam mannis terit;
Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone contemto, sedet.
Quid attinet, tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere
Contra latrones, atque servilem manum,
Hoc hoc tribuno militum?

II. Annal. 34. *Liberi doloris documentum dedit.*

Magnus in primis eques. In uno Leid. *magnus et eques.*

Othone contemto. Tutus et securus, quod ad legem Othonis attinet, non timens legem Othonis. Tibull. I. 2. 78. — *ego composito securus acervo Despiciam dites despiciamque famem.* Tacit. II. Annal. 34. *Nec Urgulania obtemperavit, in domum Caesaris, spreto Pisone, vecta.* Ubi vide Ernest. et Ruhnk. ad Sueton. pag. 348.

Tot ora navium gravi Rostrata duci pondere. Bentl. fatetur se apud neminem poëtarum *es navis* invenisse, et corrigit *aera.* Ego elegantiorem lectionem mihi fecisse videor hanc: *Tot aere navium gravi Rostrata duci pondera.* Pondera navium rostrata gravi aere, poëticum est. Pondera magnam molem indicant, ut Propert. III. 1. 62. *Annorum aut ictu pondera victa ruent.* Liv. XXVIII. 30. *Quinqueremis erat pondere tenacior.* Curt. X. 1. *Magnarum navium corpora.* Virgil. V. Aen. 118. vocat: *ingenti mole Chimaerae Urbis opus.* Gogav. Praeterm. pag. 33. *duci* interpretatur in triumphum duci, devicto S. Pompeio, cuius Maena Tribunus fuit.

CARMEN V.

At, o Deorum quidquid in coelo regit

CARMEN V.

At, o Deorum quidquid in coelo regit Terras, et humanum genus. In MSS. aliis legitur *regis:* et apud Diomedem et Priscianum *quisquis.* Licet in antiquissima Prisciani editione sit *quidquid regit.* Ego iterum in tam exiguo literarum discrimine magis videndum censeo, quid loco conveniat, quam MSS. praeferant. Bentleius dicit *quidquid* esse melius, quo Dei simul omnes significentur. Ego propterea melius esse dico *quisquis.* Nam non omnes Dei simul in coelo regebant, sed Iupiter, vel unus aliquis, caeteris potentior, quisquis ille Deorum erat. Si praefero *quisquis*, praeferendum etiam *regis.* Quod quia in multis MSS. apparet, indicio est, in aliis exstitisse *quisquis.* Nam magis Latinum est *quidquid Deorum regitis.* Sed alia in his versibus me impedit difficultas, nimirum *quisquis in coelo regis terras.* Huius locutionis non credo alterum repertum iri exemplum. Usitatae poëtarum formulae sunt: Iupiter Deos et homines, coelum et terras, regit. Si dicant Iupiter *in coelo regit*, tantum intelligunt regnum Iovis coeleste, illud separantes a regno *terrestri*, cui tum saepe praeficiebant alium, quam Iovem. Horat. III. Carm. 5. *Coelo tonantem credidimus Iovem Regnare, praesens Divus habebitur Augustus.* Ovid. XIII. Metam. 842. *Adspice; sim quantus: non est hoc corpore maior Iupiter in coelo: nam vos narrare soletis Nescio quem regnare Iovem.* Cuius loci distinctio est mutanda: *non est hoc corpore maior Iupiter: in coelo nam vos* sq. Lucan. III. 319. *mortale genus per fulmina tantum Sciret adhuc coelo solum regnare Tonantem.* Praecipue ita loquebantur poëtae adulantes Caesaribus, quando, ut est in versu qui Virgilio tribuitur, *divisum imperium cum Iove Caesar habet.* Iupiter *in coelo*, Caesares *terras regere* dicebantur. Quod genus adulationis ita expressit Plinius Paneg. 80. *Qua nunc parte curarum liber solutusque* (Iupiter) *coelo tantum vacat, postquam te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungereris.* Sidon. Apollin. VII. Carmine I. Phoebe, *da lumina coelo*

Terras et humanum genus!

Sufficit hic terris. Ego vulgatam lectionem in Horatio corruptam esse puto, itaque corrigendam: *At, o Deorum quisquis in coelo regis, Terres et humanum genus.* Iupiter in coelo regit, et eius imperium et potestas in res humanas etiam praecipue per *fulmina* intelligitur, quibus mortales terret. Virgil. I. Aen. 230. *O qui res hominumque Deumque Aeternis regis imperiis et fulmine terres.* Horat. I. Carm. 2. *rubente Dextera sacras iaculatus arces Terruit urbem.* Ovid. I. Metam. 55. *Humanas motura tonitrua mentes.* Seneca Octav. 230. *Qui saepe terras fulmine infesto quatit, Mentesque nostras ignibus terret sacris.* Restant nonulla dicenda de primo versu: *At, o Deorum quisquis in coelo regis;* propter interpretem Horatii, qui legens *quidquid regit*, in eo sibi reperisse visus est Tragicorum exclamationem, *mare coelo confundentium*, ut Iuvenalis VI. 284. unde et Plautina *mare, terra, coelum, Di vostram fidem.* Ea neque ad locum Horatii faciunt, neque ipsa bene exposita sunt. Si legamus *quidquid Deorum*, puer tantum invocat Deos coelestes, qui in coelo regunt, non marinos neque infernos: Neque eadem est exclamatio: *Di maris, coeli et terrae*, quae: *O mare coelum et terra.* Nam tum Deos invoco testes, iuro per Deos, vel eorum imploro auxilium. Ne dicam de antiquis Romani populi Quiritium formulis, quales sunt apud Livium, vide vel Ovidium I. Trist. 2. 1. *Di maris et coeli, quid enim nisi vota superesunt, Solvere quassatae parcite membra ratis.* Quintil. Declam. VI. p. 132. *Di immortales, coeli, maris, inferorum praesides, vos solos habeo testes.* Et in execratione apud Terentium Phorm. IV. 4. 6. *Ut te quidem omnes Di, Deae, superi, inferi, Malis exemplis perdant.* Sic apud eumdem saepe *Di Deae omnes, quantum est.* Huius generis sunt illa Graecorum πάντες καὶ πᾶσαι. Auctor Homerus Iliad. T. 101. Κέκλυτέ μευ, πάντες τε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι. Demosth. pro Corona: Πρῶτον μὲν θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις. Est et formula iurandi Cretica, emendata a Valcken. ad Theocrit. Adon. p. 287. ΘΕΟΣ ΠΑΝΤΑΣ ΚΑΙ ΠΑΣΑΣ. Menander apud Athenaeum XIV. p. 659. εὐχώμεθα Ὀλυμπίοισι πᾶσι, πάσαις. Quod iam Aristophanes in Avibus dixerat: Ὄρνισιν Ὀλυμπίοις καὶ Ὀλυμπίῃσιν πᾶσι καὶ πάσῃσιν. Unde apparet, quantopere idem interpres ad Horat. I. Carm. I. 26. corruperit epigramma Callimachi: Ἴδ γρεντὴς, Ἐπικυδὲς,

Quid iste fert tumultus? et quid omnium

ἐν οὔρεσι πάντα λαγωὸν λιφᾷ, καὶ πάσης ἴχνια δορκαλίδος. Corruperit, inquam, dum corrigit πτῶκα λαγωὸν et λασίης ἴχνια δορκαλίδος. Nam plena sunt poëtarum scripta istiusmodi exemplis. Vel Anthol. Iacobsii pag. 288. Οὐδ' ἑνὸς, οὐδὲ μιῆς ἐδρακόμην θάνατον. Caeterum solemnem precationem ita retulit Tacitus Annal. IV. 38. *Proinde socios, cives, et Deos et Deas ipsas precor.* Ubi v. Lipsium. A tali igitur, ut dicebam, exclamatione, discrepat altera illa *O coelum et terra et mare*, qua utebantur in summo dolore, desperatione, indignatione, et stupore, nescientes quid accideret, quid dicerent vel tacerent. Plaut. Trinum. IV. 3. 63. *Mare, terra, coelum, Di vostram fidem.* Terent. Adelph. V. 3. 3. *Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem? aut querar? O coelum, o terra, o maria Neptuni!* Horat. Epod. XVII. *O mare et terra, ardeo.* Comicus apud Athen. XIII. 34. ὦ γῆ καὶ θεοί. Cuius exclamationis haec vis esse videtur, ut, quae sentirent, hominibus significari posse non putantes, *mari terrae et coelo* significarent. Unde et illa Tragica, τύχας γῆ τε κοὐρανῷ λέγειν, quae praeclare exposuit Titius ad Nemes. Eclog. IV. 12. et Koen. ad Corinth. de Dialect. pag. 57. et Lentingius, qui in hoc genere vestigia Valckenariana laudabili studio sequitur, ad Eurip. Medeam 56. Minus accurate in his versatur Burmannus ad Quintil. Declam. VI. 6. Superest, ut locum Iuvenalis explicemus, quem interpres Horatii, non recte acceptum, hic adhibuit. Iuvenal. Sat. VI. 282. *Clames licet, et mare coelo Confundas.* Haec vulgo ita interpretantur: prae indignatione exclames *o mare et coelum!* Quum tamen significent: »licet clames tantum, quantum clamares, si mare coelo confunderetur, omnia miscerentur, mundus interiret. Nota est elegans loquendi formula *confundunt mare coelo*, pro *dicunt, clamant* confundi. Addam similia quaedam loca, a viris doctis non bene exposita. Idem Iuvenal. Sat. II. 25. *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes? Quis coelum terris non misceat, et mare coelo, Si fur displiceat Verri, homicida Miloni? Clodius accuset moechos, Catilina Cethegos?* Livius IV. 3. *Quid est tandem, cur coelum ac terras misceant, cur in me impetus modo paene in senatu sit factus, negent se manibus temperaturos, violaturosque denuntient sacrosanctam potestatem?* Hoc est: patricii clamant coelum et terras misceri, omnia

Vultus in unum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus

purturbari. In re simili Sallustius B. Iugurth. 41. *permixtionem terrae* posuit: *Nam ubi primum reperti sunt, qui veram gloriam iniustae potentiae anteponerent, moveri civitas, et dissensio civilis, quasi permixtio terrae, oriri coepit.* Quam omnium fere MSS. lectionem Cortius ita mutavit: *permixtio civilis, quasi discessio terrae:* quod tacito consensu probasse videtur Ruhnken. ad Sueton. Caesar. 30. Sed *discessio terrae*, hoc est *hiatus*, multo minus significat, quam ut vehementissima illa rerum Romanarum perturbatio cum ea comparari posset. Discessio enim terrae breviore spatio continetur, nec ubique sentitur. *Permixtio terrae* est, si coelum mare et terra misceantur, et omnia in antiquum chaos redeant. Notum est illud Lucretii: *Non si terra mari miscebitur, et mare coelo.* Virgil. I. Aen. 133. *Iam coelum terramque, meo sine numine, venti Miscere audetis?* Sueton. in Nerone 38. Graecum versum servavit: *Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.* Ubi Torrentius locum Sallustii ad partes vocavit. In eo, quod non omittendum puto, MSS. Guelferb. hanc habet varietatem, ut praebeat: *quasi permixtio terrae atque maris.* Discernamus igitur in posterum tres formulas: *Di maris et coeli, omnes dei deaeque, quidquid, quantum Deorum est;* et: *O mare o, terra et coelum;* et: *Confundere, miscere terram et mare coelo.*

Quid iste fert tumultus. In Franck. *ferit.*

Per liberos te, si vocata partubus Lucina veris adfuit. Quod tu fieri nolles liberis tuis, hoc ne fac liberis aliorum. Oratio aptissima ad misericordiam commovendam, ut apud Virgilium: *Fuit et mihi talis.* Sed quid illa si *veris partubus* adfuit Lucina? Eo dici poterat nihil acerbius ad excitandam veneficae iram. Horatius tamen vs. 83. verba pueri vocat *mollia.* Neque video cur turpe convicium puero tribuatur, qui Canidiam nunc primum viderat, neque de illa fando unquam antea audiverat. Recte orat feminam per liberos, si haberet, non recte per liberos, si, quos haberet, essent *veri* illius, non aliis erepti, vel suppositi: nam *veri* et *suppositi* contraria sunt. v. Ruhnk. ad Terent. Heaut. V. 2. 36. Itaque non recte Torrentius et Dacierius interpretantur: »si modo mater es, si modo liberos enixa es.'' Longe tamen me-

Lucina veris adfuit,
Per hoc inane purpurae decus precor,
Per improbaturum haec Iovem,
Quid ut noverca me intueris, aut uti
Petita ferro bellua?
Ut haec tremente questus ore, constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
Mollire Thracum pectora;
Canidia brevibus implicata viperis
Crines, et incomtum caput,
Iubet sepulcris caprificos erutas,
Iubet cupressus funebres,
Et uncta turpis ova ranae sanguine,
Plumamque nocturnae strigis,
Herbasque, quas Iolcos, atque Iberia
Mittit, venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta ieiunae canis,
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas,

lius quam homines aesthetici, qui Torrentium reprehendunt, ipsi nihil afferunt. Brevi dicam. Scribendum est: *si vocata partubus Lucina ventris adfuit.* Nomen *ventris* in tali re non inhonestum est, ut neque Graecum γαστήρ.

Herbasque, quas Iolcos. Verum est *Iolcos.* In Servianis ad Aen. IX. 587. legitur: *herbasque quasi Colchos.* Quae lectio primam corruptelae viam ostendit. Similiter turbatum est in Manil. V. 34. *Colchidis et magicas artes qui vertere Iolcho.* Ubi in omnibus libris erat *Colcho.*

Flammis aduri Colchicis. Recte Scholiastae dicunt: per veneficia incensis. v. interpr. ad Silii Ital.

Horret capillis ut marinus asperis
Echinus, aut currens aper.
Abacta nulla Veia conscientia,
Ligonibus duris humum

I. 96. *inaccensi flagrant alteribus ignes.*

Horret capillis, ut marinus, asperis. In uno Leid. *capillus.* Credo Horatii esse *capillos asperos.* Amat, ut alii poëtae, tales Graecismos. Virgil. X. Aen. 711. *inhorruit armos.* Sil. Ital. I. 422. *hirto Horrescit saetas dorso.* Ita cum Heinsio scribendum pro *saetis:* quod etiam suadet MSS. lectio *saevus.* Φρίσσειν apud Graecos semper fere cum accusativo iungitur. Homer. Iliad. N. 473. Odyss. T. 445. Hesiod. Scuto 391. Ὀρθαὶ δ' ἐν λοφιῇ φρίσσει τρίχας. Ausonius legit *capillis.* Nam scribit in Epist. XXII. 11. *Horrens capillis ut marinus asperis Echinus, aut versus mei.*

Aut currens aper. Currens non est Horatii. Aper enim iratus capillos horret, et resistit adorientibus. Veteres Scholiastae interpretantur: *currens, furens.* Bentleius putat *furens* esse potius variam lectionem, quam interpretationem, et inprimis laudat coniecturam Heinsii *Laurens.* Ingeniose profecto. Sed si dixeris aprum *Laurentem*, non simul intelligitur *ira*, quod propter *horrentes capillos* necessarium est. Echinus semper horret, aper tantum vel praecipue cum *furit*, et in hostes fertur. Credò tam *currens* quam *furens* esse interpretationem sincerae vocis, eamque fuisse: *aut ruens aper.* Est *ruens, currens, furens,* ἱέμενος. Hesiod. Scuto 169. Ἐν δὲ συῶν ἀγέλαι κοτέοντων θ' ἱεμένων τε. Sed loquatur pro me Donatus ad Terentii Adelph. III. 2. 21. »*Ruere* est toto corpore uti ad impellendum: quod faciunt, qui ipsi praecipites, alios prosternunt. Unde proprie *sues ruere* dicuntur. Virgilius: *Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus;* et Horatius: *Hac rabiosa fugit canis, et lutulenta ruit sus.*" Idem Donatus ad Adelph. IV. 2. 11. »Dixit *irruat*, tamquam de eo, qui pugnaturus sit, aut tamquam *de sue.*"

Abacta nulla Veia conscientia. Commentator: *Quae nulla conscientia a maleficiis abigi poterat.* Ego primum dubito an Latine dicatur: conscientia illum a maleficiis *abigit*, pro *retinet, deterret*, caeteris. Tum addendum erat tale aliquid *a maleficiis, a sceleribus.* Denique nomen Ve-

Exhauriebat, ingemens laboribus,
Quo posset infossus puer
Longo die bis terque mutatae dapis
Inemori spectaculo:
Quum promineret ore, quantum exstant aqua
Suspensa mento corpora:
Exsecta uti medulla, et aridum iecur,
Amoris esset poculum:
Interminato quum semel fixae cibo
Intabuissent pupulae.
Non defuisse masculae libidinis
Ariminensem Foliam,

iae, hoc est mulieris *Veiis natae*, mihi suspectum est, ut suspectum esset *Ariminensis*, nisi sequeretur *Folia*. Alia ratio est in nominibus Graecis, *Lesbia*, *Delia*, *Chia*. Puto supra esse corrigendum: *Et expedita Sagana*. Hic autem: *At Acta nulla Veia conscientia*. Canidia iubet, et Sagana horret, at Acta interea humum exhauriebat. *At* vel defenditur per mutatum tempus *exhauriebat*. *Acte* est nomen servile. Notissima *Acte* Neronis liberta, apud Sueton. 28. et 50. *cum Acte concubina*. Ubi in plurimis MSS. legebatur *accia* vel *actia*, et Oudendorp. fere malebat *Acta*. Et ita Romani efferre solebant istiusmodi nomina Graeca. Poëtae saepe terminationem Graecam servarunt, ut *Helene*, *Europe*, quod syllabae quantitas postulabat, licet *Europa* etiam produxisse videantur in ultima, vulgo tamen, ut in *Acta*, corripitur. *Acta Veia*, ut *Folia Ariminensis*. Mulier autem dicitur *nulla conscientia*, ut *Folia masculae libidinis*, quod idem est atque *mascula libidine*.

Inemori spectaculo. Unum e MSS. *immemori*, cum glossa: *indigno memoria*.

Exsecta uti medulla. Hoc habent MSS. plurima et antiquissima. In aliis est magna varietas, *execta*, *exerta*, *exucta*, caetera. Heinsius emendaverat *exesta*, quod, ut antiquius, Bentl. mutavit in *exesa*, probatum a Valckenario ad Catulli Elegiam pag. 95. Annotatio Heinsiana, plena lectissimis exemplis est in Adversar. p.

Et otiosa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum:
Quae sidera excantata voce Thessala
Lunamque coelo deripit.
Hic irresectum saeva dente livido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? O rebus meis
Non infideles arbitrae,
Nox, et Diana, quae silentium regis,
Arcana quum fiunt sacra!
Nunc, nunc adeste: nunc in hostiles domos
Iram atque numen vertite.
Formidolosae dum latent silvis ferae,
Dulci sopore languidae,

559. 560. Sed medulla *exsesa* vel *exhausta* non potest accedere poculo; quia non exstat, sed evanuit. Veneficae aridam medullam et aridum iecur ex corpore necati fame pueri exsectum, sumtum, colligebant. Urebatur puer siti et fame usque ad imas medullas. Iste ardor in medullis mortui arefactis remanere putatur. Vide Gesnerum. *Exsecta*, ut Seneca Medea 732. *miscetque et obscoenae aves, Moestique cor bubonis, et rauca strigis Exsecta vivae viscera.*

Et otiosa credidit Neapolis. Comm. Cruq. *quieta, minus curiosa. Quare etiam fabulosa dicta est, quod a rebus graviori-bus vacaret, et fabulis indulgeret.* Ubi legendum est *nimis curiosa.* Forte respexit Silium XII. 31. Neapolis, *hospita Musis Otia, et exemtum curis gravioribus aevum. Otium* autem, ut ait Curtius VIII. 9. *serendis rumoribus natum est.* Ita Augustus appellabat ἀκραγόπολιν, vicinam Capreis insulam, ut narrat Sueton. 98.

Canidia rodens pollicem. Saga fingitur longis unguibus, et ob foeditatem corporis, et quod unguibus expediunt, quae alii ferro et cultris. v. Gronov. Observ. I. 23.

Arcana quum fiunt sacra. MS. Voss. *fiant.*

Formidolosae dum latent sil-

Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanae canes,
Nardo perunctum, quale non perfectius
Meae laborarint manus.
Quid accidit? cur dira barbarae minus
Venena Medeae valent,
Quibus superbam fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Quum palla, tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abstulit?
Atqui nec herba, nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum.

vis ferae. Credo ordinem horum versuum a librariis esse turbatum, sic restituendum: *Nox, et Diana, quae silentium regis, Arcana quum fiunt sacra: Formidolosae dum latent silvis ferae, Dulci sopore languidae: Nunc, nunc adeste.* Haec pertinent ad noctis taciturnae descriptionem, quando Diana silentium regit, *tacitae per amica silentia Lunae.* In vulgatis hic ordo verborum est: »O Nox et Diana, quae nocturno tempore luces, nunc adeste. Dum ferae in silvis latent, et nox est intempesta, canes latrent senem." Quae minus recte procedunt.

Senem adulterum Latrent Suburanae canes. Frustra emendarunt *seni adultero.* Nam Latinum est *latro senem*, ut Graecum *ὑλακτῶ γέροντα.* Plaut. Poenul. V. 4. 64. *Etiam me meae latrant canes.* Vide interpretes ad Gellii Noct. Att. VII. 1. Theocrit. VI. 29. Valcken. in Praefat. Epist. Phalaridis, editionis Lennepianae. Pro *Suburanae* MSS. Voss. *suburbanae:* ut et Priscian. pag. 1052.

Latens in asperis Radix fefellit me locis. MS. Voss. *latent.* Supra positum *latrent.* Mox *in locis.*

Indormit unctis omnium cubilibus. De explicatione horum versuum, misere torquentur interpretes, quatuor fere modis dif-

Ah! ah! solutus ambulat veneficae
Scientioris carmine.
Non usitatis, Vare, potionibus,
O multa fleturum caput!
Ad me recurres: nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.
Maius parabo, maius infundam tibi
Fastidienti poculum.
Priusque coelum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.

facultates expedire frustra conati. Addo quintum, qui est simplicissimus. Varus dormit in unctis et sordidis cubilibus omnium pellicum, oblita mei. Hoc voluisse puto auctorem, sed minus bene Latine expressisse. Si versus deleas, sententia totius orationis facili ordine progreditur. »Quid accidit? Varus non ad me redit. Num venena mea minus valent? Atqui nihil oblita sum, quin ea facerem quam maxime valida. Ah! iam scio. Liber est et defenditur contra venena mea carmine scientioris veneficae." Iam interpone glossam *Indormit unctis*, interposuisti tenebras et obscura. Glossam appellavi. Ea ex his verbis orta videtur: *Meum amorem non curat.*

O multa fleturum caput. Graeci coloris. Plutarch. Mor. T. III. pag. 634. *Μαρτυρεῖ δὲ Ἀλκαῖος κελεύων καταχέαι τὸ ῥόδον αὐτοῦ κατὰ τῶν κεφαλῶν πολυόστου κεφαλᾶς.*

Vocata mens tua. Semper inimica. Mens tua tibi nunquam redibit, quamquam vocata carmine veneficae, quae nunc quidem potentior est. Sed maius parabo venenum. Epod. XVII. 45. *Et tu, potes nam, coelos me dementis.*

Inferius mari. MSS. Vos. *mare.*

Bitumen atris ignibus. Cur igneo *atri* dicantur, mihi non satis liquet. Dicunt, quia flamma bituminis volvit atrum fumum. Nimia prolepsis. Elegantius legeretur: *Bitumen atrum his ignibus.* Sumebant veneficae exempla a rebus praesentibus. Virgil.

Sub haec puer, iam non, ut ante, mollibus
Lenire verbis impias;
Sed dubius unde rumperet silentium,
Misit Thyesteas preces:
Venena magnum fas nefasque non valent
Convertere humanam vicem.
Diris agam vos: dira detestatio
Nulla expiatur victima.

Eclog. VIII. 80. *Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit.* Theocrit. Eid. II. 28. *Ὡς τοῦτον τὸν καρὸν ἐγὼ σὺν δαίμονι τάκω.* *Atri ignes* plerumque sunt vel *rogales* vel *mali ominis.* Vide Serv. ad IV. Aen. 384.

Venena magnum fas nefasque non valent Convertere humanam vicem. Locus adeo obscurus, ut Bentleius, omnibus tentatis, frustra hic laborem impendi opinaretur, et versus spongia, non medicina sanandos putaret. Coniecerat vir magnus: *Venena magica fas nefasque non valent, Non vertere humanas vices.* Hoc est: »Venena magica non possunt convertere naturam iusti et iniusti, neque effugere poenam, quae scelestos semper consequitur." Pro *magnum* etiam Rutgers. *magicum* divinaverat. Et solent haec vocabula confundi. v. Oudendorp. ad Appul. Metam. III. pag. 213. Wakkerus in Amoen. Litter. pag. 16. volebat: *Venena,* (*magnum!*) *fas nefasque non valent, Non vertere humanas vices.* Gogav. Praeterm. pag. 34. coniicit: *Venena magnum ut fas nefasque. Ut* pro *quamvis.* Mihi in mentem venit: *Venena magnum fas nefasque non valent Convertere immani vice.* Vos me innocentem per cruciatus interfecistis, ut Varum incantationibus defigeretis. Valeant venena, quantum velint, nunquam tantum valebunt, ut poena merita liberemini. Nam fas et nefas aeterna et immutabili lege discreta sunt. Iustitia illa, quae bonis et malis hominibus sera praemia tribuit, magnum illud Fas, a vobis non convertetur in Nefas, immani atque impia mutatione non efficietis ut magnum Fas idem sit atque Nefas. *Magnum fas,* ut Virgil. IX. Aen. 95. *Fas immortale.* Seneca Thyest. 138. *fas valuit nihil Aut commune nefas.* Lactant. Inst. V. 6. *Sic assidua imitatione corrupti divinum fas reliquerunt. Immani*

Quin, ubi perire iussus exspiravero,
Nocturnus occurram furor,
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
Quae vis Deorum est Manium,
Et inquietis assidens praecordiis,
Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens
Contundet obscoenas anus,
Post insepulta membra different lupi,
Et Esquilinae alites.
Neque hoc parentes, heu mihi superstites!
Effugerit spectaculum.

vice, ut Horat. Epod. XIII. 10. *Deus haec fortasse benigna Reducet in sedem vice.* Statius II. Silv. VII. 92. *Cur saeva vice magna non senescunt.* Idem VI. Theb. 529. *iusta vice.* VIII. 192. *vice concordi.* Sed malim hos versus cum Bentleio delere, quod etiam suaserat Guietus.

Quin, ubi perire iussus exspiravero. Distingue: *Quin ubi, perire iussus, exspiravero.* Quoniam video mihi per vos esse periendum.

Assidens praecordiis. Ut incubo.

Contundet. MS. Leid. *contundat.*

CARMEN VI.

Quid immerentes hospites vexas, canis,
Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis?
Nam, qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon,
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nives,
Quaecumque praecedet fera.

CARMEN VI.

Quin huc inanes, si potes, vertis minas. MSS. Cruquii *verte*. Sic etiam inveni in MS. Voss. et Essenek. et habent Scholiastae. Legendum censeo: *Quin huc inanes verte, si potes, minas.* In quo versu sonus est iucundior, et tollitur sibilus, qui est in fine quatuor vocabulorum. In altero versu ex iisdem MSS. legendum *pete*. Postea vidi Broukhusium idem voluisse, qui addidit: »Nondum inspexeram Fabricium, cum hoc coniectarem. Sed iam video hos versus apud ipsum ex quatuor MSS. ita ordinatos." *Verte* quoque legit antiquus Commentator, et *pete*. v. Cruquius, qui reprehenditur a N. Heinsio ad Ovid. II. Am. XIX. 59. quod mutavit *vertis* in *verte*. Ovidius dixit: *Quin alium, quem tanta iuvat patientia, quaeris?* Ubi in aliis MSS. est *quaere*. Heinsius ostendit, tersae Latinitatis scriptores passim usurpare indicativum. Sed aeque boni scriptores usurpant imperativum. *Quin vertis* significat, *cur non vertis? Quin verte* significat, *age, verte*. Hortor te, ut vertas. Quod melius huic loco convenit. Exempla ubique exstant, multa apud Terentium. Vide vel Scriptores de *Particulis*.

Et me remorsurum petis? Lactant. VI. 18. *Quia ipsa caninam illam facundiam, sicut Sallustius ab Appio dictum refert, exercuit, voluit quoque hominem canino more vivere, ut remorderet lacessitus.* Vide Ursinum ad Fragm. Sallustii pag. 510. Hieron. Epist. 32. *Possum remordere, si velim. Possum genuinum laesus infigere.*

Tu, quum timenda voce complesti nemus,
Proiectum odoraris cibum.
Cave, cave: namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua;
Qualis Lycambae spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.
An, si quis atrô dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

Proiectum odoraris cibum. Cani famelico et latranti, quem tacere cupimus, cibum *obiicimus.* Hoc sciunt bestiae, ideoque fauces intendunt, circumspicientes si offa ostendatur. Unde acerbum illud Catonis apud A. Gellium N. Att. I. 15. de Coelio Tribuno: *Frusto panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur.* Sed quod *proiicitur*, temere fit, non certo consilio: hoc quivis, etiam tacens, devorat. Plautus apud Charisium pag. 64. *Quasi tu obiicias formicis papaverem.* Virgil. VI. Aen. 422. *Ille fame rabida tria guttura pandens Corripit obiectam* (offam). Livius IV. 15. *Cibvque obiiciendo victorem in servitutem pellici posse.* Plin. Paneg. 49. *Nec ieiunis et inanibus non tam apponis quam obiicis cibos, quos dedigneris attingere.* Phaedrus I. Fab. 23. *Nocturnus quum fur panem misisset cani, Obiecto tentans an cibo posset capi.* v. Burm. Hinc alia fluxere, ut *lucrum, spem, alicui obiicere*, tamquam bolum cani. Terent. Phorm. V. 2. 4. *Etiam argentum est ultro obiectum.* Vide Ruhnk. De *proiectus* v. Bentlei. ad Epod. X. 22. ubi *paeda proiecta* dicitur cadaver a fluctibus in terram eiectum. Malim igitur hic legere: *Obiectum odoraris cibum.* Nares circumvertis, si quis veniat, qui latratu territus, cibum tibi obiiciat.

Bupalo. MS. Leid. *Babalo.* Vide et Iunii Animadv. pag. 51.

Inultus ut flebo puer? Ovid. IV. Metam. 426. *Nil poterit Iuno, nisi inultos flere dolores?* Guietus hunc et antecedentem versum expungit. Quem in eo se non secutus sum.

CARMEN VII.

Quo, quo, scelesti, ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas invidae Carthaginis
Romanus arces ureret:
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via:
Sed ut, secundum vota Parthorum, sua
Urbs haec periret dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus,
Numquam, nisi in dispar, feris.
Errorne coecus, an rapit vis acrior?
An culpa? responsum date.

CARMEN VII.

Quo, quo. Unum e MSS. *quomodo.*

Aptantur enses conditi. Aptantur non est sollicitandum. Valer. Flaccus II. 545. *aptatque superbis Arma humeris.* Seneca Hippol. 533. *Non arma saeva miles aptabat manu.* Quintil. Declam. IV. 4. *Arma mihi ipse circumdedit, et suis ad pugnam manibus aptavit.* Vide et Arntzen. ad Plinii Panegyr. 18.

Nunquam, nisi in dispar, feris. Hanc lectionem Bentleius formavit partim ex antiquis editionibus, partim e MSS. In uno de nostris vidi: *unquam nisi ut dispar feras:* quod altera manus mutavit *in feris.* Horatium imitatur Seneca Oedip. 639. *quique nec mos est feris, Fratres sibi ipse genuit.* Lactant. de Ira Dei cap. 12. *Devolvimur ad bestiarum immanitatem, imo vero amplius: si quidem bestiae sui generis animalibus parcunt.* Schol.

Tacent: et albus ora pallor inficit,
Mentesque perculsae stupent.
Sic est: acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternae necis;
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

ad Iuvenal. Sat. XV. 150. citat locum Varronis: *Canis caninam non est.*

Tacent: et albus ora pallor inficit. Vulgo: *et ora pallor albus inficit.* Quod minus suave sonat. Alterum est in optimo MS. nostro, et Bentleius in aliis reperit. Haec cogitabat Prudent. Cathem. X. 97. *Haec, quae modo pallida tabo Color albidus inficit ora.*

Mentesque perculsae stupent. Initio alloquitur *scelestos.* Rogat an *ipsos* vis acrior rapiat. *Illi* tacent. Pallor *iis* ora inficit. Legamus et hic: *Mentesque perculsi stupent.* Ennius ed. Column. pag. 239. *Perculsi pectora Poeni.* Virgil. IV. Georg. 357. *Percussa nova mentem formidine mater.* Silius Ital. VII. 587. *percussus pectora luctu.* *Percussae* h. l. est in MS. Battel. teste Bentleio ad Epod. XI. qui recte praefert *perculsae.* *Perculsus* est eversus, afflictus: *percussus*, ictus, saucius. v. Bentl. et Gronov. ad Liv. III. 30. Atque hinc iudicanda est MSS. varietas in his vocibus. Vide exempla apud Heins. ad Virgil. I. Aen. 513. et Cort. ad Sallust. Iugurth. 42. Neque omitte Ruhnken. ad Sueton. Tiber. cap. 11. et Burm. ad Quintil. VII. Declam. 2. Caeterum bella civilia fatis et alii tribuerunt. Manil. IV. 83. *Non nostrum hoc bellum est: coguntur tanta moveri, Inque suas ferri poenas, lacerandaque membra.*

Acerba fata Romanos agunt. Haec a Schol. Stat. Theb. I. 185. ita afferuntur: *acerba facta Romanos premunt.* Error memoriae, puto.

CARMEN VIII.

Rogare longo putidam te saeculo,
Vires quid enervet meas!
Quum sit tibi dens ater, et rugis vetus
Frontem senectus exaret;
Hietque turpis inter aridas nates
Podex, velut crudae bovis!
Sed incitat me pectus, et mammae putres,
Equina quales ubera;
Venterque mollis, et femur tumentibus
Exile suris additum.
Esto beata: funus atque imagines
Ducant triumphales tuum;
Nec sit marita, quae rotundioribus
Onusta baccis ambulet.
Quid? quod libelli Stoici inter sericos
Iacere pulvillos amant,
Illiterati num minus nervi rigent?
Minusve languet fascinum?
Quod ut superbo provoces ab inguine,
Ore allaborandum est tibi.

CARMEN VIII.

Venterque mollis, et femur tumentibus Exile suris additum. Hieronymus Epist. 84. inter morbos numerat *tumentes alvos, exile femur, crura turgentia.* Hieronymus probe tenebat Horatium.

Quae rotundioribus. Tria MSS. Leid. *maturioribus.*

Minusve languet fascinum? Quod Guietus coniecerat, probante Bentleio *magisve*, idem coniecit Broukhusius. In MSS. hae voces saepe permutatae sunt. Vide, praeter alios, Burmann. ad Quintil. Declam. VIII. 1.

CARMEN IX.

Quando repostum Caecubum ad festas dapes,
Victore laetus Caesare,
Tecum sub alta, sic Iovi gratum, domo,
Beate Maecenas, bibam,
Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
Hac Dorium, illis barbarum?
Ut nuper, actus quum freto Neptunius
Dux fugit ustis navibus,
Minatus urbi vincla, quae detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus, eheu! posteri negabitis,
Emancipatus feminae,
Fert vallum et arma miles, et spadonibus
Servire rugosis potest!
Interque signa turpe militaria
Sol adspicit conopium!

CARMEN IX.

Tecum sub alta, sic Iovi gratum, domo. Unum e MSS. nostris: *sic Iovi datum.*

Minatus urbi vincla. MS. Voss. *vincula.*

Emancipatus feminae. Unum Leid. *et mancipatus.* Amare dictum est *feminae.* Nam et Antonius significari potest. Viri enim imbelles, molles et impudici *feminae* appellantur. Auctor antiqui Carminis in Anthol. Burm. T. I. pag. 433. *Quid pallaisti femina?* Sallust. Fragm. pag. 420. *Fufidius, ancilla turpis.* Liv. X. 28. *Prima eorum proelia plus quam virorum, postrema minus quam feminarum esse.* Curtius III. 10. *Irent, et imbellibus feminis aurum viri eriperent.* V. interp. ad Silii Ital. II. 361. et Oudend. ad Appul. Metam. pag. 157.

Interque signa turpe militaria. Baverus in Observ. Crit. p. 4. emendat: *Interque signa,*

Ad hunc frementes verterunt bis mille equos
Galli, canentes Caesarem;
Hostiliumque navium portu latent
Puppes sinistrorsum citae.
Io triumphe! tu moraris aureos
Currus, et intactas boves?
Io triumphe! nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem;

turpe! militaria. Atque ita iam Comment. »Per exclamationem legendum *turpe*, hoc est *res turpis.*" Pro *adspicit* in Vocab. Nestoris legitur *afficit.*

Conopium. Ita Bentleius, cum N. Heinsio, quem vide in Adversariis pag. 725. Male alii *conopeum*, cuius penultima producatur.

Ad hunc frementes verterunt bis mille equos. Magna in MSS. varietas: *ad hunc*, *adhuc*, *at huc.* Bentl. corrigit *ad hoc:* id est, ad hoc conopium, ad hoc turpe spectaculum. Etiam proposuit *ad haec*, ad has res, nempe quod feminae et eunuchis parendum esset. Mihi placet: *Ab hoc.* Ab hoc conopio, rem viris indignam putantes, Galli se averterunt, ad Augustum transgressi. *Ab hoc* etiam N. Heinsius in sua editione annotavit.

Galli, canentes Caesarem. Illud *canere* fere refert consuetudinem, qua milites hodie *vivat rex*, *vivat princeps*, exclamant. Virgil. VII. Aen. 698. *Ibant aequali numero regemque canebant.* Statius II. Theb. 651. *vulgique per ora paventis, Contemto te rege, canent.* Et hoc barbaris quasi proprium. Ammian. Marcell. XXIV. p. 295. *Ex usu moris gentici iustitiam felicitatemque regis sui canoris vocibus extollentes.* XXXI. pag. 481. *Barbari maiorum laudes clamoribus stridebant inconditis.* Similem morem narrat Xenoph. Anab. VI. 1. *Καὶ ὁ μὲν σκυλεύσας τὰ ὅπλα τοῦ ἑτέρου, ἐξῄει ᾄδων Σιτάλκαν.*

Puppes sinistrorsum citae. Waddel. Anim. Crit. pag. 58. emendavit: *Puppes sinu introrsum citae.* Conieci: *Puppes sinistrorsum abditae.* Abditae metu, ut plane desperantes de victoria, ubi Antonius se ita abiecerat, et barbarus erat factus. Puppes se abdiderant in sinistro portus angulo, metuentes impetum hostilem a dextra parte. Sed et hic locus est admodum ob-

Neque Africanum, cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit.

scurus, et Bentleius vere dixit, ingenia interpretum non modo esse exercita, sed etiam iri exercitum. Accedit, quod de Gallis ad Augustum transfugis nusquam apud ullum historicum fiat mentio. Itaque facio potius cum Guieto, qui quatuor versus inducit.

Cui super Carthaginem Virtus sepulcrum condidit. Bentl. mutabat: *Quo super Carthaginem.* Ego puto magnam esse significandi vim in *super.* Virtus Scipioni Africano sepulcrum condidit super deiectam Carthaginem, quod sepulcrum altius est ruinis deletae urbis. Ita dicuntur victores stare *super hostem* deiectum: et Horatius alicubi: *O magna Carthago probrosis Altior Italiae ruinis.* Habebat ita Scipio altum sepulcrum super Carthaginem. Viris fortibus omnis terra est sepulcrum et monumentum, ea inprimis, quae cum rerum ab iis gestarum memoria arctissime coniuncta est. Thucyd. II. 41. *Ἀνδρῶν γὰρ ἐπιφανῶν πᾶσα γῆ τάφος, καὶ οὐ στηλῶν μόνον ἐν τῇ οἰκείᾳ σημαίνει ἐπιγραφὴ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ μὴ προσηκούσῃ ἄγραφος μνήμη παρ' ἑκάστῳ τῆς γνώμης μᾶλλον ἢ τοῦ ἔργου ἐνδιατᾶται.* Hinc explicandus est Catullus Carm. XI. 9. *Sive trans altas gradietur Alpes, Caesaris visens monumenta magni, Gallicum Rhenum, horribilesque ulti-Mosque Britannos.* Ubi *Rhenum* et *Britannos* vocat *monumenta* Caesaris. Liv. XXX. 28. *Hannibal Hispanias, Gallias, Italiam ab Alpibus ad fretum, monumentis ingentium rerum complerat.* XXXI. 29. *Capua quidem, sepulcrum ac monumentum Campani populi, superest.* Velleius Patero. II. 38. *Syria et Pontus sunt Cn. Pompeii virtutis monumenta.* II. 40. *Pompeius, quot partes terrarum sunt, totidem fecit monumenta victoriae suae.* Sidon. Apollin. Carm. XIII. 11. *Taurus, cerva, gigas, hospes, luctator, Amazon, Cres, canis, Hesperides, sint monumenta viri.* Agesilaus apud Plutarchum dixit: *Εἰ γάρ τι καλὸν ἔργον πεποίηκα, τοῦτό μου μνημεῖον ἔσται.* Dio Cassius LII. 11. *Ἢ οὖν περιγενόμεθα αὐτῶν, ἢ ἐνταῦθα ἀποθάνωμεν, καλὸν τὸ μνημεῖον τὴν Βρεττανίαν ἕξομεν.* Alio hanc locutionem flexit Propert. III. 5. 28. *Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.* Et Auson. Epitaph. Heroum XI. *Cuncta elementa duci tanto commune sepulcrum.*

Terra marique victus hostis, Punico
Lugubre mutavit sagum.
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
Ventis iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, scyphos,
Et Chia vina, aut Lesbia;
Vel, quod fluentem nauseam coërceat,
Metire nobis Caecubum.
Curam metumque Caesaris rerum iuvat
Dulci Lyaeo solvere.

Punico Lugubre mutavit sagum. Plin. Paneg. 56. *Paludamento mutare praetextam.* Sallust. ap. Schol. Iuvenal. Sat. VI. 400. *Togam paludamento mutavit.*

Et Chia vina, aut Lesbia. Phocas Gramm. pag. 1707. *Nam vina Coa dicimus et Massica.* Ubi in ed. Mediol. legitur *vinacia:* corruptum scilicet ex *vina Chia.*

Vel, quod fluentem nauseam coërceat. Non impetrare a me possum, ut credam haec esse Horatii. Scio apud Romanos aliud in hoc genere censeri non indecorum, atque apud nos censetur. Sed putidum, mentionem rei iniicere, quae vel ipsa est ingrata, et suavitatem convivii sola cogitatione corrumpit. Quod si verum sit de *nausea*, quid de *nausea fluente?*

CARMEN X.

Mala soluta navis exit alite,
Ferens olentem Maevium.
Ut horridis utrumque verberes latus,
Auster, memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus, inverso mari,
Fractosque remos differat.
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes ilices:
Nec sidus atra nocte amicum appareat,
Qua tristis Orion cadit;
Quietiore nec feratur aequore,
Quam Graia victorum manus,
Quum Pallas usto vertit iram ab Ilio
In impiam Aiacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis,
Tibique pallor luteus!
Et illa non virilis eiulatio,
Preces et aversum ad Iovem;
Ionius udo quum remugiens sinus
Noto carinam ruperit!

CARMEN X.

Auster, memento fluctibus. Valer. Flacc. I. Argon. 639. *Illam huc atque illuc nunc torquens verberat Eurus.* Ibi Burm. et locum Horatii citat, et corrigit: *Auster, memento flatibus.* Bene tamen addit, vulgatam lectionem iure defendi posse.

Frangit trementes ilices. Vir doctus suae editioni adscripserat: *Plangit trementes ilices.*

Vertit iram. MS. Voss. *avertit iram.*

Ionius udo quum remugiens

Opima quod si praeda curvo litore
Porrecta mergos iuveris;
Libidinosus immolabitur caper,
Et agna Tempestatibus.

sinus. Broukhus. adscripserat *sinu:* iam ab aliis occupatum, et e MSS. prolatum. Opportuna tamen sunt, quae ex Seneca laudavit in Hippol. 1012. *Nec tam furenti pontus exsurgit sinu Regnante Coro.* Neque Bentleius hanc lectionem improbat, sed *Ionius* pro *Ionium* ei non placet. Vulgata puto servanda.

Porrecta mergos iuveris. Franekeranum MS. *iuverit. Iuvare* de cibo et potu saepe usurpatur. Plaut. Captiv. I. 2. 33. *Neque unquam quidquam me iuvat, quod edo domi.* Stat. Silv. IV. 9. 51. *Aut cum me dape iuveris opima.* Quintil. Declam. IX. 15. *Si hominem cibo iuvissem.*

CARMEN XI.

Pecti, nihil me, sicut antea, iuvat
Scribere versiculos, amore perculsum gravi:
Amore, qui me, praeter omnes, expetit
Mollibus in pueris, aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo destiti
Inachia furere, silvis honorem decutit.

CARMEN XI.

Aut in puellis urere. Amor me praeter omnes petit, ut me in puellis urat. Illi ita placet me praeter omnes urere. Terent. Eunuch. III. 5. *In hac commotus sum.* v. Ruhnk. et doctam annotationem Oudendorpii ad Sueton. August. 69. Ad eandem rationem statim pro *Inachia furere* N. Heinsius volebat *in Inachia furere.*

Silvis honorem decutit. Imi-

Heu me, per urbem, nam pudet tanti mali,
Fabula quanta fui! Conviviorum et poenitet,
In quîs amantem et languor, et silentium
Arguit, et latere petitus imo spiritus.
Contrane lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium! querebar, applorans tibi:
Simul calentis inverecundus Deus
Fervidiore mero arcana promorat loco.
Quod si meis inaestuet praecordiis
Libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
Fomenta, vulnus nil malum levantia;
Desinet imparibus certare summotus pudor.

tatur auctor Epigrammatis in Anthol. Burm. T. II. pag. 347. *Decutit ipse rigor silvis hyemalis honorem.*

Nam pudet tanti mali. Broukh. *iam pudet.*

Conviviorum et poenitet. Forte melius: *Conviviorum ut poenitet!* Sic etiam censuit Bentleius.

Languor. MS. *languos:* contra legem metri.

Querebar, applorans tibi. Graecum προσολοφύρεσθαί τινι. Vide Thucyd. VIII. 66.

Ut haec ingrata ventis dividat Fomenta. Fomenta sunt ipsa convivia, solatium, quod ex conviviis petebat, quae ad amorem pellendum celebrabat. Tibull. I. 5. 37. *Saepe ego tentavi curas depellere vino: At dolor in lacrymas verterat omne merum.* In duobus MSS. Leid. *ventus:* in uno *venus. Ventus dividat* esset, ventus differat, discerpat. Virgil. IV. Aen. 312. *Sed auras Omnia discerpunt, et ventis irrita donant. Ventus* etiam coniecerat Broukh. Sed postea ipse reiecit. Et vulgatum melius habeo. Exempla poëtarum collegit multa Rittershusius ad Guntheri Ligur. VI. 137. *Ingrata*, ut ἀχάριστα apud Callim. Hymn. Cer. 90. τὰ δ' ἐς βυθὸν οἷα θαλάσσης Ἀλεμάτας ἀχάριστα κατέῤῥεεν εἴδατα πάντα. *Ingratae* res dicuntur, quae labori nostro non respondent, frustra a nobis susceptae. Plaut. Asin. I. 2. 10. *Ingrata atque irrita esse omnia intelligo.* Catullus Carm. LXXII. *Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est.*

Ubi haec severus te palam laudaveram,
Iussus abire domum, ferebar incerto pede
Ad non amicos, heu! mihi postes, et, heu!
Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
Nunc, gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitia, amor Lycisci me tenet;
Unde expedire non amicorum queant
Libera consilia, nec contumeliae graves;
Sed alius ardor, aut puellae candidae,
Aut teretis pueri, longam renodantis comam.

Iussus abire domum. Et hoc nunc ex superiori interpretatione rectius intelligitur. Amicus, cui apploraverat, dicebat: »Praestate virum, nec quaere solatia in conviviis a vino, sed domi, et a constantia tua."

Ferebar incerto pede. Incerto pede fertur, qui huc illuc temere sine consilio oberrat, neque secum, quo ire velit, destinatum habet, vel novit. Ovid. III. Metam. 175. *Per nemus ignotum non certis passibus errans.* Plinius VI. Epist. 5. *Ad diaetam tuam ipsi me, ut verissime dicitur, pedes ducunt.* Ad sententiam facit poëta in Anthol. Iacobs. pag. 164. Ἴλμοσα γὰρ λυκάβαντα μένειν ἀπάνευθεν ἐκείνης. Ὦ πόποι· ἀλλ' ἱκέτης πρώϊος εὐθὺς ἔβην.

Postes. Unum MS. facete *pestes.*

Sed alius ardor. Biezon. Epist. 95. *Philosophi saeculi solent amorem veterem amore novo, quasi clavum clavo, expellere.*

CARMEN XII.

Quid tibi vis, mulier, nigris dignissima barris!
Munera cur mihi, quidve tabellas
Mittis, nec firmo iuveni, neque naris obesae?
Namque sagacius unus odoror,
Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
Quam canis acer, ubi lateat sus.
Qui sudor vietis, et quam malus undique membris
Crescit odor, quum pene soluto
Indomitam properat rabiem sedare! Nec illi
Iam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili; iamque subando
Tenta cubilia, tectaque rumpit:
Vel mea quum saevis agitat fastidia verbis:
Inachia langues minus, ac me:

CARMEN XII.

Quid tibi vis. Nota est formula. Sed non recte faciunt, qui uno semper eodemque modo accipiendam putant. Prima significatio est: *quodnam tuum est consilium.* Vide Ruhnk. ad Terent. Andr. II. 3. 1. Hinc aliae significationes: *satin' sanus es, nihil proficies*, facile derivantur. Pro *barris* Gogav. Praeterm. p. 33. legit *carris*, id est, pastinha, faecem instar limi foedantibus.

Mittis. MS. Leid. unum *mittis.*

Et quam malus. In uno Leid. *quis malus.*

Crescit odor. MS. Voss. *crescit.*

Quum pene soluto. Scribendum esse arbitror: *quum paene soluta.* Nam Horatius eam non poterat. Erat vel mollis *ad unum opus.* Notum in hac re est verbum *solvi*: sententia fere eadem, quae in his Ausonii Epigr. 108. *Titillata brevi quum iam sui fine voluptas Fervet.*

Vel mea quum saevis agitat fastidia verbis. Interpretes lo-

Inachiam ter nocte potes; mihi semper ad unum
Mollis opus. Pereat male, quae te,

cum non intellexerunt. Mitscherlichius tamen aliquid vidit. Legendum puto: *Vel mea quam saevis agitat fastidia verbis!* Ac vide mihi impudentiam anus. Haec, quae adhuc dixi, fecisse non satis habet. Audet etiam mihi meum fastidium exprobrare. Vel exprobrat mihi, et quam saevis verbis! Plaut. Miles Glor. I. 1. 59. *Amant te omnes mulieres, neque hercle iniuria, Quó sis tam pulcher; ut vel illae, quae here pallio Me reprehenderunt.* Terent. Heaut. IV. 6. *Vel me haec deambulatio quam non laboriosa ad languorem dedit.* Locus Virgilii XI. Aen. 406. paullo est difficilior: *Vel cum se pavidum contra mea iurgia fingit Artificis scelus, et formidine crimen acerbat.* Ac forte scribendum est: *Artifici scelere et formidine crimen acerbat.* Schol. Iuvenal. ad Sat. XV. 16. *Ut mendax aretalogus*, citat Virgilianum *Artificis scelus.* *Artifex scelus* est arte et dolo compositum, ut *sermo artifex*, *forma*, *vultus.* v. Heins. Adversar. II. 6. Vulgo accipiunt *scelus artificis* ut *scelus hominis.* Sed ex ingenio Latinitatis significat scelus, quod *ipse artifex* et auctor sceleris patravit. Ecce ipsum Virgil. II. Aen. 125. *mihi iam multi crudele canebant Artificis scelus.* Sic Sallust. B. Iug. 35. sicarios appellat *talis negotii artifices.* v. Rittershus. ad Gunther. Ligur. V. 217. *Artifices scelerum.* De particula *vel* legantur quae scripsere Ruhken. ad Terent. Eunuch. III. 1. 7. et Sueton. pag. 248. et Tursellin. de Particulis pag. 1047. ed. Schwartzii. Libens autem in istiusmodi dicendi formulis laudare soleo Ruhnkenium, quia nemo eas tam eleganter et perspicue exponit. *Fastidium agitare*, alia significatione reperitur apud Iustin. VIII. 4. nempe pro *fastidire.*

Mihi semper ad unum Mollis opus. Non recte interpres: *vis uno decurso amoris stadio.* *Mollis*, ut *iners*, est, qui nihil potest. Unde *exsecti* dicuntur *molles.* v. Salvagnius ad Ibin 458. Mollis *ad unum opus*, qui vel ne unum quidem opus potest. Mollis, etiam quod ad unum opus attinet. Sallust. Fragm. pag. 444. *Modestus ad alia omnia, nisi ad dominationem.* Liv. III. 5. *difficile ad fidem.* Ovid. XII. Metam. 167. *Invictumque ad vulnera erat.* v. Heins. et Ernest. Clav. Ciceron. Talia sunt Graeca Herodoti III. 110. ἐς ἀλκὴν ἄλκιμα. Antiphanes apud Athenaeum III. pag.

Lesbia, quaerenti taurum, monstravit inertem;
Quum mihi Cous adesset Amyntas,
Cuius in indomito constantior inguine nervus,
Quam nova collibus arbor inhaeret.
Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
Cui properabantur? tibi nempe:

421. *Ἀντιέρβλητος εἰς κοτρφίαν.* Eurip. Medea vs. 266. *κακὴ εἰς ἀλκήν.* Si Horatius voluisset significare, quod Livius XXIII. 42. de ape dicit, *quae ad unum modo ictum vigens, velut emisso aculeo, torpet*, dixisset credo: *mihi semper ad unum Fortis opus.*

Quam nova collibus arbor inhaeret. Quam nova defendit et exponit Gronov. Diatribe Statiana II. p. 109. contra virum illustrissimum, qui supponebat *Quam non.* Fecerat hoc Ios. Scaliger. Sed *nova* est recens, iuvenis, tenera. Solet in huiusmodi comparatione exemplum *annosae quercus* adhiberi, cuius radices altissime montibus inhaerent. Credam potius Horatium dedisse: *Quam sua collibus arbor inhaeret. Sua arbor* est colli dudum cognita, hinc *antiqua.* Horat. Epod. XVI. *suamque pulla ficus ornat arborem.* Ovid. I. Metam. 94. *Caesa suis montibus pinus.* Statius VII. Theb. 226. *Informes ornat sua gloria virgas.* Gunther. Ligur. X. 496. *Arboreis redeant sua munera ramis.* Librarii *novus* et *suus* in omnibus fere MSS. confuderunt. Ovid. II. Am. 5. 37. *Quale rosae fulgent inter sua lilia mixtae.* Fast. III. 34. et alibi. Auctor Nucis 131. *At simul induimus nostris sua munera ramis.* Ubi Heinsius: »Puto, ait, scribendum *nova munera. Sova* scriptum fuerat." Non equidem probo emendationem viri illustris, sed didici tamen caussam, cur haec vocabula tam saepe permutata sint. Fortasse hinc corrigendus est Virgil. III. Aen. 371. *Hic Helenus, vittasque resolvit Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phoebe, Ipse manu multo suspensum numine ducit.* Aeneas haec narrat Didoni. Minus iucunda est illa apostrophe ad Apollinem, meliusque fluit oratio, si scribamus: *meque ad nova limina Phoebi ducit.*

Cui properabantur. Servius ad Virgil. IV. Georg. 170. *lentis Cyclopes fulmina massis Quum properant;* annotavit: »*Properant* vetuste. Ut Plautus in fragmen-

Ne foret aequales inter conviva, magis quem
Diligeret mulier sua, quam te.
O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acres
Agna lupos, capreaeque leones!

to: *properat prandium.* Et Ennius: *festinat diem.*" Adde Stat. Silv. IV. 1. *Et properata tuae manibus praetexta Minervae.*

O ego non felix. Sic etiam MS. Graev. *Infelix* Charisius p. 131. probante Vossio in annotatione scripta: et Servius p. 1802. Vide interpretes ad Ausonium, qui scripsisse videtur in Praefatione: *Hic ego Ausonius.* Cum Bentleio edidi *non felix.*

CARMEN XIII.

Horrida tempestas coelum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Iovem: nunc mare, nunc siluae
Threïcio Aquilone sonant. Rapiamus amici
Occasionem de die: dumque virent genua,
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move consule pressa meo.

CARMEN XIII.

Coelum contraxit. MS. Franek. *constrinxit.*

Et decet, obducta solvatur fronte senectus. Vino, cantui et hilaritati indulgere magis decet iuvenes, quam eos, qui iam attingere inceperunt senectutem. Et occasionem magis *rapimus* dum *licet*, quam *decet.* Mallem: *Et licet.* Cicero III. de Oratore 40. laudat hos versus Ennii: *Vive, Ulysses, dum licet. Oculis postremum lumen radiatum rape.* Addit Cicero: *Non dixit Ennius* cape, *non* pete: *haberet enim moram sperantis diutius esse sese victurum, sed* rape. *Hoc verbum est ad id aptatum, quod*

Caetera mitte loqui: Deus haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenia
Perfundi nardo iuvat, et fide Cyllenea
Levare diris pectora sollicitudinibus.

ante diurnat, dum licet. Eumenum forte respexit Petronius cap. 114. *Ad caenula, dum licet, et ultimum hoc gaudium fatis properantibus rape.* Vim verbi *rapere* ostendit Ritterhusius ad Gunthери Ligur. I. 309.

Perfundi nardo iuvat. MS. *profundi.* Caeterum scribam iuvet. Horatium sine dubio iuvabat. Ut amicum iuverat, ideo hoc carmen scripsit, eumque ad hilaritatem excitat. *Rapiamus occasionem*, dixit. *Solvatur senectus, move vina, mitte loqui*, ergo et *iuvat.*

Quam frigida parvi Findunt Scamandri flumina. Flumina appellantur *parva*, si eorum parvitas sit memorabilis, si partes eiusdem fluminis inter se comparentur, ut hic v. c. Rhenus *parvus*, illic fluat *magnus*, vel si *parva* flumina opponantur aliis quae dicuntur *magna*, sive propter alias causas, quae hic ad Scamandrum referri non possunt. Ita Silius Italicus VIII. 599. *parvique Bononia Rheni.* Scamander erat minor Simoënte fluvius. Vide Chevallierium in Itinere ad Troadem T. II. pag. 174. ed. Hollandae. Sed Horatius non instituit comparationem. Sic enim aliud epitheton, quam *lubricus*, tribuisset Simoënti. Lucanus quidem IX. 974. *Inscius in sicco serpentem pulvere rivum Transierat, qui Xanthus erat.* Sed Horatius loquitur de Xantho tempore Achillis, Lucanus, de tempore Caesaris. Neque Burmanno ad Valer. Flaccum V. 180. de contrariis epithetis disputanti, quae poëtae iisdem fluminibus dederunt, concesserim, poëtis hoc esse dandum, ut ipsas rerum et locorum naturas mutent, et argumento suo accommodent, dummodo speciem veri et decorum servent. Nam non intelligo quae species veri remaneat, si rerum naturas mutaverimus. Discernenda puto in hoc genere tempora, loca, et anni tempestates, unde varietatem epithetorum explicari posse arbitror omnem, si interdum errorem ipsius poëtae in re Geographica excipias. Apud Homerum, quem Horatius sequitur, in Iliad. N. est Xanthus *μέγας ποταμὸς βαθυδίνης*, et Dionys. Perieg. 819. *Ξάνθῳ ἐπ' εἰρὴ ῥέοντι καὶ Ἰδαίῳ Σιμόεντι.* Comment. Cruq. in altero exemplo vidit *pravi Scamandri*, idque interpretatur *tortuosi*, *flexi.* Hinc N. Heins. legebat *flavi.* Sed

Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
Invicte mortalis, Dea nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois;
Unde tibi reditum certo subtemine Parcae
Rupere; nec mater domum coerula te revehet.

flavum Scamandrum Graecos non dixisse arbitror, quia aliud nomen eiusdem fluminis est Ξάνθος, idque antiquius, quapropter Homerus linguae Deorum tribuit. Bentleius mutabat *proni Scamandri*. Ego conieci: *Quam frigida puri Findunt Scamandri flumina. Frigidum* et *purum* optime conveniunt. Ut v. c. apud Arrian. Periplo pag. 125. est flumen ψυχροῦ καὶ καθαροῦ ὕδατος. Homerus Iliad. Φ. 345. laudat Xanthi ἀγλαὸν ὕδωρ et mox καλὰ ῥέεθρα. *Purus* de fluminibus saepe legitur. Horat. III. Carm. 16. *Purae rivus aquae*. Virgil. III. Georg. 522. *Amnis purior electro*. Stat. IV. Silv. 3. *Puro gurgite provocare Lirim*. Auson. Mosella: *Non Aponus potu, vitrea non luce Nemausus Purior*. Idem in Villula: *Fons propter, puteusque brevis, tum purus et amnis*. Sidon. Apollin. I. Epist. 5. *Pura Faberis fluenta*.

Unde tibi reditum certo subtemine Parcae Rupere. Parcae nent fila fatalia. Mensura filorum quanta cuique sit destinata, constitutum, immutabile, *certum* est. Fateor tamen hanc explicationem habere aliquid contorti. Ita visum et aliis, quorum hi corrigunt *secto subtemine*, Bentl. *curto*, Klotzius in Lect. Venus. pag. 401. *certo sub nomine*. In talibus coniecturis non vereor meam proponere: *Unde tibi reditum certae et subtemina Parcae Rupere*. Parcae dicuntur *certae*, quia non mentiuntur, neque falluntur, sed faciunt, quod semel constituerunt. Ita Horat. I. Carm. 7. *Certus enim promisit Apollo*. Idem *Parcam* alibi appellat *non mendacem*. Statius Silv. V. 1. *certae iurant in vota sorores*. Hoc est ἀληθεῖς. Iam *fila*, *stamina*, *subtemina rumpere* Parcarum proprium est. Ovidius, *stamina rupisset de tribus una seror*. Seneca Octav. 14. *Utinam ante manu Grandaeva sua mea rupisset Stamina Clotho*. Eleganter denique *ruperunt reditum et subtemina*, quod est Graeci poëtae, νόστόν τε βίοντε. Huiusmodi acuta brevitas est in his Sallustii Iug. 5. *Imperii vitae-*

Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.

que finis idem fuit. Cicero V. Verr. 30. *Idemque dies et victoribus imperii, et victis finem vitae fecit.* Tacit. I. Ann. 9. *Idem dies accepti quondam imperii princeps, et vitae supremus.* Horat. I. Serm. V. 104. *Brundusium longae finis chartaeque viaeque.* Sidon. Apollin. Epist. VII. 17. *Finiti cursus istic vitaeque viaeque.* Quintil. Declam. I. 2. *Idem amoris et spei finis est.* Gualter. Alexandr. VI. 118. *Mors Darium vita simul et diademate privat.* Gunther. Ligur. 235. *acerbo Funere Chunradus vitam sceptrumque reliquit.*

Nec mater domum Coerula te revehet. Thetis intelligitur *mare.* Quod nonnulli interpretes vocant invenustum. Ita tamen accepit Val. Flacc. V. 200. *Adnue Diva maris.* (Helle) *Quando egomet rursus per te vehar?* Suavissima autem matris commemoratio, quod apud Pindarum saepe observarunt interpretes, ut Olymp. I. 46.

Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis. Idem Klotzius Lect. Venus. pag. 402. volebat *deformis aegrimonias:* id est, *deformes.* Non cogitavit, se ita versum fecisse metro repugnantem. Bentleius: *omne malum vino cantuque levato Deformis aegrimoniae, ac dulcibus alloquiis:* iungens *malum deformis aegrimoniae.* Quid, si legamus? *Illic omne malum vino cantuque levato, Deformem et aegrimoniam dulcibus alloquiis.* Malum vino et cantu, aegrimoniam alloquiis. Comment. Cruq. » *Familiarium sermonibus et amicorum communicationibus debes dissolvere quidquid tibi imminet tristitiae.* In MSS. legebatur *deforme et aegrimonia.* Unde facile oriri potuit *deformes* et *deformis.* *Alloquia* sunt solamina, sed ea referuntur ad homines, non ad res. Vide Bentl. et Elmenhorst. in Indice Appulei. et Ruhnken. ad Sueton. Tiberium cap. 23. Locum Valerii Flacci I. 250. interpres perverse accepit. *Hanc vero, o socii, venientem in litore laeti Dulcibus alloquiis ludoque educite noctem:* conficiens ex vs. 294. *iamque mero ludoque modus*, ibi *alloquia* esse *merum et ludum.* Imo *alloquia* sunt varii sermones, quibus alter alterum alloquitur, animum confirmat, exhilarat, et solatur. Vide etiam Marklandum ad Statii Silvas I. 2. pag. 174. Guntherus in Ligurini Libro VI. 601. *Dulcibus alloquiis ita respondisse putato.*

CARMEN XIV.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus,
Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim,
Candide Maecenas, occidis saepe rogando.
Deus, Deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium;
Qui persaepe cava testudine flevit amorem,
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipse miser. Quod si non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion,

CARMEN XIV.

Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos. MS. Franck. *uti.* Et sic in uno Leid. Corruptum ex *veluti.* Vulgatum magis est consuetudinis Horatianae. v. Bentl. Comparandus autem hic est Seneca Herc. Oet. 644. *Cespes Tyrio mollior ostro Solet impavidos ducere somnos.*

Arente fauce traxerim. Et hoc Graecum est. Menander apud Athen. XI. 43. *Μίσως μεθύων τὴν θηρίκλειον ἔσπασε.* Nicander in Eodem XI. 70. *Καὶ μελιχρὸν οἶνον ἕλκειν ἐκ λεπαστῆς ἡδύπνου.* Vide Bergler. ad Alciphron. Epist. I. 34.

Occidis saepe rogando. Poëta apud Athenaeum X. 45. *Ἀπολεῖς μ' ἐρωτῶν.* Talia sunt *ἀποκναίειν*, *ἀποκτείνειν*, *ἀποπνίγειν*, *κόπτειν*, *κατακόπτειν.* Vide Pierson. ad Moer. pag. 73.

Ureris ipse miser. Quod si non pulchrior ignis. In his connectionem cum toto carmine video nullam, neque unus omnium interpretum ostendit. Fortasse

Gaude sorte tua: me libertina, neque uno
Contenta, Phryne macerat.

legendum: *Ureris ipse miser. Quid, si non pulchrior ignis Incendit obsessam Ilion? Gaude sorte tua.* Verba interrogative posita sunt Maecenatis. Horatius dicit: Et ipse tu, Maecenas, ureris, amas, miser es. Quid, inquit Maecenas, ego miser? amans puellam, quae Helenae pulchritudine nil cedit? Horatius: Gaude tua sorte. Ego tam felix non sum, et propterea quoque promissos iambos perficere non possum.

Neque uno contenta. Vox quasi propria tali amori. Catull. Carm. LXVI. 135. *Quae tamen etsi uno non est contenta Catullo.* Arnob. IV. p. 141. *Iupiter uxore contentus haud una.* Iuvenal. Sat. VI. 53. *Unus Iberinae vix sufficit. Ocyus illud, Extorquebis, ut haec oculo contenta sit uno.* Calpurn. Eclog. III. 24. *Phyllide contentus.* Quintil. Declam. XIV. 3. *Una fui semper eademque contentus.* Valer. Max. II. 1. *Quae uno contentae matrimonio fuerunt, corona pudicitiae honorabantur.*

CARMEN XV.

Nox erat, et coelo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera,
Quum tu, magnorum numen laesura Deorum,
In verba iurabas mea,
Arctius atque hedera procera adstringitur ilex,
Lentis adhaerens brachiis:
Dum pecori lupus, et nautis infestus Orion
Turbarit hibernum mare,

CARMEN XV.

Nox erat, et coelo fulgebat Luna sereno. Luna, tamquam testis, videt et audit scelera hominum. Charisius pag. 264. citat verba poëtae: *Luna Deum quae sola vides periuria vulgi.* Catull. Carm. VII. *Aut quam sidera multa, quum tacet nox, Furtivos hominum vident amores.* Iuvenal. Sat. VIII. 149. *Nocte quidem, sed Luna videt, sed sidera testes Intendunt oculos.*

Turbarit hibernum mare. Bentleius ex MSS. et veteri editione *turbarit*, pro *turbaret:* sic posscere sensum et Latinitatem. Me quidem *turbaret* non offendit, quia oratio est indirecta. *Quamdiu turbaret*, uti dicebas, *Orion mare.* Sed alia in his versibus minus ferenda sunt. Dum lupus infestus pecori, et Orion infestus nautis, turbaret mare. Quia lupus non turbat mare, in priore parte intelligendum: »dum lupus infestus esset pecori, et Orion infestus nautis turbaret mare." Ingrata verborum constructio. Credo verba esse glossam. Nam Orionem esse turbatorem maris, satis intelligitur ex eo, quod dicitur *nautis infestus.* Tum necessario alter versus erat addendus. Excidit infelix iste de coma Apollinis. Crines Apollinis plerumque in nodum collecti sunt. Hinc Tibullus II. 3. 25. *Quisquis inornatumque caput, crinesque solutos Adspiceret, Phoebi quaereret ille comam.* Noster poëta Apollinem proposuit, quasi semper comas haberet solutas, et eae semper vento agita-

Intonsosque agitarit Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum.
O, dolitura mea multum virtute, Neaera!
Nam, si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes,
Et quaeret iratus parem.

rentur. Neque comparatio comae Apollineae cum re aliqua, perpetua futurâ, ulli poëtae probabitur. Exempla eiusmodi recte petuntur ex natura, quae sui semper est similis, ut lupi et agni, Orionis, alia. Ita dicimus: *Dum rapidas Simois in mare volvet aquas.* Huic iunge: *et aura agitabit Apollinis capillos*, insipidum aliquid iunxeris. Atque hinc poëtae ea exempla formant, quibus indicant aliquid, ut contrarium legibus naturae, omnino fieri non posse. Ante concordia et amor erit inter lupum et agnum, ante flumina ad fontes redibunt. An etiam: *Ante intonsi Apollinis capilli non aura agitabuntur?* Sed si bene Latine dictum sit, aura *agitat* capillos, hoc in Apolline raro accidebat, v. c. si disco luderet, si Daphnin persequeretur, neque tam erat perpetuum et naturale, ut est lupi odisse agnum, fluvii in mare currere, similia. Denique *agitare* verbum vehementius est quam pro *coma*. Burman. ad Ovid. XIV. Heroid. 39. *Utque levi Zephyro graciles vibrantur aristae:* alteram lectionem *agitantur* defendit iis exemplis, quae illi suadere debuerant, ut reiiceret. Sine discrimine *ventis agitata ilex*, *aura agitans capillos*, et *aristae leni Zephyro agitatae*, inter se repouit. Ovidius quidem capillos aura *moveri* dicit. Ut IV. Metam. 672. *levis aura capillos moverat.* VI. Metam. 303. *Nullos movet aura capillos.* III. 672. *Collaque iactavit, movitque per aëra crinem.* Et sic ille saepe. Denique, duobus versibus sublatis, verba et sententia sunt concinniora. »Quum tu iurabas hunc amorem fore mutuum, dum lupus pecori, et Orion nautis infestus." In qua constructione verbum *est* etiam eleganter omittitur.

Nam, si quid in Flacco viri est. MS. Voss. *virium.* Male. Etiam si non metrum obstaret. Nota est formula *Si viri estis.* v. Graev. ad Flori III. 3.

Et quaeret iratus parem. Memoranda hic est interpretatio Behotii in Apophor. I. 10. putantis,

Nec semel offensae cedet constantia formae,
Si certus intrarit dolor.
At tu, quicumque es felicior, atque meo nunc
Superbus incedis malo,
Sis pecore et multa dives tellure licebit;
Tibique Pactolus fluat,
Nec te Pythagorae fallant arcana renati,
Formaque vincas Nirea;

Horatium loqui de se in persona tertia, tamquam de aliena, et minari, se aliquando parem futurum meretrici.

Nec semel offensae cedet constantia formae, Si certus intrarit dolor. Fieri vix potest, ut haec verba probabili modo explicentur. Vide tantum interpretes. Bentleius correxit: *Nec semel offensi cedet constantia formae.* Hoc est: »nec constantia mei, semel laesi et irati, cedet formae tuae, ubi vere indoluero.'' *Offensi* quoque voluerat Gogav. Praeterm. pag. 35. Ego sic divinavi: *Nec semel offenso cedet constantia corde, Si certus intravit dolor.* Non verita es me laedere. Cor meum nunc semel offendisti. Si pergas, quaerum aliam, nec me constantia relinquet, si dolor certus animum intraverit. *Offensus* est laesus, idque iratus: Ruhnk. ad Sueton. pag. 34. *Dolor* eximie ad *cor* pertinet: ut pulchre dictum sit, si *cor intraverit.* Virgil. I. Aen. 209. *premit altum corde dolorem.* VI. 383. *pulsusque parumper Corde dolor tristi.* Ovid. XI. Metam. 329. *patruoque dolorem Corde tuli.* Idem VI. Heroid. 76. *Cor dolet.* Unde vox antiqua *cordolium*, de qua Elmenh. in Indice Appuleii, et Burm. in Anthol. Lat. T. II. p. 110. Ac forte in MSS. quibusdam fuit, uti nos coniecimus, unde fluxerit haec interpretatio Commentatoris: *si ira cor meum penetraverit.*

At tu. At minantis est et irati, sive orationem incipiat sive continuet. Gronov. ad Iustin. XIV. 4. Burm. Anthol. T. II. p. 55. qui et hic vulgatum tuetur. Bentl. malebat *Et tu.* Quod in uno MS. Leid. inveni.

Nec te Pythagorae. In uno MS. *Pythagori.* Mox *Nerea*, cum Scholio *dominum maris.* Schol. Statii Theb. III. 483. »Aiunt enim et apsin fieri animarum in corpora, ut lectum est in Horatio: *Nec te Pythagorae fallunt ar-*

Eheu! translatos alio moerebis amores:
Ast ego vicissim risero.

cana renati." Pro *et apsin* scribe μετεμψύχωσιν.

Translatos alio moerebis amores. Terent. Hecyr. I. 2. 91. *Huc transtulit amorem.* Vide Ruhnken. Propert. II. 4. 3. *Haec merui sperare? dabis mihi, perfida, poenas: Et nobis alio, Cynthia, ventus erit.* Ut legendum ex pulcherrima emendatione Burmanni, pro *aquilo.*

Ast ego vicissim risero. Hoc est *Tunc ego.* Philoxenus in Glossario. *Ast ego: ἐγὼ δέ.* Liv. X. 19. *Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego templum tibi voveo.* Vide Gronov. ad XXIV. 37.

CARMEN XVI.

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenae manus,

CARMEN XVI.

Quam neque finitimi potuerunt perdere Marsi. Similis color orationis apud Virgil. II. Aen. 190. *captique dolis lacrymisque coactis, Quos neque Tydides, nec Larissaeus Ulysses, Non anni domuere decem, non mille carinae.* Valer. Flacc. II. 131. *immanes quos sternere Bessi, Non Geticae potuere manus, non aequoris irae.* Neque dissimilia haec Ciceronis V. Verr. 37. *Proh Dii immortales! piraticus myoparo usque ad forum et ad omnes urbis crepidines accessit, quo neque Karthaginiensium gloriosissimae classes, cum mari plurimum potiorant, multis bellis saepe conatae, unquam adspirare potuerunt.*

Minacis aut Etrusca Porsenae

Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer,
Novisque rebus infidelis Allobrox;
Nec fera caerulea domuit Germania pube,
Parentibusque abominatus Hannibal:
Impia perdemus devoti sanguinis aetas,
Ferisque rursus occupabitur solum!
Barbarus, heu! cineres insistet victor, et urbem
Eques sonante verberabit ungula;

manus. Horatius hic mediam in voce *Porsena* corripit, quia sunt Iambi puri. Corripuerunt etiam Silius Italicus, et Martialis. Unde conficio diversam nominis fuisse pronuntiationem, sicuti et diversis modis scribebatur. Historici plerumque usurpant *Porsenna*, Graeci *Πορσήνας*, *Πορσῖνος*, et *Πορσίνας*. v. Duker. ad Flori I. 10. Tamen et Tacit. II. Hist. 72. in loco cum versu Horatii praeterea comparando: *Nullo externo hoste, sedem Iovis, quam non Porsena dedita urbe, neque Galli capta, temerare potuissent, furore Principum exscindi!* Quare errasse puto Niebuhrium in Rom. Hist. T. I. pag. 565. dicentem, Orthographiam *Porsenae* vel *Porsennae* variari, manifesto autem peccavisse Martialem, qui penultimam fecerit brevem.

Novisque rebus infidelis Allobrox. Bentl. vult: *Novisve* et mox: *parentibusve.* Idem plura exempla ad Serm. I. VI. 68. ex Horatio dedit, in quibus post *neque* ponitur *aut.* Et habent particulae *aut* vel *ve*, si *neque* antecedat, vim negandi. An eandem vim habeant *et ac* dubitatur. Cum Bentleio facit Ruhnken. ad Velleium Paterc. II. 45. Sed tam multa in contrariam partem reperiuntur exempla, ut non credibile sit librarios ubique *aut* eiecisse, et substituisse *ac* neque pro *ve* scripsisse *que.* Vide Oberlin. ad Taciti I. Ann. 32. Pro *Allobrox* in MS. Voss. est *Allabrox.*

Abominatus. MS. Voss. *abominandus.*

Ferisque rursus occupabitur solum. Ovid. I. Metam. 249. *Ferisne parat populandas tradere gentes.* In Voss. legitur *rursum.*

Barbarus heu! cineres insistet victor. Credo haec ita esse transponenda et leviter mutanda: *Quaesque carent ventis et solibus ossa Quirini (Nefas videre!) dissipabit insolens Barbarus, heu cineres insistens. Victor*

Quaeque carent ventis et solibus, ossa Quirini,
Nefas videre, dissipabit insolens!
Forte, quid expediat, communiter, aut melior pars
Malis carere quaeritis laboribus?

et urbem Eques sonante verberabit ungula. Melior in his sententia et verborum ordo apparent. Insolens barbarus dissipabit ossa Romuli, dum cineres illius insistit. *Quaeque carent* melius sequitur *ferisque rursus* sq. In vulgatis *Barbarus heu* deest copula. Hic mihi in mentem venit Ezechielis Prophetae XXVI. 10. *Sonitu equitum et rotarum et curruum moenia vestra trepidabunt. Ungulis equorum, quidquid in viis urbis erit, proteret.*

Nefas videre. MS. Voss. *videri.*

Forte, quid expediat, communiter aut melior pars. Locus intricatus, et variis interpretum sententiis tentatus. Plerique ordinant: *quaeritis, quid expediat carere laboribus.* Sed recte Bentl. ostendit hoc significare: *quaeritis, quid referat carere, quid attineat, quid iuvet.* Ipse corrigit: *quod expediat*, hoc est: *quod bene vertat, quod bonum et felix sit.* Non credo Romanos in tali re hac formula esse usos, neque dixisse. *Forte quaeritis, vultis, quod bene vertat, his malis liberari?* Bentleius scribit: deliberationes et consultationes fere semper simili precatione auspicari mos erat. Verum est: Romani nihil, neque publice neque privatim, quod quidem alicuius esset momenti, suscipiebant, quin tali quadam formula uterentur. In Horatio nulla res *suscipitur.* Horatius nescit, ideoque rogat, an forte velint aliquid et quaerant, ut a malis liberentur. Si Romani deliberarent, si iam facerent aliquid, locus erat formulae. Ubi nil agunt, et dubitatur etiam de voluntate, facere velint nec ne, locus non est. Neque istiusmodi formulae temere mutabantur. Novimus *quod bene vertat, quod felix faustumque sit, quod bene eveniat*, alia, nusquam legimus *quod expediat.* Ego scribendum censeo: *Forte quid expediam. Communiter, aut melior pars Malis carere quaeritis laboribus?* Forte aliquod consilium in tantis calamitatibus expediam. Vultisne iis, universi an melior pars, liberari? Relinquite Italiam. Hocne consilium placet? An melius habet aliquis? Si non, quid moramur iam naves conscendere?

Nulla sit hac potior sententia: Phocaeorum
Velut profugit exsecrata civitas
Agros, atque Lares patrios, habitandaque fana
Apris reliquit et rapacibus lupis:
Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? Secunda
Ratem occupare quid moramur alite?

Elegante *aliquid expediam* in rebus difficillimis ac desperatis. Cicero II. Offic. 9. *Cum res agatur, in discrimenque ventum sit, expedire rem, et consilium ex tempore capere posse.* Nepos Eumene 9. *Hic omnibus titubantibus, et de rebus summis desperantibus, Eumenes ait, si celeritatem velint adhibere, et imperata facere, se rem expeditum.* Liv. XXII. 55. *Quum in malis sicut ingentibus, ita ignotis, ne consilium quidem satis expedirent.* Id. XXXVII. 7. *Nec consilium expediebatur.* Livius, ut in proprietate sermonis unus omnium est accuratissimus, etiam huius locutionis originem ostendit XXV. 11. *Multa, quae impedita natura sunt, consilio expediuntur.* Itaque nonnulli minus recte metaphoram a *re pecuniaria* impedita et *expedita* repetunt. Conf. Cort. ad Cicer. Epist. III. 12.

Phocaeorum. In uno MS. *Posterorum.*

Agros, atque Lares patrios. Sententia male repetita ex antecedentibus: *Ferisque rursus occupabitur solum.* Simplex *profugit* in exemplo ex historia petito sufficit. Et alienum est hic misericordiam movere: ea Romani magis deterrerentur a simili consilio, quam ad illud incitarentur. Praeterea ingrata est ambiguitas. Nam et iungere poteris *profugit agros* et *exsecrata agros.* Denique haec verba moram afferunt sententiae, quam dicit. Ea nunc melius ac celerius progreditur.

Ire, pedes quocunque ferent. Apollon. Rhod. I. 1263. ἐς δὲ κέλευθον Τὴν θέεν, ἣ πόδες αὐτὸν ὑπέκφερον δίσσοντα.

Sic placet? an melius quis habet suadere? Non est necessarium haec e formulis deliberandi Romanis explicare. Lucan. VII. 58. *Hoc placet, o Superi?* Multo minus sequentia. Xenoph. Anab. III. 2. ὅ τι μὲν οὖν τούτων δοκεῖ καλῶς ἔχειν, ἐπιτρώσατε ὡς

Sed iuremus in haec: simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas:
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina;
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
Novaque monstra iunxerit libidine

τάχιστα, ἵν' ἔργῳ περαίνητε. εἰ δὲ τίς τι εἶδε τῶν ἄλλων βέλτιον ἢ ταύτῃ, τολμάτω καὶ ὁ ἰδιώτης διδάσκειν· Apollonius Rhod. I. 664. Ἡμετέρῃ μέν νυν τοίη παρενήνοθε μῆτις. ὑμέων δ' εἴ τις ἄρειον ἔπος μητίσεται ἄλλῃ, ἐγρέσθω.

Neu conversa domum pigeat dare lintea. Duodecim versus non esse possunt Horatii. In exemplo Phocaeorum ante oculos habuit Herodotum I. 165. cuius verba apposuisse non inutile erit: Phocenses ἐποιήσαντο ἰσχυρὰς κατάρας τῷ ὑπολειπομένῳ ἑωυτῶν τοῦ στόλου· πρὸς δὲ ταύτῃσι καὶ μύδρον σιδήρεον κατεπόντωσαν, καὶ ὤμοσαν μὴ πρὶν εἰς Φωκαίην ἥξειν, πρὶν ἢ τὸν μύδρον τοῦτον ἀναφῆναι. Phocenses unum aliquid iurarunt, quod si fieret, tum sibi reditum licere. Et hoc, puto, in consilio tam celeri et desperato sufficit. An credamus Horatium tam parvi fuisse iudicii, ut luxurianti ingenio indulserit, plane oblitus se oratoris partes suscepisse, et in ea quidem causa, quae verborum gravitatem et brevitatem postulaverit? Meliora ille edidit, et hoc alios docuit, ubi esset finiendum, et e quo pectore manaret supervacuum. Ea hic locuta communis de iis quae, ut naturae contraria, fieri non possint. In istiusmodi locis mire sibi placebant Grammatici, eaque, imitantes dicta poetarum, diligenter elaborabant. Fastidiosa haec copia non unum interpretem iam offendit. Sed quoniam illi de versibus spuriis non cogitabant, Horatium vel reprehenderunt, vel excusare conati sunt. Mihi statim illa *neu conversa domum pigeat dare lintea* suspicionem moverunt. Nam nihil differunt a simplici *redire ne nefas sit.*

Padus Matina laverit cacumina. Serv. ad Virgil. XI. Aen. 403. ita citat h. l. *Et ante Padus Matina laverit cacumina.* Similis fere imago apud Florum IV. 12. *Hinc fuga in eminentissimum Vinnium montem, quem maria prius Oceani, quam arma Romana, ascensura esse crediderant.*

In mare seu celsus procurrerit Apenninus. Ex Ovidio IV.

Mirus amor, iuvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur et columba milvo;
Credula nec flavos timeant armenta leones,
Ameique salsa laevis hircus aequora.
Haec, et quae poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis exsecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege: mollis et exspes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum;
Etrusca praeter et volate litora.

Fast. 319. *Terra tribus scopulis castum procurrit in aequor Trinacris.* Recte *scopulis procurrit.* Sed quis sibi fingat Apenninum promontorium?

Novaque monstra iunxerit libidine. Ridicula exemplorum continuatio in re tam misera. Neque honeste in tali causa posuit *libido*, *subsidere*, *adulterari*. Honestius fuisset unum *iungentur*. Et omnino talia magis propria sunt posteribus. De *adulter* et *adulterium* nonnulla dixit Barth. ad Gratii Cyneg. 164. *Monstro* in re non dissimili utitur Sidon. Apollin. Carm. IX. 105. *novoque monstro Infamem genuit pater nepotem.*

Flavos. Duo MSS. Leidensia *saevos.*

Ameique salsa laevis hircus aequora. Hircus est *setosus*. Itaque *laevis* intelligendum *laevis factus*, quod est durissimum. Magis convenisset epitheton ex opposito, unde miraremur, hircum, quamvis talem, amare aequor. Ut Propert. II. 2. 7. *Quaerebam sicca si posset piscis arena, Nec solitus ponto vivere torvus aper.* Nemesian. Eclog. I. 75. *Namque prius siccis phocas pascentur in arvis, Hirsutusque freto vivet leo.* Et quis non rideat imaginem hirci laevis, squamis, ut piscis, nitidi, et in forma hirci, natantis sub aequore et interdum eminentis?

Haec, et quae poterunt reditus abscindere dulces. Quasi, quae adhuc enumeravit, exempla sex, non sufficerent. Bestius emendavit *reditus accendere*. Similis formâ orationis in Ausonii Epist. X. 29. *Haec et quae possunt placidos ostendere mores.*

Eamus omnis exsecrata civitas. Idem plane, quod supra: *velut profugit exsecrata civitas.*

Aut pars indocili melior grege. Iam supra *communiter*, *aut melior pars.* Neque recta

Nos manet Oceanus circumvagus arva; beata
Petamus arva, divites et insulas,
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usque vinea;
Germinat et numquam fallentis termes olivae,
Suamque pulla ficus ornat arborem;
Mella cava manant ex ilice: montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic iniussae veniunt ad mulctra capellae,
Refertque tenta grex amicus ubera;
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
Neque intumescit alta viperis humus.

sunt *perprimat cubilia*. Quasi domi scilicet, in medio bellorum civilium furore, otio desidi se tradere possent! Alia causa est in Apollon. Rhod. I. 872. Ἴομεν αὖτις ἕκαστος ἐπὶ σφέα· τὸν δ' ἐνὶ λέκτροις Ὑψιπύλης εἶατε πανήμερον.

Nos manet Oceanus circumvagus arva. MS. Franck. *circum vagus*. Schol. addidit: *Terram promissionis*. Dici autem potest absolute Oceanus *circumvagus*, scilicet terrarum orbem. Ita Rutilius Itin. I. 56. *Qua circumfusus fluctuat Oceanus*. Secutus tamen sum alteram distinctionem.

Levis crepante lympha desilit pede. Terentianus Maurus vs. 2958. h. l. ita retulit: *Levis sonante lympha dissilit pede*.

Iniussae. Quintil. Declam. XIII. 15: *Apes faciunt iniussae favos*.

Refertque tenta grex amicus ubera. Heinsius adscripsit *amictus*. Ut Ovidius: *Ibat ovis, lana corpus amicta sua*. Recte vero *amicta lana*. Non simpliciter *amicta*. De *pellitis* ovibus hic cogitari non potest.

Nec vespertinus circumgemit ursus ovile. Markland. in Eurip. Supplic. pag. 258. coniecit: *vespertinum*. Vulgatum praestat. Horatius II. Sat. 4. 17. *Si vespertinus subito te oppresserit hospes*. Sic centies poëtae. Vide vel unum Titium ad Calpurn. Eclog. VI. 1.

Neque intumescit alta viperis humus. Iam Vir doctus in Observ. Miscell. Vol. II. pag. 381. vidit post hunc versum esse collocandos versus 61 et 62. Quod merito probavit Gesnerus, ipse in hoc

Pluraque felices mirabimur: ut neque largis
  Aquosus Eurus arva radat imbribus;
Pinguia nec siccis urantur semina glebis;
  Utrumque Rege temperante Coelitum.
Nulla nocent pecori contagia; nullius astri
  Gregem aestuosa torret impotentia.
Non huc Argoo contendit remige pinus;
  Neque impudica Colchis intulit pedem:
Non huc Sidonii torserunt cornua nautae;
  Laboriosa nec cohors Ulyssei.
Iupiter illa piae secrevit litora genti,
  Ut inquinavit aere tempus aureum:
Aere, dehinc ferro duravit saecula: quorum
  Piis secunda, vate me, datur fuga.

genere emendandi scripta veterum acutus et felix. Mihi etiam alia esse turbata videntur, et puto ordinem orationis ab Horatio fuisse institutum, ut indicabo duabus vocibus singulorum versuum prioribus. *Refertque tenta. Pluraque felices. Aquosus Eurus. Pinguia nec. Utrumque rege. Nulla nocent. Gregem aestuosa. Nec vespertinus. Neque intumescit. Non huc Argoo. Neque impudica. Non huc Sidonii. Laboriosa nec. Iupiter illa. Ut inquinavit.* Caeterum pro *alta* humus, Doringius corrigebat *atra*, idque ad *venenum* referebat. Markland. in Eurip. Supplic. pag. 250. *alma.*

Non huc Argoo. MS. Leid. *Egeo.* Quod ab altera manu emendatum est.

Aere, dehinc ferro. Glossa iterum incepta a repetita voce. Satis Horatio erat indicasse, postquam aurea aetas praeterierat, secretum tamen a Iove locum fuisse piis hominibus, ubi tuti et securi viverent. *Ferrea aetas* nihil ad rem facit. Ingrata quoque est verborum constructio: Ut, postquam, Iupiter aurum inquinavit aere: aere inquam, et postquam deinde ferro duravit saecula.

Piis secunda, vate me, datur fuga. Odiosum *piis*, quum praecedat *piae genti.* Pro *me datur* in uno Leid. *meditatur.* Quietus etiam utrumque versum Horatio abiudicat.

CARMEN XVII.

Iam iam efficaci do manus scientiae,
Supplex et oro regna per Proserpinae,
Per et Dianae non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa coelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris,
Citumque retro solve, solve turbinem.
Movit nepotem Telephus Nereïum,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum, et in quem tela acuta torserat.
Unxere matres Iliae addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
Postquam relictis moenibus rex procidit
Heu! pervicacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulyssei,

CARMEN XVII.

Luxere matres Iliae addictum feris. Alia MSS. *luxere*, alia *unxere*. Utraque lectio suos patronos invenit. Bentleius docte et ingeniose *luxere* defendit. Mallem tamen *planxere*. Hoc olim in MSS. fuisse suspicor, quia in Leid. perspicue legitur *lunxere*. *Unxere* et *luxere* etiam notiora in vulgus sunt, quam *planxere*. *Plangere* mortuum est se, sua pectora, propter mortuum, plangere, τύπτεσθαι, κόπτεσθαι νεκρόν. Propert. II. 19. *Sed tu potius, precor, ut me Demissis plangas pectore nuda comis.* Plura vide apud Oudend. ad Appul. Metam. V. pag. 332. et Heynium ad Tibull. I. 7. 28. in Observ. Latuit eos pulchrum Scholion Servii ad XI. Aen. 211. »*Moerere* est cum silentio dolere, *flere* u-

Volente Circa, membra; tunc mens, et sonus
Relapsus, atque notus in vultus honor.
Dedi satis superque poenarum tibi,
Amata nautis multum, et institoribus.
Fugit iuventas, et verecundus color

bertim lacrymas demittere, *plorare* cum voce flere, *plangere* cum aliquibus dictis miserabilibus pectus aut faciem tundere, *lugere* etiam cum habitus mutatione." Ex Schol. Statii ad Theb. VI. 219. discimus *planctum*, opinione Varronis, dici omnem *collisionem*.

Volente Circa. MS. Vossian. *Circae.* In exemplo nempe, quod ista manus describebat, legebatur *Circa.* Phocas grammaticus: »Quae in *e* productum apud Graecos desinunt, apud nos e in *a* conversa sunt eiusdem declinationis, ut haec Circa, Circae." v. N. Heins. ad Virgil. III. Aen. 386, et Bentl. ad h. l. laudatum a Burm. ad Anthol. T. I. p. 215.

Notus in vultus honor. Gratia et *dignitas* vultu expressa: v. Hand. ad Statii Silv. I. 1. 17. et Arntzen. ad Plinii Panegyr. 4.

Amata nautis multum et institoribus. In uno MS. corrupte *multis.* Sententiam autem huius versus hoc loco non capio. Ponendum arbitror post versum 48. *Novendiales dissipare pulveres.*

Fugit iuventas, et verecundus color Reliquit ossa pelle amicta lurida. Versus molesti, in quibus semper claram lucem desideres. Bentleius correxit: *Et verecundus color Reliquit ora pelle amicta lurida.* Quia *color verecundus reliquit ossa* nemo Latine dixerit. Vere, puto; sed tamen aliquid requiritur, quo extrema macritudo totius corporis indicetur. In MSS. nulla est varietas, nisi quod Bentl. in suis duobus invenerit *amictas* et *amictus:* hoc etiam erat in uno Leid. Error scribentis, ni fallor, quia vox sequens a litera fere simili incipit. Nihil adeo superest, nisi ut videamus, quid coniectura assequi possimus. Coniicio igitur: *Fugit iuventas et verecundus color. Relinquor ossa, pelle amicta lurida.* Credibile est Horatium haec formasse ad exempla Graecorum, Theocriti Eid. II. 89. et Callim. II. Cer. vs. 93. ubi interpretes nostrum poëtam citare non omiserunt. Sed Theocritus ei praecipue ante oculos fuit: *Καί μεν χρὼς μὲν ὁμοῖος ἐγίνετο πολλάκι θάψῳ· Ἐρρένν δ' ἐκ κεφαλᾶς πᾶσαι τρίχες· αὐτὰ δὲ λοιπὰ Οστέ' ἔτ' ἦς καὶ δέρμα, καὶ ἷς τίνος οὐκ ἐπέρασα; Ἢ*

Reliquit ossa pelle amicta lurida;
Tuis capillus albus est odoribus.
Nullum ab labore me reclinat otium:
Urget diem nox, et dies noctem; neque est
Levare tenta spiritu praecordia.
Ergo, negatum, vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marsa dissilire naenia.
Quid amplius vis? O mare! o terra! ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervida

πνοὴς ἔλαιον γραίας δόμον, ἄνω ἐκῥέον; Ἀλλ' ἦς οὐδὲν ἐλαφρόν. ὁ δὲ χρόνος ἄντικρυς φεύγων. Imitatio est manifesta: cuius et in aliis huius carminis locis, et in Epodo V. deprehendunt vestigia. *Relinquor ossa, pelle amicta lurida* referunt Graeca οὐνὰ δὲ λοιπὰ Ὀστέ' ἐν' ἦς καὶ δέρμα. Magis ex usu communi fuisset reliqua sunt ossa: sed ego relinquor ossa, ossa sum, est elegantiae poeticae, antiquae, haud vulgaris. Anacreon Carm. IV. Ὀλίγη δὲ κεφάλη πέφυκε. Phoenix Colophonius apud Athen. XII. 40. Σκυθὴς δὲ πολλὴ χ' ὁ μαρμαρόφορος κεῖμαι. Sophronis verba servavit Etym. Magnus pag. 737. σίφαρ, ἀντ' ἀνδρός. Theocrit. Adon. vs. 148. Χἀ'νηρ ὧς ἔκαν v. Valcken. Plautus Captiv. I. 2. *Ossa atque pellis sum misera macritudine.* Catull. Carm. XIII. 14. *Totum nil te faciant, Fabulle, nasum.* Ovid. V. Metam. 343. *Cereris sunus omnis munus.* Persius Satyr. V. 153. *Cinis, et manes et fabula fies.* Auson. Epit. Heroum 38. *Mutus in aeternum sum cinis, ossa, nihil.* Similia multi congessere, in quibus nominasse nunc sufficerit Cortium ad Plinii VIII. Epist. 18. *Nam sunt omnes fabulae Tullus.* Dixit igitur Horatius, quod alia verborum forma Ovid. II. Am. 9. 14. *Ossa mihi nuda reliquit Amor.*

Tuis capillus albus est odoribus. Guietus hunc et sequentem versum delet. Ego non fecerim, etiam propter Theocritea: ἔῤῥεν δ' ἐκ κεφαλᾶς κῶμος κρίνες.

Nullum ab labore me reclinat otium. *Laborem* interpretantur *cruciatum* et *angorem.* Intelligendos puto conatus, ut auxilio

Virens in Aetna flamma. Tu, donec cinis
Iniuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.

alterius veneficae sive alia ratione aestu suo liberaretur. Cum ea explicatione melius conveniunt sequentia: omnia facio ut hoc malo solvar, nunquam quiesco. Dies et noctes interim procedunt. Nihil proficio, praecordia non levantur. Sunt haec quoque ad Theocriti versus formata: ἐς τίνος οὐκ ἐπίρασα κ. λ. Conferantur verba poëtae apud Plutarch. Moral. T. II. p. 1019. πόνῳ πόνον, Ἐκ νυκτὸς ἀλλάσσουσα τὸν καθ' ἡμέραν. Et inprimis Apollon. Rhod. II. Argon. 473. ἐκ' ἤματι δ' ἦμαρ ὀρώρει Κύντερον, οὐδέ τις ἦεν ἀνάπνευσις μογέοντι. In MS. Voss. primum fuit *ad laborem*, deinde correctum *ab labore*.

Virens in Aetna flamma. MSS. habent vel *urens*, vel *virens*, vel *furens*: quod Bentl. praetulit. Sed *virens* antiquum est, nec, nisi ab erudito homine scribi potuit, nedum ut librarii notiora *urens* vel *furens* in istam vocem mutaverint. *Virere* autem significat *fulgere*, non, quod alii volunt, *esse validum*, ut senectus dicitur *virens* et *genua virentia*. Plautus Menaechm. V. 2. *Viden' illi oculos virere, ut viridis exoritur colos!* v. Salmas. Seneca Oedip. 309. *Utrumque clarus ignis et viridis stetit.* Vulgo legitur *nitidus*. Sed Vossius ad Valerii Flacci I. Argon. 205. e MS. suo correxit *viridis*. Omnia, quae propria sunt herbis et floribus, tribuuntur igni, ut ἄνθος, ἀκμὴ πυρὸς, et apud Homer. Iliad. IX. 212. φλὸξ ἐμαράνθη: apud Romanos *flos*, *florere*, et alia. Vid. Scaliger ad Manil. V. p. 471. interpr. ad Virgil. VII. Aen. 804. et Colv. ad Appul. Metam. VIII. p. 550.

Cales venenis officina Colchicis. Vere puto Bentleium emendasse: *Num, donec cinis — Caleo venenis officina Colchicis?* Sed ipse hanc emendationem non magni facit, quia non audet cum Porphyrione *officinam* de *homine* interpretari, et iudicat eam metaphoram duram et plebeiam. Ita credere volebat vir ingeniosus, ut postea novam, itidem elegantissimam coniecturam, proferre posset: *Tua, donec cinis — Calet venenis officina Colchicis.* Sit Metaphora dura, quamquam hoc non video, sit plebeia; Epodi talia non modo non aspernantur, sed amant etiam. Et rectius Varus dicitur *calere* venenis Colchicis, quam Canidia. Haec non ipsa iis *calebat*, sed Varum incendebat. Pulchre etiam *caleo*. Nam in

Quae finis? aut quod me manet stipendium?
Effare: iussas cum fide poenas luam;
Paratus expiare, seu poposceris
Centum iuvencos, sive mendaci lyra
Voles sonari: tu pudica, tu proba
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenae Castor offensus vice,
Fraterque magni Castoris, victi prece,
Ademta vati reddidere lumina:
Et tu, potes nam, solve me dementia.
O nec paternis obsoleta sordibus;
Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres!
Tibi hospitale pectus, et purae manus;

praesenti tempore saepe vis est praeteriti, futuri, et praesentis simul. Ita, praeter alios, frequentavit Plautus. v. Perizon. ad Sanctii Minerv. I. XIII. 4. Ut *officina*, sic *taberna* legitur apud Auson. Epist. V. 101. *Hic est ille Theon, poëta falsus, Bonorum mala carminum taberna.*

Centum iuvencos, sive mendaci lyra Voles sonari. Bentlei. in Cod. Battel. invenit *iuvencis.* Qualis constructio est I. Carm. 11. *Seu poscat agna, sive malit hoedo.* Quae lectio si vera sit, quidni et alteram sententiae partem eadem ratione informemus, legentes: *seu poposceris Centum iuvencis, sive mendaci lyra Voles: sonante, tu pudica sq.* Ad *sonante* proxime accedit *sonare*, ut scriptum est in multis Codd. *Sive lyra voles* respondet antecedenti *seu poposceris iuvencis:* ut in altero exemplo *seu poscat agna — seu malit hoedo. Sonante lyra* est et in Epod. IX. *Sonante mistum tibiis carmen lyra.* Conf. Bentlei. ad Manil. V. 329. Etiam *mendaci* corruptum esse puto. Ludit quidem Canidiam, sed ita, ut omnia, quae adhuc dixit, a stolida anu in bonam partem accipi possint, excepta hac una lyra *mendaci.* Legendum censeo *veraci.* Quae est Ironia amara.

Tibi hospitale pectus, et pu-

Tuusque venter Pactumeius, et tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcumque fortis exsilis puerpera.
Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis

rae manus. Ante hunc versum haec esse ponenda dicebam: *O amata nautis multum et institoribus.* Illud *O* etiam Bentleius inserendum putat, sed in fine praecedentis versus: *Dedi satis superque poenarum tibi. O Amata.* Malim *O amata*: ut sit anapaestus. Haec autem verba, quae supra post vs. 19. nullam habent sententiam, hic egregie suum locum tuentur. Bene Cruquianus Commentator: *Videtur eam laudare, quasi tam pulchra sit, ut mereatur habere tot amatores, sed revera magis illam vituperat.* Postrema pars orationis, inde a verbis *lyra, sonante*, versatur in laudibus Canidiae. Sed omnia sunt ironica, et modo negantis, quae essent affirmanda, modo affirmantis, quae neganda, modo laudi tribuentis, quae sunt turpia.

Pactumeius. Alii *partumeius. Pactumeius* est nomen proprium pueri. v. Bentl. Schol. Franck. *Nomen proprium pueri admodum rustici.* In uno MS. legitur *Pactomeius.*

Utcumque fortis exsilis puerpera. Melius censeo: *Utcumque fortis exsilit puerperd.* Pactumeius est filius tuus, quamvis iam fortis et robustus e ventre tuo et stratis exsilit. Amare dictum *exsilit*, de puero, qui nullo labore nascitur, vel potius iam natus est, et, ut suppositus, se e lecto proripit. Fere ut Plautus in Amphitr. V. 1. *Sed puer ille, quem ego lavi, ut magnus est, et multum valet. Neque eum quidquam colligare quivit in cunabulis. Citus e cunis exsilit.* Lepide Lucianus in Dialogis de Minerva, recens nata: ἡ δὲ πηδᾷ, καὶ πυῤῥιχίζει. In eadem partus facilitate usurpatur verbum *effundi*, quod bene exposuit Burm. ad Phaedrum III. 5.

Non saxa nudis surdiora navitis Neptunus alto tundit hibernus salo. Hoc dicit: Saxa non tam surda sunt nautis, quam meae aures tibi. Notae sunt comparationes *durior scopulo*, de qua vidimus ad Carm. III. 5. Notum, *ut scopulus spernit aquas irruentes, durior et surdior freto:* ut Ovid. XIV. Metam. 711. *Surdior illa freto surgente, cadentibus hoedis.* XI. Metam. 329. *Quae pater haud aliter, quam cautes murmura ponti, Accipit.* Statius IV. Theb. 51. *Ille quo-*

Neptunus alto tundit hibernus salo.
Insultas ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?
Et Exquilini Pontifex venefici
Impune ut urbem nomine impleris meo?
Quid proderit ditasse Pelignas anus,
Velocisve miscuisse toxicum,
Si tardiora fata te votis manent?
Ingrata misero vita ducenda est, in hoc,

que effatus non mollius audit amicos, Quam truncis Ionii robiis clementia ventis Voto civum. Talem autem comparationem, qualis hic legitur, nusquam legi. Et quomodo saxa dicantur *surda nautis*? Quia nautae in summo periculo saxa implorant? atqui ea vitant quam longissime. Ut verba nunc leguntur, caput comparationis est in *saxis*. Comparatio brevissime absolvitur, et ea, quae sunt additamentum et occasio comparationis, multo pluribus ornantur, ut *Neptunus hibernus alto salo*. Nautae in periculo vitae Neptunum et mare implorabant, ut sibi parcerent. Mare et fluctus sunt *surdi nautis*, non scopuli. Recte aliquis dicitur *surdior saxo*, non tamen ut ea surditas ad *nautas orantes* pertineat. Credo Horatium scripsisse: *Non saxa nudis surdiore navitis Neptunus alta tundit hibernus salo*. Neptunum et fluctus marinos implorant nautae. Fluctus, alta saxa verberantes, (et hoc auget imaginem tempestatis) non tam surdi sunt nautis, quam ego eum tibi. Caeterum hic cum Hecatio comparetur Tibullus II. 4. 9. *Stare vel insanis cautes obnoxia ventis, Naufraga quam vasti tunderet unda maris.*

Insultas ut tu riseris Cotyttia Vulgata, sacrum liberi Cupidinis. Auctor antiqui Epigrammatis in Anthol. Burm. T. I. pag. 433. *Non me vocabis pulchra per Cotyttia, Ad feriatas fascinos.* v. Scalig. et Burm. Nestor in Vocab. voce *Cocytus* testatur in antiquissimo Codice scriptum esse *Cotito*. Pro *sacrum* in Voss. et alio MS. Leid. est *sacra*.

Ingrata misero vita ducenda est, in hoc. *In hoc* est ideo, eius rei causa. Gronov. ad Senecae Hippol. 1213. et Ruhnken. ad Vellei. Paterc. II. 41. qui pa-

Novis ut usque suppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignae Tantalus semper dapis;
Optat Prometheus obligatus aliti;
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum: sed vetant leges Iovis.
Voles modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus Norico recludere,
Frustraque vincla gutturi nectes tuo;
Fastidiosa tristis aegrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques,

tat Graecissantes poëtas primum ita esse locutos.

Pelopis infidus pater. Tria MSS. Leid. *infidi.* Et sic legitur in Viridario Mirandulae p. 187.

Voles modo altis desilire turribus. Tria vulgo statuebantur mortis genera, quam sibi aliquis in rebus desperatis consciscebat, ξίφος, ἀγχόνη, κρημνός. In his praecipitia naturalia et inventu facillima sunt *rupes.* Itaque haec tria apud Tragicos memorari solent: inde, apud alios scriptores. Iam diximus ea de re ad III. Carm. 27. Terent. Andr. III. 4. *Occidi. Utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me praecipitem darem.* Ubi Donatus: »Non dixit gladium aut laqueum, ne esset tragicum.'' Lucan. VIII. 654. *Aut mihi praecipitem, nautae, permittite saltum, Aut laqueum collo tortosque aptare rudentes, Aut aliquis Magno dignus comes exigat ensem.* Appuleius Metam. IV. p. 79. Pric. *Laqueus aut gladius aut certe praecipitium procul dubio capessendum est.* Ad quae loca ab interpretibus multa exempla sunt congesta. Adde Eurip. Supplic. 1016. Ἔνθεν ὁρμάσω Τᾶσδ' ἀπὸ πέτρας πηδήσασα. Arnob. adv. Gentes, III. *Ergone Dea cogente innectuntur cervicibus laquei, conscenduntur ardentes rogi, et per vastas atque altissimas rupes iaciunt se passim voluntariis saltibus praecipitati.* Cf. Tollius ad Auson. pag. 777. Malim in Horatio legere: *Voles modo altis desilire rupibus. Turres* qui in tali re memoraverit, vidi neminem. Aliud est *ars Palladia* apud Senecam: quia certus locus indicatur.

Vectabor humeris tunc ego

Meaeque terra cedet insolentiae.
An, quae movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere lunam vocibus possim meis;
Possim crematos excitare mortuos,
Desiderique temperare poculum;
Plorem artis, in te nil agentis, exitum?

inimicis eques. Guietus octo postremos versus huius carminis delendos esse censuit. Cuius sententiae uti ipse nullas causas attulit, ita ego invenio nullas. Eques humeris alicujus vectari, καθιππάζειν, est indicium maximae superbiae et contemtus. Iam Davides in Psalmo LXVI. 12. *Fecisti hominem super caput nostrum equitare.* Cicero II. Verr. 20. *Iactabit se et in his equitabit equuleis.* Seneca Herc. Oet. 1974. *Curru superbum vecta transscendes caput.* Arnob. adv. Gentes II. pag. 51. *Ita non iniustissimum ducitis, inequitare, illudere tamquam stulta nobis et brutà dicentibus.*

Ut ipse nosti curiosus. MS. Vossius *curiosius.* Hic autem valde dissident interpretes, quid sit *curiosus.* Varias huius vocabuli significationes bene exposuit Oudendorpius ad Appul. Metam. I. pag. 16, sed unam omisit, interdum scilicet eximie vertitur ad homines et res *magicas. Ut ipse nosti curiosus*, harum rerum non imperitus, quarum vis te non latet. Conf. Gothofred. ad L. IV. C. Theodos. de Malef. et Mathem. et interpretes ad Acta Apostol. XIX. 19. ubi mentio fit τῶν τὰ περίεργα πραξάντων.

Plorem artis, in te nil agentis, exitum. MS. Voss. et alia *nihil agentis.* Alia *habentis.* Valde discrepant interpretes. Ego non video, quid in nostra lectione aliquem morari possit. Plorem exitum artis, nihil agentis in te. Sanadonus e MSS. Pulmanni edidit *nil valentis.* Ita et coniecerat Iacobius, cuius coniectaram vulgavit Doringius.

Q. HORATII FLACCI

CARMEN SAECULARE.

Phoebe, silvàrumque potens Diana,
Lucidum coeli decus, o colendi
Semper, et culti, date quae precamur
Tempore sacro;

CARMEN SAECULARE.

Multi interpretes nihil pulchrius hoc Carmine inveniri iudicant. Equidem Horatium multo pulchriora scripsisse censeo, et res fere easdem, quamquam non in carmine saecularі, tractasse elegantius ac sublimius. Nimia fortasse opinio, quam de tali carmine suscepimus, nos in judicando fecit morosos et difficiles: et poëtam voluntas Augusti impedivit. Suetonius in Vita Horatii narravit: *Scripta eius Augustus usque adeo probavit, mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo saeculare carmen componendum injunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique, privignorum suorum.* Minus bene succedere solet, quod rogatus et coactus facit poëta, quam sponte et liber, Deo agitante incalescens. Adde, quod Grammatici etiam hic suas partes egerunt, et versus intruserunt; quas tamen sordes hinc tollere conabimur.

Lucidum coeli decus. Diana etiam a Virgilio IX. Aen. 405, appellatur: *Astrorum decus et nemorum Latonia custos.* Nescio quare *Phoebum* simpliciter alloquatur, Dianam appellet *Silvarum potentem* et *lucidum coeli decus.* Nonnulli interpretes illud *decus* retulerunt ad Dianam

Quo Sibyllini monuere versus,
Virgines lectas, puerosque castos,
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.
Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis, et celas; aliusque et idem

et Phoebum simul. Tum credo, Horatius scripsisset: *Lucida o coeli decora, o colendi.*

Quo Sibyllini monuere versus. Glossa poëtica, ad explicandum *tempore sacro.* Istiusmodi glossae ita concipi solebant. »Quid est tempus sacrum? Sacrum dicitur, quia Sibyllina carmina monuerunt eo virgines et pueros, ex ingenuis parentibus natos, tenera aetate adeoque moribus castis et integris, versus recitare Diis, quibus Roma curae cordique est." Non opus erat haec docere Phoebum et Dianam, minime, hoc fieri debere a virginibus lectis et castis pueris. Atque hoc dicere chorum non decet, qui ipse *lectae* illae et *casti* esset. Pro *quo* in duobus MSS. Leid. inveni *quod.* Et sic legisse videtur Comment. qui ad verba *dicere carmen* annotavit; scilicet *date.* Ut credibile sit in nonnullis exemplis fuisse: *date, quae precamur, Tempore sacro, et, Quod Sibyllini monuere versus, Virgines lectas* sq.

Virgines lectas. MSS. unum *letas.*

Dis, quibus septem placuere colles. Ficta puto ex Carm. IV. 12. Deum, *cui pecus, et nigri Colles Arcadiae placent.* Sed auctor hoc verbum contra morem veterum Scriptorum posuit. Res nimirum et loca numinibus *placere* dicuntur, quibus perpetuo delectati sunt et delectantur, in quibus locis praecipue habitabant, quae, si quando relinquant, tamen subinde revisunt. Septem vero colles ante Romam conditam Diis ignoti fuisse videntur.

Aliusque et idem nasceris. Imitationis vestigia apparent in Senecae Hippol. 782. *modo lotus undis Hesperus pulsis dirum tenebris Lucifer idem.* Minut. Felix Octav. pag. 38. *Sic, congregatis ignium seminibus, Soles alios atque alios semper splendere.* Ubi Felix respexit Lucretii V. 659. Tertull. de Pallio cap. 3. de pluma pavonis: *Multicolor et versicolor, qua, nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa quando alia, toties denique mutanda, quoties movenda.*

Nasceris; possis nihil urbe Roma
Visere maius!
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres;
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis.

Possis nihil urbe Roma Visere maius. Pausanias VIII. 33. *Βαβυλῶνος, ἥντινα εἶδε πόλεων τῶν τότε μεγίστην ἥλιος*, Anthol. Iacobs. pag. 341. *νέφρον Ὀλύμπου Ἅλιος οὐδέν που τοῖον ἐπηυγάσατο.*

Aperire partus. Nemesian. Cynog. 132. *Foecundos aperit partus matura gravedo.*

Seu Genitalis. Bentleius solita sua ingenii et eruditionis copia coniecturam *Genetyllis* ornatam commendat. Bentleium propterea laudavit Burman. ad Propert. III. 8. 11. Ego neque *Genitalem* neque *Genetyllin* pro vera lectione habeo. *Genetyllis*, *Ἡ Γενετυλλίς*, est numen haud ita cognitum, cuius aliquoties mentionem facit Aristophanes: neque habet certam significationem, quod apparet ex diversis Grammaticorum interpretationibus, quorum alii dicunt fuisse *comitem Veneris*, alii *Genetyllidas comites Dianae*, alii *Genetyllidem* appellant *ipsam Venerem*. Exemplum, in quo Diana *Γενετυλλίς* nominetur, Bentleius non ostendit. Adde, quod Nicetas in Epithetis Deorum apud Creuzerum in Meletem. Part. I. pag. 12. scribit: *Γενετυλλίδος. ἀθηνᾶς.* Neque in Commentariis Servii et Porphyrionis, quos advocat Bentleius, ullum Genetyllidi praesidium invenit. Servius scripsit ad Virgil. Eclog. IV. 10. *Casta fave Lucina:* »Modo Lucinam Dianam accipimus. Sic Horatius Carm. Saecul. 15. *Sive tu Lucinam probas vocari, seu te penitus Iunonem.* Terentius Andr. III. 1. 15. *Iunonem Lucinam* dicit, ut: *Iuno Lucina fer opem:* cum tamen ambae unum sint." Vir magnus a Servio scriptum esse putat pro corruptis *Seu te penitus Iunonem — seu te Genetyllidem.* Si viveret, mihi Serviana sic esse corrigenda assentiret: »Modo *Lucinam*, *Dianam* accipimus. Sic Horatius Carm. Saec. 15. *Sive tu Lucina probas vocari, seu genitalis.* Modo *Iunonem.* Sic Terentius Andr. III. 1. 15 sq." Servius nempe disputat utrum *Lucina* apud Virgilium pro *Diana* an pro *Iunone* sit accipienda, quia *Lucina* nunc est *Diana*, nunc *Iuno.* Videamus de Porphyrione. Huius Gramma-

Diva, producas subolem, Patrumque
Prosperes decreta super iugandis

tici scholion hoc est: » Ostendit autem eandem *Lucinam* et *genitalem Deam* appellari." Et hic Bentl. ex *genitalem Deam* fecit *Genetyllidem*. Ego puto Grammaticum iunxisse *genitalis Diva*: vel hoc voluisse: Eadem Lucina etiam vocatur *Dea genitalis*. *Deam* voci *Lucinae* non addidit, quia in *Lucina* statim agnoscitur *Dea*: quod secus est in *genitalis*, adiectivo communis usus et multae significationis. Poteris etiam sic scribere: » Ostendit autem eandem *Lucinam*, et *Genitalem*, et *Dianam*:" ut Acro: » *Genitalem vocavit Dianam*." Felicior fuit Bentleius in altera disputationis parte, et probavit *Genitalem* non esse cognomen Dianae proprium, quia Romani Deos duodecim maiores, qui et Consentes appellantur, vocaverunt *genitales*. Quare exigua mutatione legendum arbitror *Seu Genialis*. Eo nos ducit scriptura Cod. Graeviani: *gentalis*. In MSS. *genialis* et *genitalis* saepissime confunduntur, de qua re vide Burm. ad Ovid. I. Art. Am. 125. et Markl. ad Statii Silv. pag. 237. qui hoc posuit discrimen: » *genitalis* ad diem natalem et liberos procreandos attinet, *genialis*, ad festa, hilaritatem, quum genio indulgemus." Ad quam regulam si omnia exempla exigere vellemus, multa in scriptis veterum essent mutanda, ut iam nunc, sed perverse, a nonnullis mutata sunt: ac nescio cur Marklandus tantopere laudare potuerit Burm. ad Ovidii l. l. qui verba *Ducuntur raptae*, *genialis praeda*, *puellae*, correxit, substituens *genitalis*. *Genialis praeda* eleganter et honeste appellantur virgines Sabinae, quibuscum Romani matrimonia essent inituri. *Genitalis* praeda, rustice dictum est. *Geniale* etiam dicitur omne illud, quod ad nuptias et conjugia attinet. Optime Glossographi: *Genialis*, γαμήλιος. Servius ad VI. Aen. 603. » *Geniales lecti* proprie sunt, qui sternuntur puellis nubentibus, dicti a generandis liberis." Memorabilis est Senecae locus in Medea vs. 1. *Di coniugales, tuque genialis tori Lucina custos*. Conf. Barth. ad Statii III. Theb. 689. Iam Horatius dicit: Seu malis Lucina vocari, seu Genialis, hoc est, quae partus in lucem voces, seu, quae praesis coniugiis, (unde partus oriuntur,) et lectum genialem custodias. Lucina et Iuno sunt eaedem. Iuno Graecis est γαμήλιος, *pronuba*. Eadem hic *Genialis* appellari potest. Fortasse Horatius hoc cognomen Dianae primus dedit, satis in eo formando felix,

Feminis, prolisque novae feraci
Lege marita:
Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,

et ingeniosus. Sed quis novit, an non ante Horatium iam extiterit? *Genetyllis* quidem apud neminem Romanum reperta est.

Diva, producas subolem. Quatuor versus Horatio plane indigni. *Producas subolem*, quid est, nisi inanis repetitio antecedentium *operi partus* et *tuere matres*? Neque in reliquis, sive rem ipsam, sive Latinitatem spectes, bonum poëtam agnoscas. Tam diserta mentio legum et decretorum hominem prodit, nescientem quid gravitas et decor poëticus ferant, neque genus dicendi tenue, nudum et historicum a grandi et ornato discernentem. Horatius alibi quoque ad leges latas respexit, sed personam poëtae non deposuit. Testimonio sint illa ex IV. Carm. 5. *Nullis polluitur casta domus stupris. Mos et lex maculosum edomuit nefas. Laudantur simili prole puerperae. Culpam poena premit comes.* Ubi lex Iulia de adulteriis ei ante oculos erat. In Epodis etiam Othonem vocat legis auctorem, sed graviter et poëtice: *Sedilibusque magnus inprimis eques Othone contemto sedet.* Iam mihi cum istis versibus hos e Saeculari Carmine compara, et dices Horatio non potuisse ex ore excidere: Prospera sint patrum decreta de iugandis feminis et lege maritali. Hoc unum: *decreta super iugandis feminis et super lege marita*, et putide dictum est, et habet ineptam tautologiam, quia intelligitur una lex *de maritandis ordinibus.* Fuere, qui acceperint *marita* tamquam verbum imperative positum *Marita!* Hoc non tam alienum est ab ingenio hominis, qui hos versus finxit.

Certus undenos decies per annos. Sententia est: Lucina tuere matres, ut liberos magno numero pariant, et post centum et decem annos frequens sit multitudo hominum, qui festum Saeculare celebrent. Talem ego sententiam probare non potui. Credo versus ita transponendos esse: *Vosque veraces. Quod semel. Terminus servet. Iungite fata. Certus undenos:* sq. Ilithya tuere matres. Vosque, o Parcae, iungite bona fata iam peractis, conservate et augete felicitatem reipublicae Romanae, ut hic dies, saeculo praeterito, iterum per cantus et ludos celebrari possit.

Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequentes.
Vosque, veraces cecinisse, Parcae,
Quod semel dictum est, stabilisque rerum
Terminus servat, bona iam peractis
Iungite fata.

Celebrari poterat hoc festum, numero incolarum non aucto, etiam minuto, celebrari non poterat nisi salva et stante republica, nisi Parcae bona fata iam peractis iungerent. Multa in ordine Carminis Saecularis esse videntur turbata. Ita Comment. Cruq. versus *Vosque veraces cecinisse Parcae* — legit post *Condito mitis placidusque telo* sq. Nam dicit: *Invocat autem Parcas post Apollinem, quia Apollo fatis praeest, unde et sortilegus vocatur.* Atque huc respicit altera eiusdem interpretatio: *Optat ut decreta sua stabilia faciant, quae promiserant Aeneae, dum Italiam peteret, permansurum scilicet Romanum imperium in perpetuum.*

Referatque ludos. Referuntur sacra, quae stato tempore redeunt. Vide Burm. ad Ovid. Remed. 593.

Totiesque grata. In MS. Voss. *potiens*, cum glossa *fruens*. Corruptum scilicet ex *totiens*, glossator non intelligebat.

Quod semel dictum est, stabilisque rerum Terminus servat. Bentleius haec ita emendavit: *Quod semel dictum stabilis per aevum Terminus servet.* Vel *Quod, simul dictum est, stabilis per aevum Terminus servet. Est* in quibusdam MSS. omittitur, *servet* in plurimis legitur. Ego nihil mutem, praeter distinctionem verborum, quam ita esse concipiendam arbitror: *Vosque veraces cecinisse Parcae! Quod semel dictum est, stabilisque rerum Terminus servat, bona iam peractis Iungite fata.* O Parcae non mendaces, felix et faustum porro facite imperium Romanum, quod vos esse faturas semel dixistis, quodque certus rerum eventus comprobat. Eadem fere est explicatio Lambini, quam nuper commendavit Geslerus ad Thucyd. II. 60. Terminus rerum servat, quia decreta Parcarum, fata sunt immota, immutabilia. Seneca Oedip. 985. *Servatque suae decreta colus Lachesis.* Virgl. Eclog. IV. 46. *Talia saecla, suis, dixerunt, currite fusis Concordes stabili fatorum numine Parcae.* Ubi Servius Horatium citavit. Virgil.

Fertilis frugum pecorisque tellus
Spicea donet Cererem corona:
Nutriant foetus et aquae salubres,
Et Iovis aurae.
Condito mitis placidusque telo,
Supplices audi pueros, Apollo:
Siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas.
Roma si vestrum est opus, Iliaeque
Litus Etruscum tenuere turmae,
Iussa pars mutare Lares et urbem
Sospite cursu:

I. Aen. 257. *manent immota tuorum Fata tibi. Cernes urbem et promissa Lavini Moenia.* Quae verba ante oculos habuit Valer. Flacc. II. 573. *Priami sed quis iam vertere regni Fata queat? Manet immotis nox Dorica lustris.* Et Claudian. II. Eutrop. 293. *immobilis haeret Terminus. Haec dudum nato placuere Tonanti.*

Fertilis frugum pecorisque tellus. Tellus est *fertilis* vini, frumenti aliarumque rerum, quas ipsa fert et procreat. Tellus *fertilis pecoris* contraria est naturae, neque inveni bonos scriptores, qui dixerint. Exemplum Lucretii II. 249. ad Horatium non pertinet. In eo terra *parit omnia saecla ferarum, Pabula quum praebet, quibus omnes corpora pascunt.* Ipse enim Lucretius sensit se usum esse minus proprio *pariendi* verbo, quare exposuit, quomodo illud accipi vellet. Terra nempe feras parit, quatenus feris pabula praebet, quae ita nutritae prolem gignant. Ideo primum cogitabam esse legendum: *Fertilis frugum pecorique tellus.* Ut Sallustius Iugurth. 17. *Ager frugum fertilis, bonus pecori.* Ubi Cortius dedit similia ex Virgil. II. Georg. 213. *Facilis pecori.* Liv. XXIX. 31. *Mons pecori bonus alendo erat.* Sed quid hic Cereri cum *pecore*? Tellus recte Cereri dat spiceam corollam, quia est fertilis frugum: *pecus* nihil ad hoc donum facit. Et *pecora* statim memorantur *nutriant foetus.* Verum puto: *Fertilis fruges pe-*

Cui per ardentem sine fraude Troiam
Castus Aeneas, patriae superstes,
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis:
Dî, probos mores docili iuventae,
Dî, senectuti placidam quietem,
Romulae genti date remque, prolemque,
Et decus omne.

perisse tellus. Lucret. II. 992. Terra *Foeta parit nitidas fruges, arbustaque laeta.* Cicero De N. Deor. I. 2. *Fruges et reliqua, quae terra pariat.* Ita *gignere, creare,* τίκτειν et alia nota sunt. Coniecturae nostrae favet Comm. Cruq. *Optat frugum ubertatem, et prosperam pecorum foeturam.* Pecorum foetura sunt *foetus.*

Litus Etruscum tenuere turmae. Magnifice dictum *Iliae turmae,* magnificentius quam pro tristi conditione, in qua versantes *reliquiae Danaum atque immitis Achillei* Troiam reliquere. Neo vero turmis istis bene convenit tenuis epexegesis *iussa pars mutare Lares.* Longe elegantius meo sensu legeretur: *Iliaeque Litus Etruscum tenuere turbae Iussa pars mutare Lares.* Pars Iliae turbae, quae supererat, iussa mutare Lares, tenuere litus Etruscum. Poëticum et antiquum est *pars tenuere: turba* et *turma* frequenter in MSS. permutantur. v. ad Ovid. Amor. I. 2. 6. Verum est, quod dicit Heins. ad III. Art. Am. 2. poëtas saepe uti *turma* pro *turba.* Sed hoc etiam observavi, *turbam* non raro usurpari de multudine hominum *miserorum, turmam* non item. *Ilia turba* esset, quam Virgilius appellat: *Collectam exsilio pubem, miserabile volgus.* Virgil. X. Aen. 372. *Nos animae viles, inhumata infletaque turba.* Ovid. XIV. Her. 114. *Cum sene nos inopi turba vagamur inops.* XXI. 167. *Et pudet in tristi laetum consurgere turba.*

Daturus plura relictis. Pontius Paullinus pag. 10. *Qui plura promisit datis.*

Dî senectuti placidam quietem. Alii *placidae.* Probos mores iuventae, placidam quietem senectuti. Senectus *placida* iam est in quiete. Romulam gentem intelligit populum proprie ita dictum, adolescentes et viros, robur civitatis.

Remque prolemque Et decus

Quique vos bubus veneratur albis,
Clarus Anchisae Venerisque sanguis,
Imperet bellante prior, iacentem
Lenis in hostem.
Iam mari terraque manus potentes
Medus, Albanasque timet secures:
Iam Scythae responsa petunt, superbi
Nuper, et Indi.
Iam Fides, et Pax, et Honos, Pudorque
Priscus, et neglecta redire Virtus
Audet; apparetque beata pleno
Copia cornu.
Augur, et fulgente decorus arcu,
Phoebus, acceptusque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus,
Si Palatinas videt aequus arces,
Remque Romanam, Latiumque felix,
Alterum in lustrum, meliusque semper
Prorogat aevum:

omne. Ovid. III. Fast. 86. *Arma feras genti remque decusque dabat.* v. Burm.

Quique vos bubus veneratur albis. Bentl. e MSS. et Scholiastis *quaeque* et mox *impetret.* Vulgata praefero: et arcte coniungenda sunt *imperet bellante prior.* Virgil. I. Aen. 286. *Nascetur pulchra Troianus origine Caesar, Imperium Oceano, famam qui terminet astris.*

Manus potentes. Bentl. elegantissime corrigit *manum potentem.*

Beata pleno Copia cornu. Schol. Statii Theb. IV. 106. »Unde in Boëtio legitur: *Copia pleno cornu.*" Pro *Boëtio* scribendum arbitror *Horatio.*

Quaeque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim, Diana, preces virorum
Curat et votis puerorum amicas
Applicat aures:
Haec Iovem sentire, Deosque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus et Phoebi chorus et Dianae
Dicere laudes.

Quindecim Diana preces virorum. In MS. Voss. *quin* erasum est, et scriptum *decem.*

Curat, et votis puerorum amicas Applicat aures. Praetuli cum Bentleio et hic *curat, applicat*, et supra *prorogat.* Alii haec coniunctivo modo efferunt. Pro *votis* in MS. Leid. uno legitur *voci.*

CARMEN GNOMICUM.

Odi profanum vulgus et arceo:
Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis,
Clari giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.
Coelo tonantem credidimus Iovem
Regnare: praesens Divus habebitur
Augustus, adiectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.

Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis; hic generosior
Descendat in Campum petitor;
Moribus hic meliorque fama

CARMEN GNOMICUM. Hoc est illud Carmen Gnomicum, quod a Grammaticis corruptum, et in varia carmina discerptum esse suspicatus sum. Eam de re universa sententiam exposui in Annotationibus ad Libri III. Carm. 1, 2, 3, 5, 6 et 16.

Contendat; illi turba clientium
Sit maior: aequa lege Necessitas
Sortitur insignes et imos,
Omne capax movet urna nomen.

Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

Desiderantem, quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hoedi:
Non verberatae grandine vineae;
Fundusve mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.

Quod si doleatem nec Phrygius lapis
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis, Achaemeniumve costum:
Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat; et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta:
Vitamque sub divo et trepidis agat
In rebus. Illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, et adulta virgo,
Suspiret, eheu! ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.

Dulce et decorum est pro patria mori:
Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis iuventae
Poplitibus timidove tergo.
Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus vixit? et hostium,
Proh Curia inversique mores!
Consenuit socerorum in armis,
Sub rege Medo, Marsus et Apulus,
Anciliorum et nominis et togae
Oblitus, aeternaeque Vestae,
Incolumi Iove et urbe Roma?
Hoc caverat mens provida Reguli,
Dissentientis conditionibus
Foedis, et exemplo trahenti
Perniciem veniens in aevum,

Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
  Affixa delubris, et arma
    Militibus sine caede, dixit,
Derepta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero:
  Portasque non clausas, et arva
    Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit. Flagitio additis
  Damnum. Neque amissos colores
    Lana refert, medicata fuco,
Nec vera virtus, quum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
  Si pugnat extricata densis
    Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus;
Et Marte Poenos proteret altero,
  Qui lora restrictis lacertis
    Sensit iners, timuitque mortem.
Hic, unde vitam sumeret, inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!
  O magna Carthago, probrosis
    Altior Italiae ruinis!
Fertur pudicae coniugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,
  Ab se removisse, et virilem
    Torvus humi posuisse vultum:
Donec labantes consilio patres
Firmaret auctor nunquam alias dato,
  Interque moerentes amicos
    Egregius properaret exul.

Atqui sciebat, quae sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
  Dimovit obstantes propinquos
    Et populum reditus morantem,
Quam si clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret,
  Tendens Venafranos in agros,
    Aut Lacedaemonium Tarentum.

Virtus repulsae nescia sordidae,
Intaminatis fulget honoribus:
  Nec sumit aut ponit secures
    Arbitrio popularis aurae.
Virtus, recludens immeritis mori
Coelum, negata tentat iter via:
  Coetusque vulgares et udam
    Spernit humum fugiente penna.
Hac ante Pollux et vagus Hercules
Enisus, arces attigit igneas:
  Quos inter Augustus recumbens
    Purpureo bibet ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres, indocili iugum
  Collo trahentes. Hac Quirinus
    Martis equis Acheronta fugit.

Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum
  Vulgarit arcanae, sub isdem
    Sit trabibus, fragilemque mecum

Solvat phaselum. Saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum:
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

Iustum ac tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster,
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis:
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinae.

Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Aedesque labentes Deorum, et
Foeda nigro simulacra fumo.
Dis te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.

Foecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere, et genus et domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, et fingitur artibus:
Iam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui.

Non his iuventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico,
  Pyrrhumque et ingentem cecidit
    Antiochum Hannibalemque dirum:
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
  Versare glebas, et severae
    Matris ad arbitrium recisos
Portare fustes, sol ubi montium
Mutaret umbras, et iuga demeret
  Bubus fatigatis, amicum
    Tempus agens abeunte curru.
Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum, peior avis, tulit
  Nos nequiores, mox daturos
    Progeniem vitiosiorem.

Inclusam Danaën turris aënea,
Robustaeque fores, et vigilum canum
  Tristes excubiae munierant satis
    Nocturnis ab adulteris:
Si non Acrisium, virginis abditae
Custodem pavidum, Iupiter et Venus
  Risissent: fore enim tutum iter et patens
    Converso in pretium Deo.
Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa, potentius
  Ictu fulmineo: munera navium
    Saevos illaqueant duces.

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumque fames. Nil cupientium
  Nudus castra peto, et transfuga divitum
    Partes linquere gestio.
Contemtae dominus splendidior rei,
Quam si, quidquid arat impiger Apulus,
  Occultare meis dicerer horreis,
    Magnas inter opes inops.
Purae rivus aquae, silvaque iugerum
Paucorum, et segetis certa fides meae,
  Fulgentem imperio fertilis Africae
    Fallit sorte beatior.
Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes
Nec Laestrygonia Bacchus in amphora
  Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
    Crescunt vellera pascuis:
Importuna tamen pauperies abest;
Nec mi plura velim. Multa petentibus
  Desunt multa. Bene est, cui Deus obtulit
    Parca, quod satis est, manu.

INDICES.



INDEX SCRIPTORUM,

QUI IN ANNOTATIONE TRACTANTUR.

A.

Accius apud Charisium, 108, a.
Acro, Schol. Horatii, 187, a. 225, b.
Agathemerus, 23, b.
Alcaeus, 54, a. 92, a. 318, a.
Ambrosius, 30, a. 176, b. 179, b.
Ampelius (L.), 23, a.
Anthologia Latina burmanni, 32, a. 92, b. 94, b. 152, a. 239, b. 283, b. 354, b. 399, 405. a. 478, a. 506, b.
Appuleius, 67, b. 232, b. 372, a.
Auctor Culicis Virgil. 297, a.
Auctor Dialogi de Causs. Corr. Eloq. 410, b.
Auctor Nucis, 482, b.
Ausonius, 99, a. 106, b. 169, a. 319, a. 416, b. 443, a.

B.

Bacchidas apud Athenaeum, 405, a.
Bion, 122, a.
Broukhusii (I.) Annott. MSS. 3, a. 7, a. 427, b.

C.

Callimachus, 131, a. 369, a. 476, b.
Calpurnius, 318, b.
Casauboni Annott. MSS. 29, a. 118, b.
Cato (Dionysius), 132, b.
Catullus, 387, a. 434, a. 474, b.
Censorinus, 421, b.
Charisius, 242, b.
Chariton, 350, b.
Cicero, 75, b. 135, b. 230, b. 414, b. 450, b.
Cinna in Pollionis Propemptico, 165, b.
Claudianus, 12, a. 39, b. 50, b. 102. 124, a. 159, b. 189, b. 302, a.
Commentator Horatii Cruquianus, 6, a. 85, a. 149, b. 154, a. 175, b. 225, b. 462, a.
Corippus, 121, b.

D.

Dausquius, 262, b.

Dictys cretensis, 380, b.
Doeza (I.), 217, b.

E.

Euhemerus, 81, a. 159, a.
Euripides, 113, b. 351, b. 381, b. 391, b.

F.

Francius (P.) 261, a.

G.

Germanicus in Prognost. 10, a.
Gemistus, 174, a.

H.

Herstemensii (Tib.) Annott. MSS. 85, b. 86, a. 162, b. 186, b. 285, a. 302, a.
Hermesianax, 296, b.
Hieronymus, 383, a. 389, b. 471, a.
Hilarius in Genes. 283, b.
Hildebrandi Carm. 82, a. Philosophia Moralis, 165, a. 360, a. 404, b. 453, b.
Hinkmarus, 123, b.
Homerus, Iliad. 36, b. 106, b. 194, a. 208, b. 361, a. Odyss. 18, a. 20, b. 138, a. 206. 351, a. 361, a.
Horatius, Od. l. I. 258, b. 296, b. 314, b. l. II. 360, b. Carm. Saec. 216, b. Epp. 68, a. 404, a. Sat. 318, b. 368, b. Ars Poët. 325, a.

I.

Ianus Secundus, 217, b.
Iosephus Iscanus, 171, b.
Iulius Firmicus, 307, a.
Iulius Obsequens, 444, b.
Iuvenalis, 280, a. 282, b. 421, 457, b.

L.

Lactantius, Scholiasta Statii, 343, b.
Livius, 122, b. 186, b. 279, b. 310, b. 373, b. 457, b. 482, a. 495, a.
Lucanus, 21, a. 47, b. 84, b. 107, b. 129, a. 160, a. 215, b. 337, a. 346, a. 484, b.
Lucilius, 428, a.
Lucretius, 515.

M.

Manertinus, Paneg. 28, a. Genethl. 95, b.
Manilius, 381, a.
Marbodus, 195. 418, b.
Menander apud Athenaeum, 193, b.
Minnerarus, 332, b.
Minutius felix, 510, b.

N.

Nemesianus, 92, b. 161, b.
Nepos (Corn.), 318, b.
Nestoris Vocabularium, 237, b.

O.

Oppianus, 22, a.
Oudendorpii Annott. MSS. in Horat. 2, a. 17, b. 22, b. 23, b. 42, a. 72, a.

Ovidius, Remed. Am. 23, a. Heroid. 76, b. 111, b. 120, a. 299. 322, b. 490, a. Metam. 55, a. 70, b. 280, a. 455, b. Pont. 82, a. Amor. 186, a. 467, a. Ars Am. 380, a. 512, b. Fast. 437, b. 497, a.

P.

Papias, 153, b.
Paullinus (Pontius), 135, b. 453, a.
Persius, 6, b. 32, a. 76, b. 224, a.
Procas Grammaticus, 475, a.
Pindarus, 69, b. 360, b.
Plato in Phaedone, 235, a.
Plautus, 313, b.
Plinius, Hist. Nat. 23, a.
Plinius, Epp. 124, b.
Plutarchus, 319, b.
Poëta vetus apud Plutarchum, 230, b.
Pomnanus in Anthol. Burm. 152, a.
Porphyrio, Schol. Horatii, 511, b. 512, a.
Procopius, 390.
Propertius, 45, a. 112, a. 148, a. 187, b. 189, b. 237, b. 285, a. 331, a. 335, b. 442, a. 492, a.
Prudentius, 388, b. 419, b.

Q.

Quintilianus, Instit. Orat. 67, a. 211, a. 275, a. 369, b. Declam. 122, b.

R.

Rutilius in Itiner. 388, b.

S.

Sallustius, 193, b. 417, a. 458, a.
Sardanapali Epigramma apud Strabon. 405.
Scholiasta Iuvenalis, 40, b. 176, b. 282, a. 334, a. 381, b.
Scholiasta Statii, 132, a. 150, b. 170, b. 191, b. 247, b. 470, b. 491, b. 517, b.
Scholion ineditum Horatii, 31, b.
Seneca, Tragicus, Thyest. 3, a. 51. 144, a. Octav. 192, b. Hippol. 351, a. 510, b. Oedip. 501, a.
Seneca, Philosophus, 11, b. 12, a. 225, a. 362, a. 445, b.
Serenus Sammonicus, 180, b.
Servius, ad Virgilium, 13, b. 69, b. 184, b. 237, b. 242, b. 359, b. 459, b. 511, b. In Centimetro, 16.
Sidonius Apollinaris, 128, a.
Silius Italicus, 16, b. 84, b. 93, b. 137, a. 250, a. 460, a.
Sophocles Fragm. 162, a. 351, b.
Statius, Silv. 18, b. 24, a. 84, a. 141, b. 152, b. 159, a. 161, b. 162, b. 186, b. 208, b. 328, b. 331, b. 443, a. Achill. 176, a.
Suetonius, Vita Horatii, 393, b. Claud. 402. Nerone, 461, a.
Symmachus, 117. 326, b.

T.

Tacitus, Mor. Germ. 71, b. Annal. 272, b. 402, b. Agric. 333, b.
Teles, apud Stobaeum, 164, b.
Theocritus, 501, b.

Tibullus, 60, b. 200, b. 239, b. 505, b.
Trebellius Pollio, 288, a.

V.

Valerius Cato, 29, b.
Valerius Flaccus, 5, a. 122, a. 318, a. 408, a. 486, b. 515, a.
Velleius Paterculus, 129, a. 149, a.
Viri Docti Annot. MS. in Horat. 441.
Virgilius, Aen. 50, b. 53. 65, a. 188. 318, a. 402, b. 408, b. 481, a. 482, b. Eclog. 69, b. Georg. 119, a. 130, b. 267, a. 391, b. 346, a.
Virgilii vetus Interpres ed. Hale, 412, a.
Vitruvius, 42, a.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A.

Ab *et* D *in MSS. permutata*, 404, a.

Ab, *procul ab*, *ut Graecum* ἄπο, 380, a.

Ab duellis, 438, b.

Abdi oppidis, *militi non honestum*, 265, a.

Abire *et* obire, 220, b. 404, a.

Ablativus sine praepositione cum verbo passivo, 35, a.

Accubat *et* decubat *permutatum*, 425, a.

Acervi ingentes, *non addito* auri, 165, b.

Acres *et* agris *permutata*, 447, b.

Acroceraunia, 22, a.

Acta *et* Acte, *nomen feminae*, 461, a.

Acuta belli, 387, b.

Acuta leto saxa, 352, b.

Adamas *et* adamantinus, 33, b.

Ἀδίδακτος, 178, a.

Adiectiva neutra plur. substantive posita, 137.

Adiicere *gentes imperio*, 270, a.

Admoves, ammoves *et* amoves *confusa*, 325, a.

Adspiciunt *luna et sidera*, 223, a.

Adspicit *et* afficit *permutata*, 473, a.

Adulter, adulterium, 497, a.

Adyti *incola Deus*, 85, b.

Aedificandi in mari insania, 227.

Aemulatio *et* imitatio, 369.

Aera *Corinthia*, 407, b.

Aesculetum, 104, a.

Aetas cito transit, poëtarum sententia, 418, a.

Aeternare in aevum, 429, a.

Afflare auram, 187, b.

Affulsit *et* effulsit, *permutata*, 398, b.

Age te, *et* agite, *permutata*, 352, b.

Agitata *vento coma*, 490.

Ἀγνοούμενος κληρονόμος, 226, a.

Agris *et* arvis, 446, a.

Agyieus *Apollo*, 396, b.

Ἀιδὼς et Ἕως in Euripide, 114, a.

Akroathon, 23, b.

Ἀκροκεραύνιον, 23, b.

Alba *populus et* alta, 167, b.

Alcaei Hymnus in Mercurium,

Horatii imitatione expressus, 54, a.
Alit *et* agit *permutata*, 104, b.
Alius et idem, 510, b.
Allabi *et* allapsus *de serpentibus*, 444, b.
Allegoriae continuatio, 74.
Allium *nocens*, 451, a.
Allobrox *et* Allabrox, 493, b.
Alloquia, 486, b.
Alphius foenerator, 450, a.
Alta *humus*, *an* atra, *an* alma, 499, a.
Alto *et* uroto, 300, b.
Almus *et* albus, 400, b.
Alma *et* arma, 383, a.
Alyattei *et* Halyatii, 312.
Ambit *et* lambit, 103, a.
Amice pati, 245, b.
Amico *et* amique, 207, b.
Amico animo dare, 404, b.
Amicus *gres*, *an* amictus, 498, b.
Amicum tempus, *dies*, 283, a.
Amores *et* mores, 371, b.
Amphiarai fabula, 307.
Anguis, *feminini generis*, 206, b.
Ἄνθος πυρός, 503, b.
Animus *est circa quid*, 173.
Animus *contemtor*, *consul*, *caet*, 415.
Animae *prodigus*, 66, a.
Annus, *de longiore temporis spatio*, 389.
Annus, dies *et* hora, 490, b.
Annos *demit et apponit aetas*, 174.
Antonius (*Iulius*) *triumviri filius*, 370.
Antonius (*Rufus*), 372.
Aperire *et* abscondere *terram*, 392, a.
Aperire *partus*, 511, a.
Ἀκροείκτειν γῆν, 382, a.
Apollinis coma male comparationi adhibita, 489, b.
Appare *fortis*, *pro sis*, 194, b.
Applorare, *προσαλοιφεσθαι*, 478, a.
Appositionis exemplo, 113, b. 361, b.
Aprici *flores*, 113, b.
Aptare *arma*, 469, a.
Aptus *Lar*, *an* arctus, 68, a.
Apulicum *mare*, 330, b.
Apulus, Apulia, 261, 262, 330, b.
Aqua *de pluvia*, 317, b.
Archytae socum loquentis prosopopoeia, 118.
Ardet *spiritus ex ore*, 298, b.
Arduum nil, *an* ardui, 27, a.
Arentes *arenae*, *an* ardentes, *an* urentes, 264, b.
Argoo *et* Ageo, 499.
Argumentum de excellentibus patriae viris, 62, a.
Arma (ad), 140.
Armis (in) *consenescere*, *et* in arvis, 271, b.
Armenia frigida, 189, b.
Armenta *et* greges, 127, a.
Arta *et* atra, 169, a.
Arte *et* ante, 251, a.
Arx *et* urbs, 42, a.
Arces *de una arce*, 42, b.
Arces Alpibus impositae, 431, b.
Aspera *tigris*, 106, a.
Assyrius *et* Asturius, 265, a.
Ast ego, 492, b.
Astra (in) h. *e. in coelum*, 120, a.
Astra *et* aura, 362.
At tu, Et tu, 491, b.

At *minantis*, 491, b.
Ata *et* Anda, *terminatio permutata*, 129, b.
Atri *ignes*, 464, b.
Atrox *animus Catonis*, 159, b.
Auctor, ductor *et* structor *murorum*, 259.
Audias (si me), *an* audies, 72, b.
Audio *et* video, 261, a.
Augustus rex *appellatus non est*, 392.
Aura, *amoris afflatus*, 187.
Auras (in) *abire*, 119, b.
Aure bibere, 205, a.
Aures demittere, erigere, tollere, arrigere, acuere, 205, b.
Auro (in) *bibere*, 128, a.
Auspex *non nisi numen*, 47, a. 344, b.
Aut *vel* ve *post* neque, 493.
Avaritiae et hydropis comparatio, 164, b.
Avarum *mare*, 361, a.
Avidus *Vulcanus*, 267, b.

B.

Bacchari, 258, b.
Bandusiae *fons*, 301, a.
Barcine *et* Barine, 185, a.
Βάσανος, 325, a.
Βασιλεῖς Romani Imperatores, 393, b.
Βίλη κυκλώσασθαι, 123, b.
Bella civilia Romanis fato tributa, 470, a.
Belli *portae*, 437, b.
Bellicosus *et* belluosus, 435.
Bene est, 193.
Beneficia sola manent, 405.
Bibere nectar, *de mortuis*, 252, a.
Boni *dicuntur* mortui, 367, a.
Bosporus, 203, a.
Boves, *femin. gen.* 53, b.
Brevis *cum variis substantivis*, 57, a.
Brevitas dictionis acuta, 485, b.
Britanni, *ultimi orbis*, 143, b.
Bupalus *et* Bubalus, 468, b.

C.

Caementa *et* vertices *aedium opposita*, 330, a.
Χαῖρέ μοι, 133.
Calabriae *armenta* Graia, 126.
Calena *falx*, 127, b.
Calendis pecuniae reposcebantur, 450, b.
Calere *venenis*, 503, b.
Calescere *mero*, 324, b.
Cana *Fides*, 141, b.
Candens *et* tangens, 445, a.
Canere *ex consuetudine militum*, 473, a.
Cani *capilli et* albescentes, 197, a.
Canis *genere femin.* 447, b.
Cantharus, 97.
Capax *Orcus*, 228, b.
Capillos *agitare*, 490, a.
Captis *et* victis, 395, b.
Captor, 396, a.
Caput *multa fleturum*, 461, a.
Carbones subternere limitibus, 228, a.
Carinae, *an de una navi*, 75.
Carinas *navium funibus subligabant*, 75, a.
Carmen *de una formula*, *non* carmina, 15, b.
Carmen *vix Horatio dignum*, 321.
Carmen *aliquis dicitur*, 61, a.
Carmina Romanorum veterum in coenis, 60, b.

Carmina Scholastica Horatio intrusa, 97.
Carmina Horatio indigna, 195, 210, 303, 312.
Carminibus loquenda *proelia*, 385, b.
Carpere *iter*, 221, b.
Carus *et* clarus, 427.
Catenas nectere ante victoriam, 123, a.
Cato Uticensis, 64, a.
Caudam atterere *alicui*, *alludere*, 233, b.
Cautes, 59.
Cea *naenia*, 167, a.
Celebre *numen*, 200, a.
Celeres *Parthi*, 204, a.
Ceraunia, *non Acroceraunia*, 22.
Cerea *brachia*, 72, a.
Certae *Parcae*, 485, b.
Certare *aliqua re*, 327, b.
Cervicem *alicui frangere*, 202, b.
Circa *et* Circe, 501, a.
Circumvagus *Oceanus*, 498, a.
Cl *et* D *in MSS. mutata*, 404, a.
Clades *et* labes, 279, b.
Clarus *lapis*, 437, b.
Classis, *de una nave*, 150, a.
Clavus annalis, 330, a.
Cnidon, *terminatio Graeca*, 355, b.
Coelebs *platanus*, 310, b.
Coelum *et terras regere*, in coelo *regere*, 455.
Coelum *petere stultitia*, 27.
Coenae horam non maturabant veteres Romani, 6, a.
Cohibere *cervam arcu*, 398, a.
Coloni *et* pauperes *iidem*, 139.
Colubrae *et* colubres, 90, a.
Comere, 66, b.
Comissari *in domum*, 367, a.
Commodus, 407, a.
Commoda *pocula*, 319, a.
Comparatio ab avibus ducta, 442.
Composita pro simplicibus, 128, b.
Condere *diem*, 391, b.
Confundere *mare coelo*, 457, b.
Conopium, 473.
Consul *non unius anni*, 416.
Contemto *Othone*, 454, a.
Contenta non uno, 488, b.
Contraxit *et* constrinxit, 483, a.
Convivia *et* convicia, 40, a.
Copia narium, *an de floribus recte dicatur*, 211, b.
Copia *Dea*, 90, b.
Cordolium, 491, b.
Cotyttia, 506, b.
Credere *se coelo*, 353, a.
Creditum *poscere*, 109, a.
Χρηστὸς *de mortuis*, 365, b.
Crines *pulvere collinere*, 81, a.
Cumque, 132.
Cunctari, *ultra tempus promissum abesse*, 389, a.
Curat (non) *pro* non vult, 275, b.
Curiosus, 508, b.
Currens *aper*, 460, a.
Curriculum *ambigue dictum*, 2, b.
Cursus *relictos iterare*, 135.
Cydonia *tela*, 413, a.
Cytherea *Venus*, 29.

D.

Dalmaticus *an* Delmaticus, 158, a.
Damalis, 146.
Dare se cui, 331, b.
Daunia, Daunias, *an* Daunis, 103, b.
De *in compos. notionem turpitudinis adiunctam habet*, 402, b.

Decerpta *undique oliva*, 43, b.
Decent *et* docent, 306, b.
Decet *et* satis decet, 306, a.
Decidere *et* recidere, 402.
Decus *et* Deus, 107, b.
Decus Caesaris *stellis inserere*, 337, b.
Decus *coeli Diana*, 509.
Defingere *retusum ferrum*, 144, b.
Defunctum *bello barbiton*, 342, a.
Defusum *et* diffusum, 392, b.
Dei sunt, estis Dei, *formula*, 186, b.
Delenire, 244, b.
Deliberata *mors*, 152, b. 351.
Dellius, 167.
Delos sacra, 100, b.
Demere *et* Sumere *de die*, 6, b.
Demovere *et* dimovere, 4, a.
Densum humeris *vulgus*, 205, a.
Derepta *postibus signa*, *non* direpta, 437, b.
Descriptae sedes, *et* discretae, 204, a.
Destrictus *ensis*, *non* districtus, 242, a.
Devium *scortum*, 197, b.
Devota *morti pectora*, 432, b.
Diadema, *laurus et regnum*, 166.
Dicere *pro* designare, 184, a.
Dices *et* disces, 91, b.
Die, in die, in diem, 369, a.
Dies, *anni*, *horae et menses*, 207, b.
Dies, *et* nox, *de rebus die et nocte gestis*, 382, a.
Digna loqui *Phoebo*, *adyto*, *sim.* 205, a.
Dii *Quiritium*, 181, b.
Dii maris et coeli Omnes Dii Deaeque, Quidquid, quantum est Deorum; *et:* O mare, o terra et coelum; *et:* Confundere terram et mare coelo; *tres diversae formulae*, *probe discernendae*, 456-458.
Dilapsa *in cineres fax an* delapsa, 428, a.
Dimidium *animae*, 19, b.
Dirus *et* durus, 199.
Discere *et* docere *de carminibus*, 238, a.
Dissociabilis *Oceanus*, 23, b.
Distendit *uvas Autumnus*, 174, a.
Distinere *et* detinere, 389, b.
Dithyrambicum genus, 335, a.
Dives post mortem nihilo plus terrae accipit quam pauper, 229, b.
Divis ortus bonis, 388, a.
Docens vinci *Hercules Hydram*, 385, a.
Dolor, *eximie ad* cor *pertinet*, 491.
Dominus *rei contemtae*, 309, b.
Domum praebere, 318, b.
Domus *et* modus *mutata*, 179, a.
Domus *de quieta sede*, 179, a.
Duella, *et aetas vacua* ab duellis, 438.
Dum loquimur, 57, b.
Dum potes, 313, a.
Duplex, *callidus*, 37, b.
Duratae *solo nives*, 333, a.
Durior scopulo, 505, b.
Durus *in amore*, 286, 295, b.
Dux *in pace et in bello recte dicitur Augustus*, 392, b. 394, a.

E.

Ἐκτείνειν βίον, 430, a.
Edonis, Edona, *Baccha*, 184, b.

Effunditur *puer*, 505, b.
Eheu, heu heu, 80, a.
Eius, *vox humilior et superva-cua*, 296, a.
Elidere, *suffocare*, 252, a.
Ellipsis verbi substantivi, 443, a.
Emancipatus *cum* Et mancipatus *mutatum*, 472, a.
Emirari, 34, a.
Emori, 332, a.
Emovere, *impropria*, 439, a.
Epitheta duo apud poëtas, 180, b.
Epodôn *appellatio an ab Horatio profecta*, 441.
Eques humèris vectari *cuius*, *καθιππάζειν*, 508, a.
Equitare, *improprie*, 383, a.
Ergo *initio orationis in dolore*, 108, a.
Ἔρχεσθαι non simpliciter pro εἶναι ponitur, 96, a.
Ἔρωτα προσπνεῖν, 187, a.
Est quibus, *Graecismus*, 42, b.
Est *saepe a Grammaticis intrusum*, 110, b.
Est *eleganter omissum*, 490, b.
Et *et* Ut *conf.* 19, b. 478, a.
Et *et* At *conf.* 50.
Ἕτερος, infaustus, 193.
Euro *et* Hebro, 112, b.
Europae fabula, 347, b.
Εὔχομαι, iacto, 77, b.
Evenit *ex profundo*, 385, b.
Excutere *domo*, 291, a.
Exilis *domus Plutonia*, 32.
Exitium *et* excidium, 81, b.
Expedire *aliquid*, 494.
Expeditus *curis*, 103, a.
Expulsiones vicinorum ex agris, 228, a.
Exsilit puer, *facillime nascitur*, 505, b.
Exsilium, *locus in quo quis exsulat*, 33.
Exsomnis *Evias*, 338, b.
Exsul *et* exsul patriae, 217, b.
Exsecta *medulla*, 460, a.
Extendere in aevum, 430, a.

F.

Fabula *homo vel res*, 31, b.
Fabulae manes, 30, b.
Fabulosus *Hydaspes*, 102, b.
Fallit *ex Graecismo*, 310, b.
Famosus *et* formosus *Paris*, 254, b.
Fas nefas (*Magnum*), 465, b.
Fas mihi, *et* fas est mihi, 231, b.
Fastidium *agitare*, 481, b.
Fata dicere *hac lege*, 258, a.
Fata *immutabilia*, 514, b.
Fauces demittit *Cerberus*, 206, a.
Fax lunae *crescentis*, 386, a.
Fecunda culpae saecula, 279, a.
Femina *de viro molli*, 472.
Ferae suo generi parcunt, 469, a.
Ferox, ferax, fugax, 174, a.
Ferre *et* auferre *de undis*, 184, a.
Ferre pedem *choris*, 200, a.
Fert *et* ferit, 458, b.
Fertilis frugum *pecorisque tellus*, 515, a.
Fertur posuisse, *posuit*, 322, b.
Feta *et* foeda, 344, a.
Fides *Iustitiae* soror, 168, b.
Fidit adultero *mulier*, 331, b.
Filia sylvae navis, 78, a.
Fine, sede, lege *permutata*, 229, a.
Fine exiguo discernere, 93, b.
Finem ponere rei, 84, b.
Firmare *et* formare, 334, b.

Flagelli *imago de poena*, 343, b.
Flamma Colchica, 459, b.
Flos *et* florere *de igne*, 503, b.
Fluctibus *et* flatibus, 476, a.
Focum exstruere, 448, b.
Foetus *et* motus, 390.
Fomenta, *improprie*, 478, a.
Fontibus *et* frondibus, 113, a.
Fortis, *exquisito*, 216, a.
Fortis *cum infinitivo*, *Graeco*, 151, b. 257, a.
Fortuitus, *syllaba tertia correpta*, 213, a.
Fortunae habitus in numis, 139. 142, b.
Frangere *de feris*, 106.
Frangit *et* plangit, 476, b.
Fratres Helenae, *sidera bona*, 18, a.
Frena iniicere, 438, b.
Frui paratis, 130, a.
Frustra pius, 109, a.
Fugax lympha, 168, a.
Fugerit *et* fugit, *confusa*, 57, b.
Fulgor, *an* fulgur, *armorum*, 158, b.
Fulmen et tonitru Romanos metu Deorum afficit, 136, b.
Fulmina ponit *Iupiter*, 27, b.
Fulmina *et* fulgura, 192, b.
Fulva cerva, 379, b.
Fumus *improprie*, 358, a.
Functus laboribus, 230, a.
Funera Troiae, 49, a.
Funeratus, 287, a.
Funibus *et* finibus, 453, a.
Furere Inachiâ, 477, b.

G.

Gaudium *de convivio*, 422, b.
Gelonos *et* Gelones, 265, b.
Genetyllis, *numen incertum*, 511, a.
Genialis, γαμήλιος, *cognomen Dianae*, 512.
Genitalis Diana, 511, a.
Genitivus duplex, 90, b.
Genium Deum curare, *non est Latinum*, 303, b.
Geno *pro* gigno, *ignotum aetate Augusta*, 323, a.
Gens *et* Mens, 12, b. 25, a.
Gentes, *cum* Urbe *coniunctae*, *barbari*, 10, b.
Genus mutare, 451, b.
Genus *et* nomen, 77, b.
Gerit *et* genit, 323, a.
Glossae in Horatio, 14, b. 15, a. 20, a. 43, a. 159, b. 168, b. 233, a. 296. 309, a. 336. 394. 431, a. 510, a. alibi.
Glossatores saepe a qui *incipiunt*, 382, a.
Gnata Iovis *Venus*, 399.
Gnomicae Poëseos ratio, 291, a.
Gnosii, Gnossii *et* Cnossii, 80, b.
Graeca testa, 97, b.
Graecae oves, 126, b.
Graecismi, 481, b. 487, b.
Gradus mortis, 20, b.
Gradu magno, *sim.* 21, a.
Grammatici Poëtae interpretabantur appositis aliorum poëtarum locis, 41.
——— *in locis communibus sibi placent*, 496.
——— *versuum ordinem in Horatio mutarunt*, 411.
Grammaticorum ineptiae Horatio intrusae, 10. 14. 20. 38. 121. 176. 243. 253. 260. 266. 294. 351. 363. 372. 378. 412. 430. 434. alibi passim.

Grammaticorum emendationes, 446.
Grata aera, 407, a.
Grata vice, 28, a.
Grata *et* Graia, 126, a.
Grata *et* Guata, 396, a.
Gratum *et* datum, 472, a.
Gratum antrum, 33, b.
Gratus, Graecus *et* Gracchus, 66, a.
Gravatus, 423.
Graves Persae, 270, b.
Gygae pulchritudo, 176, a.
Gyges centimanus, 221, b.

H.

Habilis (non) *senex*, 320, b.
Hebrus *viri nomen*, 300, b.
Helena *et* Helene, 79, a.
Hercules, *Pollux*, *alii*, virtute *et* beneficiis *in Deorum numerum relati*, 250.
Herculeus labor, 26.
Herculeum robur, *in periphrasi*, 26, b.
Heterosis, *figura Grammatica*, 147, a.
Hirpinus Quintius, 195, a.
Hirtus, λάσιος, *de silvis*, 300, b.
Hispidi agri, 189, a.
Honesta *pro* formosa, 226, a.
Honor coniugis additus stellis, 231, b.
Honor in vultus redit, 501, a.
Horatius Graecos imitatur, 18, 38, 90, a. 92, a. 113, b. 122, a. 137. 162, a. 173, 194. 208. 216. 226. 426. 501.
Horatii Carmen antequam villam Tiburtinam habebat, 177, a.
Horatii carmen paullo ante mortem, 234.
Horna fruge, 326, a.
Horrea, *non* horreum, *de magna frumenti copia*, 36.
Horret capillos, *an* capillis, 460, a.
Horrida virga *Mercurii*, 110, a.
Hostiae *natali die non mactatae Horatii tempore*, 420.
Hostibus hoc eveniat, 347, a.
Hydrops *non ponitur pro* hydropico, 164, a.
Hymnus *per* coronam *significatur*, 114.
Hypallage, 121, b.

I.

Iacens *et* tacens *regia*, 151, b.
Iactas filia, *pro* te filiam esse, 77, b.
Iaculari *translate*, 216, a.
Iambo vel spondaeo utitur Horatius in prima sede Iambici Dimetri Hypercatalecti, 358, a.
Ianus Quirinus, *non* Quirini, 438, b.
Icarium, 286, b.
Icaro audacior, 237, a.
Ictus *et* iactus, 111, a.
Ictus, *non addito* solis, 212, a.
Ictus desideriis, 390, a.
Ignis *ultimâ non producitur*, 82, b.
Ignis *proprie et improprie*, 433, b.
Ignotus haeres, 226, a.
Ilion, Ilios, Ilium, 54, b.
Illacrymabilis, 208, a.
Ille, *inepte repetitum*, 395, a.
Illigari *de rebus parum laetis*, 117, b.
Illyricae undae, *an Ionicae et Apulicae*, 120, b.

Ima summis misceere, 137.
Imago *et* imago vocis *Echo*, 98, b.
Imbellis cithara, 80, b.
Immortalia spirare, 400, a.
Impares Musae, 319, a.
Impatiens pulveris, 48, b.
Impavidus nauta, 4, b.
Imperia mollia, 366, a.
Impermissa, *vos nusquam lecta*, 281, b.
Impius *et* improbus, 242, a.
Importunus, 426, b.
In, *per periphrasin explicandum*, 271, a.
In, *praepositio ex seqq. in pr. intelligitur*, 336, b.
In hoc, 506, b.
In laudem *alicuius*, *an* in laude, *scribere*, 45, b.
In leonis unguibus et mala, *pro* in forma leonis, 232, b.
Inane funus, inanes naeniae, 238, b.
Inaudax, 321, b.
Incalescere mero, 324, b.
Incolae *templorum Dei*, 85, b.
Incomti *et* intonsi *capilli*, 66, b.
Increpare lyra, 436.
Incumbere *de morbis*, 26, a.
Indoctus ferre iugum, 178, a.
Infamis periculis, 22, b.
Infectum reddere, 360.
Inferias ferre, *non* referre, 160.
Infernae sedes, 239.
Infinitivos substantive positos amant Poëtae, 332, a.
Ingratae res, *irritas*, 478, b.
Inhumatus *et* intumulatus, 121, b.
Inops inter opes, 310, a.
Insigne, insiguia, insignem, 137.
Insons *et* insomnis *permut.* 233, a.
Intactum aliquid linquere, 144, a.
Intaminatus *et* interminatus, 247, b. 248, a.
Intonata, 449, a.
Invicem *et* in vices, 335, b.
Invidere, non invidere, 180, b.
Invidus flatus, *et* uvidus, 389, a.
Iocosa puella, 452, b.
Iolcos *et* Colchos, 559.
Iovis laudes in conviviis, 60, b.
Istrici agri, 189, a.
Iudex, *persona et officium iudicis*, 416, b.
Iugum pariter ferre, 143, a.
Iule *et* Ille, 371, a.
Iulium sidus, 70, a.
Iulus *an pro* Iulius, 370, a.
Iulus *Antonius*, *an* Iulius, 370.
Iupiter consul, βουλαῖος, 416, a.
Iupiter in coelo, Caesares in terris regnant, 455, b.
Iura debita, 122, a.
Iustitia *cum* Parcis *iuncta*, 222, a.
Iuvare cibo et potu, 477, b.
Iuvenalem memoriter tenebant Grammatici, 312.
Iuvenes *pro* puellae, 29, a.

L.

Labes *et* tabes, 279, b.
Labi in cineres, 428, a.
Labienus ad Parthos transiit, 272, b.
Laborare, *varia constructione*, 116.
Labores aquilae, 378, b. secundi, 383, b.
Lacedaemon patiens, 45, b.
Lacrymae *in summo metu*, 21, b.
Lactea brachia, 72, a.
Laedere collum, 352, a.
Laetus animi, 218, a.

Laetus, *vox solemnis in praesentia Deorum*, 314, b.
Laevis hircus, 497, a.
Lambere *de fluminibus*, 103, a.
Lana *colorem amissum non refert*, 275, a.
Lassus viarum, 178, b.
Late *et* laetus, 367, b.
Latoë *an* Letoë, 130, a.
Latona Iovi vere amata, 100, a.
Latrare aliquem, 463, b.
Latus *orbis*, *an* laetus, 70, b.
Laudes *pro carmine in quo quis laudatur*, 60, b.
Laudes *parentum Iupiter*, 60.
Laurens aper, 460, a.
Lectas *et* laetas, 510, a.
Leges *et* mores *opponuntur*, 333, a.
Lene merum, *an* leve, 356, a.
Lenimen laborum, 132, a.
Lenis *et* levis, 52, b. 90, a.
Lenis *et* laetus, 314, b.
Lentus risus, 218, a.
Leviore plectro, 161, b.
Levis somnus, 215, b.
Lex *et* leges *de regno inferno*, 229, a.
Libera indignatio, 453, b.
Liber *pro* vino, 324, b.
Libet mirari, 340, a.
Libertas poëtica in nominibus propriis, 261, b.
Libyam *et* Libyas, 163, a.
Licet (dum) *et* Dum decet, 483.
Licymnia eadem quae Terentia, 200, a.
Ligna foco addere, 318, a.
Literae geminatae metri causa, 262, b.
Literarum transpositio, 100, 179.
Litora summovere *et* promovere, 227.
Litus *et* malus, 361, a.
Locus communis de iis, quae fieri non possunt, 496, b.
Loquax *de sono leviore*, 302, b.
Loqui, *cum laude memorare*, 386, b.
Lucanum Scholastici admirabantur, 160.
Lucem reddere *improprie*, 388, a.
Lucida funalia, 343, a.
Lucida sidera, *et* fulgida, 18, a.
Lucidum fulgent *oculi*, *an* fabricum, 200, a.
Lucratus nomen *ab Africo Scipio*, 409, b.
Lumen purum *de coelo*, 292, b.
Lumina in conviviis remota, 281, b.
Luna sua damna reparat, 401, a.
Luna testis *scelerum*, 489, a.
Lupi *et* agni, 453.
Lupos *vicinae gentes vocant Romanos*, 384, a.
Lupus inter agnos, 351, b.
Luxere, Unxere, Planxere, 500.
Luxus in novitate *rerum*, 154, a.
Lycidan *et* Lycidam, 33, b.
Lycum, Licin, Lycen, 132, a.
Lydia Horatium eiecerat, 291, b.

M.

Machinae *trahunt naves*, 28.
Madidus *et* avidus, 93, b.
Magnus *et* magicus, 465, a.
Maior *et* minor *in certamine*, 322, a.
Male pertinax, 52, b.
Male est, erit, 193.
Manare, *activo*, 91, a.

Manus Claudiae, 387, b.
Manus potens, 517, b.
Marcellus *et* Marcelli, 68, b.
Mare (utrumque), 163, b.
Mareoticum vinum, 149, b.
Marina Venus, 342, b.
Maris *murmur e longinquo auditum, sub tempestatem*, 345.
Marmor Achaicum *et* Thebaicum, 225, b.
Marte carere *et* a Marte cavere, 208.
Mater Romana corrumpit filias, 280, a.
Matris ab ubere, 379.
Matura virgo *et* A matre virgo, 280, a.
Mauri *pedites*, *an* Marsi, 17.
Mauris iaculis, 102, a.
Me datur *et* Meditatur *perm.* 499, b.
Medea Iasonem allio unxit, 451.
Mediocritas optima, 191.
Meditari carmen, 337, b.
Memoria virorum illustrium per historiam servata, 409, b.
Mendax (non) Parca, 219.
Mendax (splendide), 298.
Mentes *Di terrent*, 12, b.
Mercurius facundus, 53, a.
Mereri, *vos grata Augusto*, 252, b.
Meri (non multi), 146, b.
Meritus *et* Immeritus, 277, b.
Mersa *et* morsa, 152, b.
Μετὰ, post, *cum solis substantivis iuncta, ex sententia rerum supplendis*, 92, a.
Meta evitata rotis, 2, b.
Metamorphosis cygni thema poëticum, 236.
Metaurus *et* Metaurum, 382, b.
Metrum saepe verae lectionis indicium, 79, b.
Metrum spuriorum indicium, 125, b. 129, b. 160, b. 212. 223, a. 236, b. 254, b. 255, b. 257, b. 288, a. 304, a. 305, a. 307, b. 343. al.
Metuam (non), *h. e. libens facio, cupio*, 304, b.
Metus absentis maior, 443, a.
Metus *sc. mortis*, 330, b.
Mi *pro* si *restitutum*, 311, a.
Miles *et* dux *simul*, 36, b.
Miles partem laudis imperatoriae sibi vindicat, 36, a.
Milites Romani in Parthico habitu, 272, a.
Militi una spes in virtute, 276.
Minor Deis, 70, a.
Minusve *et* magisve, 471, b.
Miseri homines, *δειλοὶ*, *μογεροί*, 5, b.
Mobilium *et* nobilium, 3, a.
Modum ponere rei, 84, a.
Modus *est rei*, 107, b.
Modus, *finis*, 178, b.
Moles regiae, 210, b.
Mollibit, *insuetata forma*, 328, b.
Mollis ad unum opus, 481, b.
Monaeses et Pacorus, 278.
Monet *et* movet, 285, a.
Monstrum, 497, a.
Montibus *et* fontibus, 123, b.
Monumenta artis peritura, 408, b.
Monumentum exigere, 362, a.
Morari *pro* vivere, 169, b. 234, b.
Morbus *de vitio*, 148, b.
Mordax *ferrum*, 395, a.
Mordeor, modulor *et* medeor, 377, a.

Mori pro patria dulce, 246, b.
Morientium collum et illaesio corpore moriantur, 350, b.
Mori fugacem persequitur, 247, b.
Mortis trius genera in rebus desperatis, 351, b.
Mos palaestrae, 53, b.
Mugire *de suavi*, *βοᾶν*, 361, a.
Multum facilis, 111, a.
Multus *pro* multum, 368, b.
Munera pulveris, 119, a.
Munera et vulnera, 161, a.
Munera Ceae nenniae, 161, a.
Musa Tragoediae, *historia tristis*, 157.
Muses tacentes *suscitat Apollo*, 194.
Mutare sedem, 216.
Mutare sagum Punico, 475, *et* Myrtale, 194, b.
Mytilene, 190, b.

N.

Nam *et* iam, 478, a.
Nardus Assyria, 197, a.
Natalis *proprio sanctior*, 422, b.
Natus in *vel* ad, 115, a.
Nausea fluens, 475, b.
Ne *et* Ut *permut.* 356, b.
Necessitas teli, 26, a.
Necessitas *clavos figens*, 339, a.
Necessitas *inepte depicta*, 141, a.
Nefas, *per fas et nefas*, 25, a.
Nefas *et* vetitum, 25, a.
Negatur vin *dor tenere*, 248, b.
Negatio contrua, 72, b.
Neque *pro* nec *ante vocalem*, 300, a.
Nereus vates, 79, b.
Nero et Drusus Vindelicos subiecerunt, 432, a.
Neronis locus, 170, a. 252, b.
Nimio plus, 94, b.
Nimius *vel*, 104, b.
Nimius mero, 197, b.
Nives capilli, 427, a.
Nomen, *de inani specie rei*, 348, b.
Nomen ducere *ab aliquo*, 352, b.
Non *et* num, 81, b. 160, a.
Non secus, non aliter *sim. absolute posita*, 339, b.
Νόσον ἔχει, 194, a.
Nothi *proprium nomen suspectum*, 306, b.
Novi *et* non, *perinde*, 482, a.
Numae regis, *ubi*, 18.
Numeri mutatio, 13, a. 42, b. 74, a.
Numero beato, *pro* beatorum, 164.
Numine *et* lumine, 292, a.
Nunc erat, nunc est, 148, a.

O.

O, *ultimam syllabam verbi sumo et sim. non corripiebant aetate Augusta*, 364, a.
Obiicere *aliquem sui*, 293.
Obiicere cibum *et* proiicere, 486, a.
Obliquus ictus apri, 326.
Obscura, *homines obscuri*, 137, b.
Obstat mundo *terminus*, *et* mundi, 257, a.
Obstinatae aures *et* obseratae, 295, a.
Obstrepit arbor aquis, 447, a.
Obstricti venti *et* obstructi, 18, b.
Occidere *quem verbis*, 467, b.
Oculo irretorto *spectare*, 165, a.
Oculos *in aliquem* deponere, 146, b.
Offensus, *laetus*, *iratus*, 491, a.

Officina *de homine*, 503, b.
Oliveta, 213, a.
'Ομωρόφιος *et* ὁμόστοιχος, 249, a.
Omina Grammaticis ampla doctrinae ostentandae materies, 344, b.
Opus, *omne carminis genus*, 43, a.
"Ιδρα δ' ἦν πάλαι, 148, b.
Orcus, *pro Plutone*, rapax, *non* capax, 228, b.
Ordinare rem publicam, 157, b.
Oricum *et* Oricon, 284, a.
Orphea Musica, 95.
Os, ora *navium*, 454.
Ossa relinquor *et* sum, 502, a.
Otiosa *Neapolis*, 462, a.
Otium sibi quisque dat, 214, b.
Oves Tarentinae, 126, b.
Ovidius, *in imagine diluvii Deucalionei*, 11.
Oxymorum, 40. 309, b.

P.

Pagus *et* pardus, 315, b.
Palam *vincere*, 395, b.
Paltuit audax, 347, a.
Palma, 3, a.
Parare poenas, 84, a.
Parcarum *fila*, 168.
Parere *et* parturire *improprie*, 391.
Paris alius in bello alius in thalamo, 81, a.
Parit *terra* fruges, 515, b.
Pariter *de iugo ferendo*, 143, a.
Pars *hominis* melior, altera, maior, 121.
Participium omissum, 92, a.
Particula undique desecta, 88, a.
Parva *flumina*, 484, a.
Parvus, pravus *et* purus, 484, b.
Patens Aegeum, 214, b.
Pater urbium, 332, b.
Pati *et* ferre amice, 245, b.
Pati multa, 334, a.
Patiens Lacedaemon, 45, b.
Patria et populus, 279, b.
Pauperem *dives petit*, 226, b.
Pauperrimi sunt tutissimi, 191, a.
Paupertas Romana, 67, b.
Pavidus nauta, 4, b.
Pede incerto ferri, 479, a.
Pede pellere terram, 316, b.
Pede *pro* tuae *Horatio restitutum*, 302, b.
Pedes quocunque ferent, 495.
Polignum oppidum frigidum, 317, b.
Pellas (haud) sitim, *in sententia*, 164, a.
Perculsus mentem, 470, a.
Perculsus *et* percussus, 470, a.
Percurrere *et* peragrare mente, 119, a.
Perfundi *et* profundi, 484, a.
Periculum dulce, 340, b.
Periculum subire cui, 442, b.
Perferre lucernas, 288, a.
Peritus, 237, b.
Permittere res Divis, 51, b.
Perpeti πάσχειν *plus quam simplex* facere, 25, a.
Perpetuum carmen, 43.
Petit puella virum, 321.
Phassa, 424, a.
Philippi Macedonis aurum, 308.
Phocaeorum exemplum, 496, a.
Phocaeorum *et* posterorum, *mutata*, 495, a.
Philippis proelium, 264.
Phoebus uterque, 163, b.
Phraatem *et* Phraaten, 164, b.

Pinguia vellera *et* tenuia, 311, a.
Pirithous in trecentis catenis, 270.
Placere *de locis Deo gratis*, 510, b.
Placet (sic), 495, b.
Placida senectus, 516, b.
Plangere mortuum, 500, b.
Πλάσματα πηλοῦ homines, 88, b.
Plebs (o), 303, a.
Plenus Dei, 336, b.
Plurima, *adiectiv. pro adverbio*, 368, b.
Plurimus in re, 44, b.
Plurimus dicit, 44, b.
Poculorum in conviviis numerus, 319.
Poena et pluma, 418, a.
Poenas *et* pones *mutat.* 84, a.
Poenus *navita*, 203, a.
Poenus uterque, 163, a.
Pollio historiarum et tragoediarum scriptor, 156.
Pompeii dictum celebre, 37. 75.
Pondera navium, 454, b.
Pontus uterque, 163, a.
Porrectus *et* proiectus, 292, a.
Porrigere, *extendere*, 218, a.
Porsena *et* Porsenna, 493, a.
Portis non clausis *vivere*, 275, a.
Poscere hoedo, 30, a.
Poscimur *et* poscimus, 331, a.
Possim, *exquisite*, 177, b.
Post vina, 92, a.
Postes *et* pestes, 479, b.
Potens *et* patens, 348, a.
Potens amicus, 226, b.
Potens Naiadum *Bacchus*, 340, b.
Praeda est homo, 322, a.
Praefluunt *et* perfluunt, 377, b.
Praeponere frondes capiti, 43, b.
Praesidium et decus, 1, a. 158, a.
Prata *et* rura, 390, a.
Prehendi *et* deprehendi *verba nautica*, 76, a.
Premit *venator feram*, 150, a.
Prensus *et* pressus, 76, a.
Priami bustum nullum, 255, b.
Primi et extremi *in proelio*, 434, a.
Principe Caesare, 101, b.
Φρίσσειν cum accus. 460, a.
Privatus *quis*, 289.
Proelia dicenda Musis, 413, b.
Profugi Scythae, 140, a.
Promethei fabula, 25, 87.
Pronomen eleganter omissum, 366, b.
Properare aliquid, 335, b.
Proprium *et* Suum, 3, b.
Proserpina, *primae quantitas*, 204, a.
Prospera frugum Dea, 398, b.
Prospicere, 339, a.
Proteus *vates*, 79, a.
Πρωτόπλαστος Adamus, 88, b.
Proverbium, lupus pilum exuit *sq.* 179, b.
Pubes Romana, 383, b.
Pudici flores, 113, b.
Pudor est desiderio, 107, b.
Puellae cum iuvenca *comparatio*, 173, a.
Puer raptus ab Ida, *Ganymedes*, 223, b.
Pueri regna ludunt, 145, a.
Pulchrior *pro* fortior, 385, b.
Pulvis exiguus, 119, a.
Purpuras trahere, 226, b.
Purum flumen, 485, a.
Putres oculi, 146, b.
Pythagoras renatus, 120, b.

Q.

Quâ, *adverbium loci et temporis*, 62, b.
Quâ *et* in qua *te Venus domat*, 116, b.
Quae *et* qua mutata, 116, b.
Quaerere *proprium Astrologis verbum*, 55, a.
Quam neque *Marsi potuerunt perdere*, 492, a.
Que *cum voce aliena iunctum*, 296, a.
Que *et* ve *permut.* 33, a.
Qui quotus, *et sim.* 318.
Quidquid erit pati, 55, b.
Quid tibi vis, 480.
Quieti ordines Deorum, 255, a.
Quin *seq. indicativ. vel imperat.* 467, b.
Quinta, quanta *et* quarta *permut.* 73, a.
Quiris *singulari numero*, 181.
Quis quis, *repetitum*, 332, a.
Quotidiani hominum sermones, 113, a.

R.

Rabiem *et* rabiam, 80, a.
Rapere occasionem, 483.
Rara Fides, 141, b.
Receptus in astra, 120, a.
Recumbens *et* residens, 252, a.
Reddere depositum, 19.
Redigere pecuniam *et* relegere, 450, a.
Reditus abscindere, 497, b.
Redonare *pro* condonare, 255, b.
Referuntur *sacra*, 399, a.
Refugit *et* refigit, 426, b.
Regia *coena*, 393, b.
Regius *et* regalis, 210, b.
Regnum *amicae*, 366, a.
Reiicere parmas, 182, a.
Relicta parmula, *an* reiecta, 181, b.
Relicti *an* relecti cursus, 135.
Religare navem litore, 131, b.
Remittas quaerere *pro* mittas, 195, b.
Remittere *de Orco*, 230, b.
Remordere, 467, b.
Remotus in auras, 119.
Renidere *et* nitere, 225, a.
Renidet *et* renitet, 175.
Reparare vina, 128, b.
Reparare oras, *pro* adire, 150, b.
Repetitio grata, 113, b. 140.
Repetitio eiusdem verbi, donavere donabunt, 373, b.
Repetitiones verborum ineptae, 2, b. 8, b. 29, b. 253, b. 268, b. 413, a. 444, a.
Repressae *restit. pro* revictae, 381, b.
Residet bellum, *non de omni bello*, 254, b.
Revellere terminos agris, 228, a.
Revictus victor *an* victus, 380, b.
Ridet argento domus, 420, a.
Ripis, rivis, rupibus, 446, b.
Rhodope Baccho sacra, Haemus Marti, 339, a.
Rosa (in) ἐν τοῖς ἀνεφάνοις, 33, b.
Rosae hibernae, 154, b.
Rota currente funis it retro, 293, a.
Rubenti *et* rubente, 10, a.
Ruere *de suibus*, 460, b.
Ruhnkenii Dissertatio de Tutela Navium, 76, b.
Ruinis quem fatigare, 433, a.
Rupes *pro* turres *repositum*, 507.

Ruta oppidi, 6, a.
Ruris honos et honores, 90.

S.

Sacrum silentium, 204, b.
Saeculum Pyrrhae, 12, b.
Saepius et saevius *permut.* 129, a.
Saeva *et* serva *permut.* 141, a.
Saeva Pauperies, 67, a.
Sagittae et fuga, h. e. *in fuga remissae*, 203, b.
Sallustii metalla, 162, a.
Salve mihi, 133.
Sapias, 56, a.
Satiare *et* satia te, *trusi dictum*, 16, b.
Scamander Simoëntis minor, 484, a.
Scari, 448, b.
Scauri nobiles, 65, b.
Scholiorum Horatii indoles et ratio, 179, a. 397, b.
Scortum, *Horatii aetate vox turpis*, 197.
Scrutari, *Astrologorum*, 55, a.
Secreta *literarum*, 5, b.
Sectari, scrutari *et* scitari, 154, a.
Sectis unguibus *an* strictis, 40.
Sectus orbis, 353, b.
Sed *pro* nec *repositum*, 142, a.
Seditiones *pro* discordiis, 254, b.
Sedulus curae, 154, a.
Semel *et* simul *permut.* 375, a.
Semeles *et* Semelae, 95, a.
Semper *cum adiectivis iunctum*, 137, a.
Septimius Horatio coniunctissimus, 177.
Sepulcrum viro forti omnis terra, 474, b.
Sepultum *quid dicatur*, 413, b.
Sera *rosa*, 154, a.
Si *et* sic *permut.* 274, b. 329, b.
Si qua, 305, a.
Sic Di volucre, *et sim.* 62.
Siccis oculis, 21, b.
Signa militiae ferre, 267, b.
Silentium fidele *tutiatorum*, 241, b.
Similis, *absolute*, 330, b.
Simul nascens, 379, a.
Sinus *et* somus *permut.* 345, b.
Sinistra ripa, 14, a.
Sinu (in) *ferre*, 229, b.
Socratica domus, 124, b.
Sol nil maius videt, 311, a.
Solis ab ortu, 345, a.
Solum mente tangere, 182, a.
Solvi, 480, b.
Somnos leves invitare, 447, b.
Somnos ducere, 487, a.
Sonante lyra, 504.
Sonus ater, clarus, 348, b.
Sonus similis ultimarum syllabarum is non ingratus, et diversam pronuntiationem, 9, a.
Sordidus *et* sordibus *permut.* 216, a.
Sordidus *pulvere non indecore*, 159, b.
Sors *versatur in urna*, 170, a.
Spargere rosas, 320, a.
Spatia *Lacedaemonis*, 45, b.
Spatio brevi, *ablat. absol.* 56, b.
Spectaculum *aliquis est*, 121, a.
Sperare *et* spirare, 400, a.
Spernere leges, 439, b.
Spes Fortunam colit, 141, b.
Spirare *de operibus arte factis*, 152.
Spiritus tenuis Camoenae, 219.

Spiritus et vita, 408, a.
Spissa coma, 320, a.
Splendet usu argentum, 162, a.
Stat nive mons, 50.
Stesichori Palinodia, 87.
Stirps *utroque genere*, 359, a.
Subductus ignis, 26, a.
Sublimi flagello tangere, 343.
Subtemina *Parcarum*, 485, a.
Suburana *et* Suburbana, 463, b.
Sudor, sudare cum pulvere, *in laude bellica*, 159.
Sumere de die, nocte, 6, b.
Summae *et* vitae, *permut.* 404, b.
Superbae vices, 122.
Super mero *et* merum, 93.
Super Karthagine *sepulcrum Scipionis*, 474, a.
Superbi Tarquinii fasces, 64, b.
Superbus ambulat pecunia, 453, a.
Superiecto aequore natare, 13, a.
Superne, *ultima brevi*, 236, b.
Superni *et* superbi, 444.
Supervacui honores, 239, a.
Surdior scopulis, 285, b.
Suus *et* novus *permut.* 482, b.
Syllabae brevis ante duas consonantes productio, 385, a.

T.

Taberna *de homine*, 504, a.
Tacens regia, 151, b.
Tacitus vocabula et formas ex Horatio petitas habet, 24, b.
Tarquinius Priscus et Superbus, 64.
Tautologia inepta, 513, b.
Te revocant *et* rite vocant, 366, b.
Temperant vites pocula, 99, b.
Temperare aquam ignibus, 317, b.
Temperare venena, 331, a.
Tempestates magnae, *rarae*, 449.
Tempestiva *Chloë*, 321.
Templa Romanorum veterum non ornata, 213, b.
Tempus erat, est, 147, b.
Tempus non reddit factum infectum, 360, b.
Tenax propositi, 249, b.
Tendere sagittas, 123, b.
Tentare Deos *an pro placare*, 327, a.
Tentator, 269, a.
Tenuia vellera, 311, a.
Θεοὶ πάντες καὶ πᾶσαι, 456, a.
Ter crepuit sonum, 224, b.
Terminus *res servat*, 514, b.
Terras *et* terres *permut.* 456, a.
Terret homines *Iupiter fulminibus*, 456, a.
Testis meae sententiae, *non Lyricum*, 269, a.
Tiberii de luxu reprimendo scripta, 210, a.
Tibur semper udum, 356.
Τίκτειν improprie, 391.
Timendi *reges an* verendi, 241, b.
Timidi nautae, 4, b.
Tingere arma sanguine, 155.
Tinguere mero pavimentum, 209, a.
Tinguere quem poculis, 425, a.
Titanomachia, 266, b.
Tithonus, 120, a.
Tollor in locum, *plus quam* proficiscor, 263, b.
Tormentum ingenii, 324, b.
Torret amor quem, 311.
Toties *et* potiens *permut.* 514, a.
Totus *et* tutus *permut.* 89, b.
Trabibus sub iisdem, 249.
Trahere *de contagione*, 274, b.

Trahere *pocula*, 487, a.
Transferre amorem, 492, a.
Transfuga, *impropria*, 389, b.
Transpositionis remedium, 86, b. 483, a.
Trepidare aevi, 198.
Troia saepe restituta, 253, b.
Troiani belli diuturnitas apud Homerum, 82.
Troicus *et* Troius, 255, a.
Τίχας γῆ τε κοίρανῶ λίγεν, 457, a.
Tu, *blandientis*, 133.
Tu, *repetitum cum vi*, 223, a.
Tullus dives, 403.
Tumidus *et* timidus, 78, a.
Tumultus *de* bello, 384, a.
Tunica *de thorace*, 39, a.
Turbidum *mare et* turgidum, 22, a.
Turgida in Venerem, 301, b.
Turma *et* turba, 516.
Turpe, *o rem turpem*, 182, b. 473, a.
Turpis in femina, 270. a.
Turpis senecta, 130, b.

U.

Ubi *restitutum pro* cui, 215, b.
Uda sanguine arma, 155, b.
Ὕδωρ de pluvia, 317, b.
Ulla *et* vita *permut.* 209, a.
Ultimi orbis Britanni, 143, b.
Uncta, uda, tincta *permut.* 155, b.
Unda freti, 183, b.
Urbem *et* orbem, 10, a.
Urbes *et* undae, 209, a.
Urere aliquem in puellis, 477.
Uri ignibus alicuius, 284, b.
Urit Vulcanus officinas, *an* visit, urguet, 29, b.
Usque *et* ipse, 89.
Ut melius *pro* quam melius, 55, b.
Ut *elegenter abest*, 445.
Utilis bello, 68, a.
Uvida *et* humida, 35.
Uxorius amnis, 14, b.

V.

Vacuus amore, 34, b.
Vaga *flumina*, 137, b.
Vallis altera pars, *humile in carmine Lyrico*, 82, a.
Vates Horatius, 180, b. 399, b.
Vaticanus, *secunda correpta insolens*, 99, a.
Vel *exquisito positum*, 481, b.
Vela lyrae dare *et sim.* 437, a.
Velox mente agor, 333, a.
Veneficarum artes, 460.
Venire *non simpliciter pro* esse, 96, a.
Ventis dividere, 478.
Ventris *pro* veris *restitutum*, 459, a.
Ventum (ad), 105, b.
Venus tota ruens in quem, 95, a.
Venus *pro* puella, 134, b.
Vepris *et* veris, 105.
Veraci *pro* mendaci *repositum*, 504, b.
Verborum duras structurae, 148. 202, a. 254, a. 278, b. 292. 328, b. 489, b.
Verbum unum ad duo subst. refertur, 173, a.
Veri timores, 149, a.
Verritur frumentum, 4, a.
Versus a Neoptolemo cantati, 57, b.
Verticem tollere, 309, a.
Vertit iram *et* avertit, 476, b.

Vespertinus ursus, 498, b.
Vetitum nefas *non Latinum*, 25, a.
Vetitum (per) *et* in vetitum ruere, 25.
Vexare *et* versare, 189.
Vexata Ilios, 413, b.
Via, *de apotheosi*, 251, b.
Vice (plus) simplici, 431, b.
Vices mutare, 399.
Victoria ad Metaurum non prima Poeni victi, 382.
Victus *et* flexus, 396, a.
Vide ut, *sq. indicativo*, 50, a.
Video *futura*, *tamquam praesentia*, 158, b.
Vidi, credite, 231, a.
Vigiles lucernas perferre, 288, a.
Vim adhibere munitae sapientiae, 355.
Violens *Aufidus*, 363,
Virere *de flamma*, 503.
Virgilius non mercator, 425, b.
Virgo inimica bellnis, 61, b.
Viri (si quid est), 490, b.
Virtus sedem in animo habet, 275, b.
Virtus viam in coelum pandit, 250.
Virtus sepulti non celebrata facit eum similem inerti, 413, a.
Virtutes et benefacta manent, 405, b.
Visere, *exquisite*, 29, b.
Vitii *an* viti *scrigserint veteres*, 349, a.
Vitium *de vitiosa natura*, 149, a.
Vocant mortui *viventes*, 235.
Vocare Deos rite, *non* Deos revocare, 366, b.
Vocatus *et* non vocatus, 230, b.
Voluntas *et* voluptas *mutata*, 115, b.
Volvere *et* vertere, 190.
Votis *et* voci, 518, b.
Vox *et* cithara *coniungantur*, 260, a.
Vulnera retractare, 161, b.

X.

Xanthus fluvius, 484, b.

Atque ita haec mea Carminum Horatianorum editio absoluta est feliciter. Quodsi paucissimis typothetarum erroribus sit infecta, hoc acceptum refero Ioanni Theodoro Bergmanno, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. et Theol. Doctori, Adiuncto Biblioth. Acad. Leidensis Praefecto, cuius variam et accuratam doctrinam, editis scriptis testatam, exteri quoque non ignorant. Neque eo contenta viri humanitas fuit. Nam et Indices mihi confecit, in quibus solitam illius diligentiam probe agnosco. Accipiat hanc grati animi pro sua erga me voluntate significationem, literasque elegantiores sua opera et studio, sicuti adhuc ornavit, ita diu ornare in modum tam laudabilem pergat. Editionem praestare omni errore immunem, nemini adhuc mortalium contigit. Ita et in nostram irrepsere, sed valde rari, iique exigui admodum momenti, quos hic ostendere ne operae quidem pretium duxi. Tales v. c. sunt, *XIV* pro *14*, *ἐι* pro *εἰ*, *MSS.* pro *MS.*, *ν* pro *υ*, *ε* pro *c*, omissum comma vel punctum, similia.

Corrigantur modo p. 28, a, *tulissi* in *tulisti*, p. 87, a, *affirmat* in *affirmaret*, p. 97, a, *tamem* in *tamen*, p. 121, a, *iuvenun* in *iuvenum*, p. 153, b, *corrrigit* in *corrigit*, p. 514, a, *plaretra* in *pharetra*, p. 260, *CARNEN* in *CARMEN*, p. 278, b, *potistimum* in *potissimum*, p. 283, b, *editiomibus* in *editionibus*, p. 382, in textu *Afer et* in *Afer ut*, p. 456, a, *nonulla* in *nonnulla*, p. 464, a, *oblita* in *oblitus*, p. 502, b, *πᾶασι* in *πᾶσαι*.

In locis a me citatis quaedam carent versuum notatione. Citaveram ea vel memoriter vel ex editione aliqua veteri, quod accidit in Aristophane.

Ita p. 97, est Thesm. vs. 322, p. 137, Lysistr. vs. 773, p. 174, Pace vs. 1165, p. 175, Avibus vs. 608, p. 187, Lysistr. vs. 151, p. 235, Lysistr. vs. 606, p. 317, Equit. vs. 736, p. 385, Thesmoph. vs. 1006, p. 466, Avibus vs. 867. Versus P. Statii pag. 141, ita legantur: *Summa Deûm Pietas, cuius gratissima coelo Rara profanatas inspectant numina terras, Huc ades.* Quod de Homo dixi p. 302, hoc ita legitur in Catullo Vossii p. 290, *ὅτι τρίζοι αὐτῆς τὸ ὑπόδημα καὶ λίαν εἴη λάλον.*